EMMANUELIS
MARTINI
EPISTOLARUM
LIBRI DUODECIM.

EDITIO SECUNDA EMENDATIOR,

ET VARIIS ACCESSIONIBUS AUCTORIS

ET INDICIBUS NECESSARIIS

LOCUPLETIOR.



Ph. Endlich del et sculp. Amsterdam.

EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

EPISTOLARUM LIBRI DUODECIM.

ACCEDUNT

AUCTORIS NONDUM DEFUNCTI VITA,

A GREGORIO MAJANSIO

CONSCRIPTA:

NEC NON PRAEFATIO

PETRI WESSELINGII.

TOMUS PRIMUS.

AMSTELAEDAMI,

Apud J. WETSTENIUM & G. SMITH.

MDCCXXXVIII.

EMMANUEL

MARTINUS,

ALONENSIS ECCLESIAE DECANUS,

PERILLUSTRI DOMINO

BENJAMINO

KEENE,

MAGNAE BRITANNIAE REGIS
apud Regem Catholicum Oratori cum plena
poteſtate,

S. P. D.

JOſeph Octavius Buſtantius (quicum magna & jocunda mihi intercedit neceſſitudo) nunciavit proximis diebus, te cum aliquot Epiſtolas noſtras legiſſes, ex iis quae lucem viderant, ea-

rum

rum lectione valde fuisse delectatum, ac desiderio accensum videndi alias, si alicunde expiscari possent. Quo ego nuncio ita affectus sum, quasi nullus optatior in hac mihi luce contingere posset. Jam enim famae rumores praeiverant de tua eruditione, de ingenii elegantia, de mirabili rerum cognitione, atque amoeniorum literarum notitia, deque alacritate in doctorum hominum studiis propagandis atque fovendis. Quae ornamenta eo sunt admiranda magis, quo rarius inveniuntur hisce temporibus. Quare occasionem hanc avidissime arripiens, tanquam munus aliquod e coelo delapsum; statui e vestigio Epistolarum mearum autographum ad te mittere, hominem (ut mirificum rerum usum praeteream) peracutum & prudentem, literarum gloria clarum, & (quod caput est omnium) mei absentis & ignoti studiosissimum. Non eo illas tibi mitto, quod credam in aliquo apud te fore pre-

tio,

tio, (non enim sunt tanti) nec defaecatissimo tuo judicio aliquam afferre posse oblectationem. Sed quod tu jussisti. Religioni enim duxi desideriis tuis non obtemperare. Tu igitur illas, si minus arriserint, dele, discerpe, combure. Levis enim erit jactura. dum mihi liceat absque illis in tua manere clientela. Cui me commisit Bustantius noster, quem merito suo efflictim depereo, cum ob morum gravitatem, modestiam, prudentiam, industriam in rebus expediendis, caeteraque animi ornamenta; tum ob singularem eruditionem, & strenuam in literis navatam operam; tum denique, quod ab illo impense amari me sentio, quod me observat, meque laudibus ornandi nullam occasionem praetermittit. Tu igitur, Illustrissime Domine, munusculum hocce, quantumvis tenue & exiguum, benigne amplectere, una cum mittentis animo, quo te eximiamque tuam virtutem omni obsequiorum genere prosequor, omni-

 que

que cultu, obſervantia, fide, memoria colam ſempiterna. Interea votis nuncupatis Deum veneror, ut te tuaque fortunet, teque ſervet incolumem, ad Reipublicae literariae praeſidium atque tutelam. Vale. Alona, VIII. Kalendas Januarias, An. MDCCXXXV.

LEC-

L E C T O R I B U S

S. D.

PETRUS WESSELINGIUS.

CUM ſuperiore anno Gregorii Majanſii, Anteceſſoris Valentini, Epiſtolarum libros, doctos & elegantes, jucundiſſime evolverem, praeter ceteras oppido eas mirabar, quae Emmanuelis Martini, Decani Alonenſis, nomen praeferebant: erant enim cultiſſime ſcriptae, & quaſi papavere, & ſeſamo ſparſae. Id vero mihi dolebat, quod ſpes admodum anguſta eſſet earum, quas ad Hiſpaniae vicinarumque regionum eruditos dederat, impetrandarum. Noveram ex aſſiduis utriusque querelis literas, quibus ab humanitate nomen eſt, plerisque per Hiſpanias contemtui eſſe: verborum ſordes & ſtribiligines, lutulentamque haram & inmundum volutabrum in deliciis eſſe, & mirifice diligi; illaque unice probari, quibus via ad lautiora ſacerdotia emunitur, & περὶ τὰ ἄλφιτα: cetera omnia quisquillias ac meras putari nugas. Quo fiebat, ut vehementer metuerem, ne doctiſſimi viri literae, quod de libris ſuis ipſe in quadam ad Majanſium epiſtola praeſagiebat, ſcombris piperique eſſent cuculli, thurisque involucra. Quem quidem metum diſcuſſit egregia ampliſſimi & excellentiſſimi viri, Benjamini Keene, regis Britannorum cum ſumma poteſtate ad Hiſpaniarum regem legati, liberalitas: cognita enim & perſpecta ex Majanſii Epiſtolis, & familiari ſermone ſingulari Emmanuelis Martini eruditione, ut eſt liberalium ſtudiorum cultor elegans & fautor unicus, ejusdem Epiſtolarum libros duodecim cum fragmento de Animi affectionibus Mantuae Carpetanorum pervulgari juſſit. Sed pauciſſima eorum cum eſſent prodita exempla, ut fit in libris, qui liberalibus unius inpenſis publicantur, & edita, ſicubi haberi poterant, cupidiſſime diriperentur, nihilo magis in celebritate verſabantur, aut parabiles erant Alonenſis Decani Epiſtolae, quam quae nuſquam ſunt. Quod aegrius cum ferrem, optatiſſimus mihi nuncius a Guilielmo Smitho venit, qui eſſe ſibi Epiſtolarum earum copiam, & repetita editione vulgandarum conſilium adferebat. Ego vero, perlectis ſumma cum voluptate omnibus, adhortari & currentem urgere non deſii, donec incoeptum profligaret. Ita prodeunt Emmanuelis Martini Epiſtolarum libri nitidiore, quam unquam antea, cultu, & Oratione de re quidem turpicula, ſed honeſte & eleganter ſcripta, aucti. Optarem

quidem,

quidem, ut ad omnes, in quorum manus hi libri incident, is jucunditatis fructus perveniret, quem ego inter legendum cepi. Quae spes etsi pertenuis est in tanta contemptione eorum librorum, qui epistolas & mutua eruditissimorum virorum officia complectuntur, non dubito tamen fore, qui consilium operamque prolixius probent. Laudabunt illi, sat scio, egregias ingenii animique dotes Em. Martini, libertatem in scribendo, Latini sermonis elegantiam & lepores multo sale conditos: mirabunturque nativam & extemporalem in pangendis utroque sermone carminibus promptitudinem, atque eam in primis Elegiam, qua arcam, libris portandis destinatam, astris inseruit; neque desiderabunt singularem in eruendis marmorum inscriptionibus & numis industriam atque in explicandis dexteritatem. Taceo de summo ejus studio & benigna voluntate, qua aliorum in literis conatus fovit, & suopte ingenio incitatis calcar addidit; deque elegantiorum disciplinarum apud Hispanos cum maxime cultu, & viris, quos exemplo praeceptisque formavit & erexit, ne vulgi more sordibus inquinarentur, sed ut in praecipitium & barbariem abeuntes sanctissimae antiquitatis artes pro virili sustinerent. Variae eruditionis, cujus ductu in prisca vetustatis monumenta penetramus, hic seges est uberrima. Vide modo, ut paucis absolvam, nitidissimam illam effigiem ex ruderibus theatri Saguntini formatam & ingeniose descriptam; librum de Animi affectionibus, ultima quidem lima ac fine defectum, sed ad Porticus morem modumque prudenter digestum, & Epistolam, qua de auctore Collectionis Graecorum epigrammatum disputat. Eo quidem in genere pari se diligentia exercuerat elegantis ingenii vir, Franciscus Vavassor, quod Em. Martino latuisse credibile est: utramque dissertationem inter se si contenderis, & conparaveris, facile animadvertes, neutrum ubique verum pervidisse, neque primas tamen Decano Alonensi negari posse. De L. Holstenio alia res; cujus haud dissimiles ad Stephani Γάδαρα conjecturas si vidisset, sine dubio ab eo sibi cavisset errore, quem in patria Meleagri Gadareni designanda admisit. De Em. Martini genere, fortunis vitaeque ordine nihil adtexo: horum desiderio qui tenentur, illis & Caesaris Buliphonis Praefatio Ἀπαστεράσεως arcae & diligentissime congestus Georgii Majansii commentarius affatim satisfacient. Tu vale & his deliciis, si videbitur, fruere. Trajecti ad Rhenum, III. Nonas Julii. CIↃ IↃ CC XXXVIII.

CEN-

CENSURA

DON BLASII ANTONII NASSARRE ET FERRIZ, J. C. Caesaraugustani, Bibliothecae Regiae Praefecti, &c. Ex Ordinarii Ecclesiastici delegatione.

EMmanuelem Martinum, Ecclesiae Alonensis Decanum, ad miraculum eruditum & eloquentem esse, Orbi literario notissimum est: ipsiusmet *Epistolas*, & a Viris doctissimis ad eum datas, sicut ejusdem *Vitam* elegantissime scriptam a Gregorio Majansio, Generoso Valentino, ac Hispaniarum Regi a Bibliotheca, continere nihil bonis moribus adversum; immo plurima facientia ad rem literariam; ex animi sententia profiteor. Mantuae Carpetanorum. Ex Regio Museo, Eidibus Martiis, An. MDCCXXXV.

Hac Censura praecedente suam auctoritatem praestitit Ordinarius Ecclesiasticus.

JOANNIS IRIARTE

Regiae Bibliothecae Quinqueviri

CENSURA.

EMMANUELIS MARTINI, ECCLESIAE ALONENSIS DECANI, EPISTOLARUM LIBROS XII. amplissimi Castellae Senatus jussu diligenter evolvens, *Plautum*, vel *Terentium metro solutum*, quod de Saturnini epistolis Plinius, legere credidi: tanta illis sermonis castimonia, elegantia, festivitas: adeo ingenium Auctoris & personae, & argumenti cujuslibet capax: ita inventione, varietate, ornatu multiplex. Narretne jucundius, an differat argutius: vehementius increpet, an laudet magnificentius: gratuletur officiosius, an efficacius consoletur: uno verbo quod genus epistolae tractet absolutius, non sub judice, sed supra judicem quemvis sagacissimum lis est. Quid enim aliud totum opus, nisi dubiae quoddam coenae genus delicatissimis Musarum convivis appositae? Rident omnia munditiis, cupediis affluunt: lactea ubique, aut mellea facundia: nihil non ex amoeniorum disciplinarum floribus expresso nectare delibutum. Suppetit salis, acetive, ubi res locusque postulat, quam lepidissimum condimentum. Ut vividis jocorum, facetiarum aculeis lectoris palatum blande titillat! ut ad totas literas devorandas valide exstimulat! Quam subiti, crebrique sententiarum igniculi, qui rerum sive tenuiorum, sive domesticarum frigus excutiant, qui duo potissimum in id genus scriptis desiderari solita, vim & novitatis lumen afferant! Vetera ac vulgo trita verba quam nove, quam non vulgariter usurpata! Quo vetustiora, hoc salsiora: minime his consenescit, immo alacrius viget oratio, vino non absimilis, quod ex annosis faecibus animos haurit multo valentiores. Graeca vero ubi Latinis amicius inserta? Ubi sermoni carmina intermixta venustius? Quis haec utraque lingua tam belle & καλῶς? Quis tam ex aequo, (ut bilingui Poëtae & bilinguis accinam)

Ἑλλαδικῆς μετέχων μούσης, *Latiaeque camoenae?* *

Modo Anacreontis instar, modo Catulli perite ludit, nugatur argute, sapienter

* *Auson. Ep.* 12.

pienter desipit. Quid Nasonem? ut candidis, mollibus, ingeniosis cum elegis aemulatur, testis ARCA illa Minervae gazis, Charitum deliciis, Musarum donis refertissima, quam domini opum ostentatrix, tam famae aeterna custos: digna mehercule tot summis in *Astra* laudibus efferri: & si minus coelum, divinum certe nacta praeconem. At Martialis jocos sive affectat imitator: quid ejus Epigrammatis, vel ab ingenio, vel a lima politius? Sive eosdem Graece reddit interpres: quanto id perficit Scaligero metaphraste concinnius, feliciusque! Quin Martialem ipsum graecissantem provocat Martinus, tam elegans continue, quam ille carptim. Unde merito illi gratuleris Romanos sales Atticis non sine foenore permutatos.

Jam vero quid his literis excogitari potest literatius? Quae doctrinarum omnium vel eleganter adspersa, vel apte congesta varietas! Quam universae antiquitatis, nummariae praesertim, ac lapidariae consummata peritia! in qua sive introspicienda, sive extricanda Lynceumne, an Oedipum melius agat, haud facile decernas. Semesos e Temporis faucibus nunc lapides avellentem, nunc aera prope concocta e terrae visceribus erudito quodam avaritiae genere educentem obstupescas: hic e tumulis priscos heroas ducesque, illic e ruderibus Theatra Urbesque excitantem, ubique e tenebris atque oblivionis sinu praeclara quaevis monumenta proferentem, unde res Graecas, Romanas, patrias exornet, illustret, amplificet. Adeo immensum, quo semper ille flagravit, antiquitatis studium. Nae hanc suis plus oculis amasse vere dixeris, quippe cui medullitus perscrutandae ut mentis, sic oculorum aciem lubentissimus totam impenderit: magno quidem, ut ipsius ad amicos querelae testantur, horum lucis dispendio; at longe maximo, ut doctorum hominum plausus circumsonant, famae claritatis incremento. Cujus tandem incredibili industriae indefessisque vigiliis id nimirum debet Hispania, quod neque suos Augustinum, Ciaconium, Moralem ultra desideret, neque Italiae Panvinium, Galliae Vaillantium, Germaniae Goltzium in posterum invideat.

Illud autem cum inventu maxime rarum, tum admirationi in primis obvium, sic diversa ac pugnantia inter se studia in uno tam amice, tam decenter conciliari: eundem esse in Musarum castris juvenili gratia tironem, severioris doctrinae supercilio decanum: aequo scilicet pede difficiliorum investigationum salebras & senticeta, atque Rhetorices, vel Poëseos viridaria floridulosque pulvinos perambulat, juxta validus Antiquitatis fossor, ac delicatus humanitatis topiarius. Nihil saxorum pulvere, nihil metallorum rubigine sordescit stilus; immo illis vice cotis attritus, & acuminis & splendoris plurimum trahit.

Quid multa? mirificus omnium in hisce Epistolis concentus. Amice con-

conjurant cum granditate ſenſuum brevitas orationis, cum reconditiore doctrina perſpicuitas, feſtivitas cum gravitate, Graecia cum Latio, novitas cum antiquitate, cum exquiſitiſſimae denique eruditionis penu lepos quidam minime quaeſitus, qui naturam parentem, artem nutricem, Martinum dominum duntaxat agnoſcit. Omnia in ſumma tam facile, tam nitide elucubrata, ut Minervam redoleant, non oleum: ut lucernae ubique fulgor, nusquam fuligo.

Accedit ad Epiſtolas aureae appendicis loco ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, ſive *De Animi Affectionibus* Liber, eodem auctore: foecundiſſimi ille quidem ingenii foetus, at iniqua temporum obſtetricante fortuna male natus: quippe utrinque mutilus, ſeu qualem ſuus eum pater appellare amat, ἀκέφαλος & μείουρος in lucem prodiit; non ea tamen indignus, atque vel ita affectus, cum perfectiſſimis merito comparandus. Qui ſane & ſubtiliſſimo reliqui corporis artificio, & praecipuarum partium defectu duo haec eruditorum omnium animis πάθη, *Admirationem* & *Deſiderium* aeternum concitabit.

Atque haec pro tanti Scriptoris dignitate breviter & curſim attigi, tum ne de Epiſtolico argumento differens, vel cenſurae cancellos, vel epiſtolae modum excedam: tum ne uberioris laudum ſegetis dulcedine longius provectus, falcem videar immittere in Cl. Collegae noſtri Gregorii Majanſii meſſem, qui *Martini Vitam* non diſerte minus, quam accurate concinnavit. Arduum ſane opus & amici & viventis imaginem exprimere, Critices penicillo non auſteram, ſine adulationis fuco floridam, quam exemplari ſuo, tam aequis ſpectatoribus gratam. Quae quidem ille egregie praeſtitit in propagando praeſtantiſſimi atque amiciſſimi viri nomine laboris prodigus, veri tenax, invidiae nihil timidus. Praepoſterum nempe illorum morem exoſus, qui viros ſive rebus geſtis, ſive literis nobiles, exanimes demum pingi curant; vivum illum, quo expreſſior, quo vividior imago, ſibi adumbrandum cenſuit. Praeclare ſane cum Martino actum,

——— *dicique beatus*
Ante obitum

profecto dignus, cui viventi, ſentientique laudator obtigit eloquentiſſimus idem, ac veraciſſimus. Cujus hoc & amicitiae & doctrinae immortali monumento effectum eſt, ne ſummus ille vir tot ingenii laureis, tot ſcientiarum palmis inclytus ſeram a cupreſſis laudem exſpectare cogatur; ſed famae poſthumae jam compos, ſuaeque gloriae (ut ita dicam) aequalis, quod Ennius olim de ſe extincto, id de ſe incolumi verius ipſe praedicare poſſit:

——— *volito vivu' per ora virum,*

vel Martialis illud ſibi adſcribere:

Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.

Sin-

Singula itaque hujus operis accuratius expendenti, Cenſoria virgula, non ad notanda vitia, verum aſſignanda decora uſus tantummodo fui : nihilque omnino a patriis legibus Regiisque ſanctionibus devium aliunde occurrit. Quapropter & Hiſpani nominis, & univerſae rei literariae maxime intereſſe judico, ut typorum beneficio publica luce donetur. Matriti, ex Regio Muſeo, Idib. Mart. Anno MDCCXXXV.

Hac Cenſura praemiſſa ſuam praeſtitit auctoritatem Regius Caſtellae Senatus.

E R R A T A.

Tom. I. Pag. 11. l. 11. lege Ticinensis. p. 21. l. 6. MDCCIV. p. 32, 16. Alonae. 61, 30. ἐφιλολογήσαμεν. 65, 15. θολία. 73, 9. gurgustiolum. 77, 20. Ex cellula. 90, 34. faustumque. 101, 17. αὐτοῦ, φανότατα. 103, 14. διόρθωσιν, 20. Prophetis. 115, 19. Ἀχλύν. 136, 5. iungem. 142, 23. ut Romano. 186, 12. Gadaris. 213, 10. Ἀχλύν. 254, 14. πτωχός, 27. πρόσωπον. 255, 9. τεθνήκασι. 256, 11. διδιέχθαι. 261, 23. mi.

Tom. II. p. 3, 32. lege diligentiam. 43, 26. Romam. 84, 40. imago. 85, 26. procellas. 164, 12. vobismet ipsis. 239, 29. Metus. 240, 39. Verecundiae. 249, 23. ἠγαλλιάσαμεν. 260, 29. ἐγκεκορδυλημένον. 268, 25. Chremylus.

EM-

EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI

VITA,

SCRIPTORE

GREGORIO MAJANSIO,

Generoso, & Antecessore Valentino, Hispaniarum Regi a Bibliotheca.



AMSTELAEDAMI,
Apud J. WETSTENIUM & G. SMITH.
MDCCXXXVIII.

ILLUSTRISSIMO VIRO,

JOSEPHO OCTAVIO BUSTANZIO,

REIPUBLICAE GENUENSI A SECRETIS

APUD PHILIPPUM V.

Hispaniarum Regem,

GREGORIUS MAJANSIUS,

Generosus Valentinus,

S. D.

NOn sum nescius, Perillustris Josephe Octavi Bustanzi, cum viventis hominis Vitam literis mandem, fore, ut hic meus labor in varias reprehensiones incurrat. Sed cum considerem probatum iri argumentum, & Tibi, & iis, quos ego posse judicare arbitror; me nullo modo pigebit invidiae molem sustinere. Nam, si quid veri mens augurat, scriptioni meae non deerit bonorum omnium patroci-

nium, maximeque tuum. Scripsi Vitam Hominis Hispani, cujus Notae Criticae in Q. Sectani Satyras, Jani Vincentii Gravinae obtrectatoribus, Latinae linguae imperitiam ob oculos posuerunt, ipsis vel invitis fatentibus. Cujus Latina dictio eidem Gravinae, nostrae aetatis scriptori elegantissimo, fuit Canon; Graecae linguae usus Laurentio Zaccagnae Graecis literis doctissimo, aemulationi; Antiquitatis cognitio Raphaëli Fabretto abstrusae eruditionis sagacissimo Interpreti, auxilio; reconditarum literarum explicatio M. Antonio Sabbatino Antiquariorum sui temporis Principi, miraculo; monumenta vetera illustrandi sollertia Bernardo Monfalconio totius Antiquitatis eximio enarratori, ornamento. Cujus diligentia novam veluti vitam dedit Scriptoribus Hispanis, qui ab Augusto Imperatore per mille quingentosque annos floruerunt. Cujus laboris assiduitas, & strenue navata opera Aguirrianae Conciliorum Hispaniae editioni, magno bono est disciplinae Ecclesiasticae. Cujus Poëtica facultas (neque enim haec praetereunda,

Sedibus aethereis spiritus ille venit)

sive Latine, sive Graece, sive Etrusce, versus ille pangat, proxime ad illarum Nationum Poëtarum Princi-

pum

pum praestantiam videtur accedere: ut Hispanam taceam Poëticam, in qua tantum virum excellere mirum non est. Cujus eloquentia est admirabilis, dignaque judicio superbissimarum aurium; sermo denique talis, ut Suadae illius, quam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitavisse, videatur hic esse medulla ipsa. Sed quid multis verbis opus est, cum uno tantum opus sit? Scripsi Vitam EMMANUELIS MARTINI, *cujus virtutes impense amas, colis, dignissimasque putas praedicatione tua. Vide, Illustrissime Bustanzi, caussas in me impendentis invidiae; videat & ipsa, intabescatque videndo. Nunc in mentem revoca, quo Te jure mihi Patronum advocem. Meministi optime, paucis ab hinc mensibus fuisse nos apud Benjaminum Keene, Regis Angliae Oratorem, virum mirifico rerum publicarum usu, & duabus foederum sanctionibus Hispanos inter & Britannos toto orbe celeberrimum. Tunc inter loquendum facta fuit mentio Emmanuelis Martini Epistolarum, quarum aliquas ego publicaveram, quasque vir summo ingenio summoque judicio jucunde legerat: idemque pro singulari erga literas amore significavit se desiderio teneri videndi alias, quarum ego memineram in Praefatione mea. Cumque*

que

que uterque nostrum desiderio ejus satisfacere vellemus; in nos recepimus, ad Emmanuelem Martinum scripturos esse: qui certior factus, e vestigio Tibi (nec vero invideo, Decanus enim mihi rescripsit, ut summa gloria me perfunderet, esse Te, alterum me) Tibi, inquam, misit autographum ipsum, ut per Te in manus perveniret Amplissimi viri: cujus beneficio factum est, ut Epistolae illae, itemque ejusdem Decani aureolus libellus ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, *sive* De Animi Affectionibus, *in lucem prodierint. Nisi Tu igitur de me honorifice, ut soles, loquutus fuisses; nisi meas, unaque Decani Epistolas legendas dedisses egregio illi literarum fautori; frustra reliquae lucem exspectassent publicam. Et quid interea Tu? Me urgere, impellere, ut* Vitam *hanc, quam a me scriptam sciebas, publici juris facerem. Pergite, pergite, literarum Patroni. Jacentes literas erigite. Excitate, si potestis, vestro exemplo & auctoritate, tantae gloriae aemulatores. Qui nisi fuerint; quid superest, nisi ut, qui bonarum artium studio tenemur, vitam otiosi & inglorii per summam inertiam transigamus? Quoniam igitur & mihi, & Emmanueli Martino tantopere faves; accipe Libellum,*

bellum, in quo, & amorem adversus Decanum, & indulgentiam erga me exercere poteris. Equidem ego vix quaerere poteram argumentum aliud, in quo mihi abs te venia esset paratior: quam si mihi indulseris, plurimi faciam humanitatem tuam; si non concesseris, & errata mea castigaveris; multo pluris faciam quidquid emendare volueris. Scis quanti aestimem obelismos tuos. Plus quam Cicero Attici ceras illas miniatulas. Scilicet in te Natura contulit peracutum ingenium; optimorum Auctorum lectio eximie roboravit judicium tuum; integritas amabilem Te; affabilitas charum facit omnibus. Et tamen Prudentia principatum obtinet inter virtutes tuas. In quibus praedicandis ego multus essem, nisi de Te loquerer apud Te, modestissimum virum. Praeterea beneficiorum abs Te acceptorum memoria potius postulat, ut ob tua erga me magna merita ad Tibi gratias agendas me convertam. Nam & Tibi debeo maximorum hominum patrocinium; & meorum studiorum aestimationem aliquam apud praestantes judicio & dignitate viros, &, quod ego ut summum beneficium acceptum fero, amicitiam tuam, ex qua jucundissimos amoris, doctrinae, omniumque suavitatum fructus percipio.

Sae-

Saepe enim expertus ſum, Te benevolentia erga me prope incredibili affectum, cum nullam mei ornandi occaſionem praetermittas; & ex communicatione tua quotidie ſentiam me multum proficere; cum Tibi ſemper in ore ſint veterum & recentiorum Sapientum cordatiſſima dicta; optimorum Poëtarum, Italorum, Hiſpanorum, Latinorum, Graecorumque ſententiae ſelectiſſimae; ſcriptorum omnis generis gratiae: ut in Te aeque mirer delectum, ac copiam: haec a memoria tenaciſſima; ille a prudentia venit ſingulari. Quae cum ita ſint, minime miror, Rempublicam tuam tam ſapienter ſibi conſulere, quae Te iſto judicio, morum gravitate, doctrina, rerumque uſu praeſtantiſſimum virum, tali munere vult fungi, quod non niſi prudentiſſimis hominibus, tuique ſimilibus (qui perpauci ſunt) committi debet. Quo fit, ut Reipublicae tuae beneficio praeſentia tua fruamur; tuarumque virtutum admiratione Reipublicae tuae providentiam maxime laudare debeamus. Deum veneror, ut tot tantaque bona Tibi velit eſſe perpetua. Madriti. Ex Muſeo, Poſtridie Kal. Auguſt. An. MDCCXXXV.

EM-

EMMANUELIS

MARTINI

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

VITA,

SCRIPTORE

GREGORIO MAIANSIO,

Generoso Valentino.

CLarorum Virorum qui vita functi fuerunt, facta moresque posteris tradere, saeculis omnibus usitatum; sed viventis adhuc virtutes ipsis praesentium oculis animisque spectandas admirandasque proponere, ut factu pulchrum, ita invidiosae plenum opus aleae. Humanum enim ingenium praeterita plerumque veneratione, praesentia invidia prosequitur; ipsamque illam virtutem, quam ex oculis sublatam gravissime quereretur; odisse solet praesentem. Adeo recti cognitionem invidia, aut impedit, aut opprimit. Sed, si nostra memoria licuit eruditissimo viro Petro Danieli Huetio Commentarium scribere de rebus ad se pertinentibus; cur mihi bonae tantum conscientiae pretio ducto non li-

ceat etiam prodere memoriam illius, qui tanquam sibi supervivens & posthumus, gloria per sapientiam apud exteros adepta fruitur; nostratum oblivione, in Alonensibus latebris, tanquam in aeterna domo requiescit, & tale sepulchrum sibi invenisse gaudet. Ergo mihi nunc narraturo Vitam Emmanuelis Martini, Decani Ecclesiae Alonensis, nullam aliam nisi inconditi rudisque stili peto veniam. Nam etsi cursaturus sim saeva & infensa virtutibus tempora; aeque mihi gloriosum erit, tanti viri famam sine gratia & ambitione propagare; ac nonnullis facile, incoepto meo detrahere, propter ignorantiam recti invidiamque. Quibus licet frendentibus; apud cordatos tamen sapientesque viros semper hic Liber, honori summi mei amici praeceptorisque unici destinatus, professione amoris pietatisque, aut laudatus erit, aut excusatus.

1. In eo Regni Valentini tractu, quem Illercaones olim tenuere, sita est Oropesa, obscurum olim oppidulum, jam vero clarissimum propterea quod XIV. Kalendas Augustas Anni MDCLXIII. ibi natus fuit Emmanuel Martinus, qui sibi patriaeque suae, sapientiae praerogativa claritudinem peperit sempiternam. Patriam ipse suam elegantissime descripsit, oratione soluta in epistola ad Cl. Virum Jo. Basilium Castelvinum, data pridie Eidus Februarias Anni MDCCIII. Stricta autem in Apasterosi, Elegia eruditissima, in qua Arcam, vicennalium peregrinationum comitem, itinerum attritu ac vetustate fatiscentem, summo artificio & elegantia mirifica descripsit, & quadam veluti consecratione inter Astra collocavit.

2. Ortus è Parentibus honestissimis laudatissimisque propter vitae innocentiam suavissimosque mores: Patre scilicet Josepho Martino Oropesano, Matre Maria Zaragoza Turralbina. Rei familiaris copia, ac facultatibus, satis instructis, ex agrorum proventu, ac re pecuaria: quae domus decorem dignitatemque abunde sustinebant.

2. Infantiam & huic proximam aetatem Oropesae in gremio Matris transegit. Unde, cum annum ageret sextum, Turrem Albam translatus est, ubi literarum elementa didicit apud avunculum & aviam maternam.

4 Decennis Castulonem missus ut prima Latinae linguae rudimenta acciperet a Michaele Falcone, cujus nomen illis temporibus erat celeberrimum, propterea quod vulgares Grammatices Institutiones aliquan-

quantulum reformaverat, edito *Compendio Syntaxeos*, levidensi quidem opusculo, sed in quo illud merito laudes, quod plerumque sequitur doctrinam Francisci Sanctii Brocensis, Grammaticorum Principis. Michael ille Falco nominis sui sonitu deceptus irridendo fastu jactitabat, se originem ducere a Proba Falconia: quae Falconia, sive potius Faltonia, floruit anno CDX. fuitque avia Demetriadis illius Virginis a Sanctis Patribus tantopere laudatae; praeterea Graece & Latine eruditissima, ut ejus opera testantur; ingenio vero maximo, quod mirabiliter elucet in Jesu Christi Vita Virgilianis versibus contexta.

5 Cum puer adhuc Castulone Grammaticae daret operam, domum a parentibus accersitus, ut die octava Septembris sacris Dominicis interesset, quibus Virginis Matris dies Natalis peragebatur, more institutoque ejus familiae; cumque a coena ivissent cubitum, vixque lectum conscendissent; fulmen in cubiculum decidit, ubi ipse ac parentes cubabant. Quod ter pueri lectum circumactum, foras erupit, omnibus illaesis praeter servum, cui crura, manus, & brachia afflata atque ambusta.

6 Grammaticis praeceptionibus imbutus anno aetatis suae decimo tertio Martinus se contulit Valentiam Regni Metropolim, & amoenitatis sedem, ibique per triennium Philosophiae operam navavit sub Magistro Vincentio Stephano. Quo tempore, ut ipse postea dictitabat, egregie didicit artem exercendi praeconium: intentus enim puerilibus nugis, de quaestiunculis suberis umbra levioribus, invicta voce cum condiscipulis per multas horas contendebat.

7 Deinde se dedit sanctioribus Theologiae Scholasticae studiis, nactus praeceptores eo tempore celeberrimos, Marcellum Maronam Valentinum, qui tranquillitatis amore, Episcopatu Oriolano abdicavit se postea, studiosam vitam iterum amplectens: Joannem Baptistam Scuderium Castulonensem, virum ingenii acutissimi: Franciscum Milanum Aragonium, Durandi Doctrinae Professorem, omnes Dominicanae familiae: & Antonium Pratensem Valentinum, Metropolitanae Ecclesiae Praepositum primum, ac deinde Canonicum. Sub quibus Magistris Theologiae operam navavit quatuor annos.

8 At Martini ingenium disciplinarum orbis capax intra illa studia se continere non potuit. Itaque ut iis subsidiis animum instrueret, quibus munitus easdem illas disciplinas majori cum fructu ac voluptate

excolere posset; humaniorum literarum studiis se commisit. Percommode accidit, ut Valentia eo tempore maxime floreret studiis. Praesertim Poetices, propter aemulationem duarum Academiarum, *Parnassi*, & *Arcis*, per quas saeculum Poeticum renovare Valentia visa est, magno juventutis bono, quae deliciis illis intenta voluptatis illecebris capi se non ita facile sinebat. Ipse in Parnasso nomen professus est, & nomen illi potuisset facere, confluentibus in eum Musarum omnium ornamentis. In illa Academia innumerabilia panxit poematia luxuriantis ingenii praeclarissima indicia, & Poeticam facultatem jam in illa aetate indicantia. Josephus Rodrigezius, qui *Bibliothecam* scripsit *Valentinam*, etsi imperfectam, laudavit quatuor *Comoedias*, quae in Theatris magno cum plausu actae sunt. Praeterea *Gigantomachiam*, Poema heroicum octonis Rhythmicis versibus. Quae omnia ipse severiori postea judicio, flammis commisit; sicut & *Sylvam* etiam quam publicavit, probante Cl. Joanne Turritano Gueravio, haereticae pravitatis Inquisitore, viro ingenii amoenissimi. Scripsit eam Sylvam ad imitationem primae Ludovici Gongorae, profundissimi ingenii, & exquisitissimae eruditionis viri, famaeque etiam clarissimae. Utinam & stili. Nam cum profanum vulgus nimis odisset, & a scriptis suis arcere vellet, scribendi genus adamavit, novis vocabulis refertum, translationibus & transpositionibus audax. Magno certe reipublicae literariae malo, cum imparis eruditionis homines, qui, si clare loquerentur, in nullo essent pretio; orationem obscurando (exemplo Gongorae) sibi videantur ingeniosi, quia magno ingenio opus est ad intelligendum id quod vix ipsi sciunt. Utinamque aliquando sapere inciperent, ut Emmanuel Martinus, qui abjecto illo aenigmatico scribendi genere perspicuitatem orationis & evidentiam mirifice sectatus est. Quo factum est, ut res non gestas, sed pictas oculis ipsis videatur proponere: non solum in Poetica, quae est Pictura loquens, sed in oratione etiam soluta.

9 Praeditus vero fuit oestro Poetico adeo mirabili, ut, non immerito Poetae dicantur nasci: nam & decennis fecit Hispana Epigrammata (Nostrates appellant *Sonetos*) quae publicari meruerunt; & tanta facilitate versus pangebat, ut quicquid tentaret dicere, versus esset. Quod de P. Nasone & nostrate Felice Lupo Vega memoriae proditum est. Qua fiducia effundendi versus confisus, cum in

coetu

coetu nobilissimorum virorum, lectissimarumque feminarum, aliquando rogaretur ut recitare vellet Historiolam aliquam Poeticam; respondit se memoriae suae mandasse nullam; ex tempore tamen recitaturum quamlibet, argumento sibi proposito. Placuit praesentibus conditio, & argumento dato, subito calore, veluti novus Lucanus, magnum versuum numerum effudit, summa audientium voluptate, & admiratione. Ejusdem extemporalis facultatis saepe fecit periculum in Latinis versibus. In qua lingua ut aliquod ingenii, & eruditionis specimen daret, natus annos duodeviginti, scripsit viginti Elegias, quas inscripsit *Amaltheam Geographicam.*

10 Incredibile dictu est, ut omnium mentes oculosque in se converteret adolescentulus, praeditus, cum mirifica illa facilitate pangendi carmina, aliisque ingenii virtutibus; tum facie liberali. Nec sine magno ejus periculo. Nam cum nobilissima femina adolescentem deperiret; ipse natus annos duodeviginti, ut absentia sua extingueret effraenem illum amorem, & a praesentissimo periculo se liberaret, ad Oscensem Scholam vetustate nobilem, tanquam ad Minervae Asylum confugit, ibique mansit, donec feminae amore percitae insano aestu defervescente, tuto Valentiam redire potuit.

11. Animadvertit Martinus linguam Graecam omnis sapientiae thesaurum esse, & absque illa in studiis multum progredi velle, perinde esse, ac navigationem felicem velle conficere sine velis remisque. Verum ejus linguae cognitionem appetenti Magister deerat, qui doceret illam. Sed cum opportune Hesiodus quidam Graeco-Latinus illi obtigisset ex supellectili libraria affinis cujusdam, qui tum decesserat; hunc quasi e coelo missum arripuit, & incitatus studio Graecae linguae discendae, nomina propria, in quibus in utraque lingua vix ulla est literarum mutatio, conferre coepit, & facta quadam analysi, collegit notavitque singularum literarum figuram proprietatemque; & Alphabeto sibi confecto, didicit Graece legere, nulla verae pronuntiationis habita ratione.

12 Habent hoc praeclari conatus, ut tametsi effectu destituantur; prospero tamen successu nunquam careant, si homo eos suscipiat generosi spritus. Nam quod quis non potest una via adsequi, alia tentat. Sic Martinus, cum Valentiae non haberet Praeceptorem, aut monitorem aliquem idoneum, qui per certissimam verae gloriae viam

ſe veluti manu duceret; ſtatuit Romam proficiſci, ſperans fore, ut in Urbe Principe Orbis adipiſceretur Magiſtros idoneos ad quamcumque artem ſcientiamve. Itaque anno MDCLXXXVI. aetatis ſuae viceſimo ſecundo jam exacto, Romam verſus iter ſuſcepit, alacriterque confecit. Utque è diverſorio ſito ad quintum ſextumve lapidem, aeternam Urbem aſpexit, ejus amore correptus, ſalutavit eam centum quinquaginta verſibus, quibus cecinit laudes terrarum dominae.

13 Ingreſſus Romam, veluti novo ſapientiae amore inflammari coepit, ubi conſpexit, vel bruta ſaxa & ſigna, multa eum docere poſſe. Sibi venit in mentem, Jo. Picum Mirandulanum linguam Hebraicam intra paucos dies, Joſephum Scaligerum Arabicam ſine Magiſtro didiciſſe. Itaque aemulus virorum praeſtantiſſimis ingeniis, ſtatim emit Inſtitutiones Graecae linguae, quibus nullo uſus praeceptore, adeo egregie operam navavit, ut exactis ſolum ſeptem menſibus, Ovidianam Ulyſſis ad Penelopen Epiſtolam, Graecam fecerit. Tantumque brevi tempore in ea lingua progreſſum fecit, ut non minorem ac in Latina facilitatem ſcribendi loquendique adeptus fuerit: quam ſibi comparavit quotidiana ſcribendi exercitatione. Adhuc hodie ſervat aliqua Poematia, quae adoleſcentulus ſcripſit; & tamen partus videntur maturioris aetatis: ne unus Angelus Politianus in hoc gloriae genere triumphet.

14 Mox dedidit ſe linguae Hebraicae, adeo felici progreſſu, ut ſpatio quadraginta dierum non ſolum legere, ſed & literas perelegantter ſciret appingere: &, quod eſt mirabilius, Inſtitutiones Hebraicas tam brevi tempore imbibit. Agnovit ſtatim anguſtiſſimum eſſe ejus linguae campum, cujus finibus ſolum continetur Teſtamentum Vetus, & Divi Matthaei Evangelium. Nam Rabbinorum lectio, fabularum & ſuperſtitionum feraciſsima, perquam apta eſt ad mentes animoſque corrumpendos. Ea propter vale dixit ſtudio, quod licet ſacram eruditionem appetentibus utiliſſimum ſit; viros alioqui cordatos, inſipientes ſolet efficere.

15 Animadvertit Gallicam linguam omni ſcriptorum genere locupletatam maxime conferre ad eruditi hominis cultum ornatumque; eamque didicit, uſus inſtitutore, homine Gallo. Sed ſuopte ingenio incitatus in amoeniſsimum bonarum artium campum, dedit:

atque

atque ut minus desiderarentur Sex postremi Fastorum Libri Ovidiani, Duodecim ipse panxit miro artificio. Praeterea edidit *Amaltheam Geographicam* Romae, Typis Dominici Antonii Herculis, An. MDCLXXXVI. in 8. Quod opus Miscellaneum est, dividiturque in viginti Elegias, quarum argumenta indicavit ipse Auctor decem Distichis, quae Josephus Rodrigezius transtulit in Bibliothecam Valentinam.

16 Anno elapso ex quo Romam ingressus fuerat, referri voluit in album Academicorum qui vocabantur *Infecundi*. Unde nactus fuit occasionem exercendi ingenii in pangendis versibus Etruscis, quibus ad miraculum excelluit.

17 Eodem anno Elegiarum Librum conscripsit, cui fecit titulum *Amorum*. In illis Camillam celebravit, ut Catullus, Tibullus, & Propertius, Lesbiam, Cynthiam, Deliamque. Quamquam illi fictis nominibus (si fidem meretur Apulejus) intelligebant Clodiam, Hostiliam, Flaviamque) Martinus vero ingenii solum exercendi gratia sibi finxit Camillam, tum honestioris vitae, quam Ovidiana Corinna; tum elegantioris ingenii; cum non solum ab se ad illam, sed ab illa etiam ad se Elegiae exstent suavissimae. Has Elegias Emmanuel Martinus, cum Gabriel Joannes Reginerius vir ingenii praeclarissimi scripsisset Epistolas Eroticas Lycoridi cuidam, quas in amicorum coetu, praesente Martino recitaverat; occasione arrepta, Reginerio misit, qui celebravit eas ingeniosa, & bene docta epistola.

18 Postea Tiberis alveo suo derelicto inundavit agros vicosque Urbis Romae: Martinusque imitans Statium Papinium, *Sylvam* scripsit *De Tiberis Alluvione*, eamque edidit apud Joannem Jacobum Comarech, Anno MDCLXXXVIII. in 4. Donavit Sylvam illam Martinus Josepho Saenzio Aguirrio S. R. E. Cardinali Presbytero, viro sapientissimo recens in Urbem advenae.

19 Cardinalis prudentissimus adolescentis ingenium & eruditionem supra aetatem admiratus; rogavit eum, ut apud se esse vellet, honestandus titulo Commensalis, & ut sibi esset a Bibliotheca. Qui titulus summus est Romae apud Cardinales & Principes. Martinus alacer conditionem admisit, nactus tam egregium studiorum patronum, &, quod in votis maxime habebat, occasionem studia excolendi: & ut sibi videbatur, laborandi etiam in utilitatem publicam

Neque

Neque ſpes eum fefellit. Statim ei Cardinalis mandavit, ut adjuvaret ſe in digerendis Notis, quas ad Hiſpaniae Concilia Nationalia, & Provincialia praeparaverat, & in adverſariis habebat. Quod Opus praeclariſſimum multos jam annos verſabat, & prope jam amiſerat ſpem ad exitum perducendi, quoniam idoneum ad illud perficiendum adjutorem invenerat nullum. Incubuit Martinus Aguirrii ſchedulis ordinandis, tranſcribendiſque, ſtudio ſane pertinaci: ac poſtea immortalis Operis editioni praefuit, quod Emmanuele Martino accurante prodiit anno MDCXCIV. magna cum Hiſpaniae gloria, ſummoque Rei publicae Chriſtianae bono; ſed Martini valetudinis non exiguo detrimento. Etenim res erat ſummi laboris praeparare exemplar quod duobus praelis ſufficeret, & emendare ter ſingulas paginas. Qua laboris aſſiduitate & contentione mirum in modum afflicta fuit Martini valetudo; nam deficiente ſtomachi calore, cibum concoquere nequibat. Unde capitis dolores, & contumaciſſimi vomitus, qui ſingulis ſeptimanis bis, aut ter, infeſtabant eum.

20 Adoleſcentiam ingreſſus eo morbo infeſtari ſolitus eſt, quem Graeci vocant ἐφιάλτην, Latini *Incubum.* Non quidem nocturno illo, ſed pomeridiano. Corripiebatur enim eo meridiationis tempore; cum fatali quadam ἀκινησίᾳ atque ἀφωνίᾳ, totiuſque corporis marcore, animo tantum excubante. Morbi autem vi in dies acrius ſaeviente, Eminentiſſimo Cardinale Aguirrio impulſore Marcellum Malpighium conſuluit, medicum Pontificium, eaque tempeſtate nobiliſſimum. Qui eruditiſſimo reſponſo cauſſas morbi aperuit, Auctorem impendentis periculi admonuit, illique diaetam praeſcripſit. Verum ille (ut eſt medicarum nugarum ſtrenuus irriſor) moleſtiſſima curatione contemta, ſola capitis erectione liberatus eſt. Donec patriam reverſus, ſalubrioris aeris beneficio tam infeſtum hoſtem a ſe amovit.

21 Sed licet Martinus Romae eſſet adeo afflicta valetudine; tamen ſtudiorum intemperantiam vix cohibere poterat. Certe ſaluti ſuae parum conſulebat: nam etſi Conciliorum editioni incumberet; tamen illud tempus quod animo recreando tribuere debebat, in amoenioribus ſtudiis excolendis impendebat, omnibuſque viis tentabat ad immortalitatem ire.

22 Eo tempore de Homeri poemate memoriae tradendo (quod

fertur de Fulgentio Rufpenfi) ferio cogitavit. Tantoque molimini omnes machinas admovit. Sed cum videret fieri id minime poffe fine maxima temporis jactura, & reliquorum ftudiorum difpendio; aliunde autem vereretur, ut tanto labori fuftinendo vires fufficerent; tam improbi conatus cogitationem abjecit: cum bonam tamen Homeri partem devoraffet.

23. Sed cum maximi viri ingenium otiofum effe non poffet, libellum fcripfit *De Poculis Veterum*, ubi univerfa quae ad Veterum Pocula & Sympofia fpectant, difcuffit illuftravitque. Quem Tractatum Alonae poftea ipfe flammis commifit. Praeterea oblectabat fe in felectiffimis. M. Valerii Martialis Epigrammatis Graece reddendis, imitatus M. Tullium Ciceronem, & Jofephum Juftum Scaligerum, quorum ille Arati Phaenomena; hic Sophoclis Ajacem Lorarium, Martialis etiam & aliorum Epigrammata aliquot, pluraque alia, quibus graviora ftudia intermittebat. Praeterea Theocritum emendavit illuftravitque Emmanuel Martinus Notis eruditiffimis, quibus magnopere indiget Auctor ille, quafque utiliffimum effet publici juris fieri. Etfi opus illud non eft abfolutum.

24. Paucis ante annis fub aufpiciis Sereniffimae dum in vivis ageret, Chriftinae Mariae Alexandrae, Guftavi Adolphi filiae, Suecorumque Reginae, Romae inftituta fuit Arcadum Academia, eaque in Regiis Hortis fub Monte Aureo celebrari folita. Poft Reginae obitum translata fuit ad Hortos Farnefianos in Monte Palatino fitos, in eundem fcilicet locum, ubi Evander Arcas fedes olim fixerat. In ea Academia cum de Legibus ferendis ageretur, Duodecemviri Legibus condendis creati fuerunt. Quorum unus fuit Emmanuel Martinus. Quas cum illi compofuiffent, eas poftea advocata Arcadum concione promulgavit Janus Vincentius Gravina, Jurifconfultus eruditiffimus; ingenio vir perpolito. Quam orationem pro Legibus Arcadum, fcriptam edidit poftea cum aliis opufculis oppido elegantibus. Moris erat in Arcadum Academia, ut qui in eam ingrederentur, nomen fuum mutarent, fumerentque alterum Graecum, quod patriam demonftraret in antiqua Arcadia contentam. Qua de cauffa Martinus vocari voluit Eumelus Olenius, id eft, Paftor ovium pinguium, natus Oleni Arcadiae oppidulo.

25. Annus agebatur nonagefimus fecundus faeculi decimi feptimi,

cum Senensis quidam, Cardinalis Petri Otthoboni a poculis, vir excellentis ingenii, sed effraenis linguae, assumto nomine Q. Sectani, spargere coepit Satyras virulentissimas, quibus Romanos mores exagitabat, vera falsis involvens. Nam personae tegumento confisus, invehebatur in optimos quosque viros, ac honestissimas feminas. Praecipue vero venenata spicula dirigebat adversus Janum Vincentium Gravinam egregiae doctrinae, & nitidissimae dictionis virum, quem veluti digito designabat sub nomine modo Philodemi, modo Bionis. Quod nomen illi erat inter Arcades. Mirum erat, quot quantisque laudibus Satyrae illae efferrentur: adeo ut triumviri illi corrigendis moribus veluti nati, Horatius, Persius, Juvenalis, parum acute vidisse Urbis vitia viderentur prae Q. Sectano. Sed Martinus non potuit aequo animo ferre Satyrici insolentiam, immoderatas Satyrarum laudes, totque praestantibus viris feminisque illatas injurias, maxime Gravinae suo: propterea que tum venerandae antiquitatis, tum honoris illis erepti vindicias in se recepit; scripsitque *Satyromastygem*, sive Notas Criticas in Q. Sectani decem priores Satyras. Qui liber ingenii validissimi videtur partus, licet Martinus eo tempore parum corpore valeret. Quam ob caussam Georgio Baglivio celeberrimo medico se invisenti, Notas suas communicabat, & per hunc misit Gravinae suo XVI. Kal. Aprileis, An. MDCXCIV. Qui Martino gratias egit maximas pro immortali beneficio; rescripsitque literas tanto philosopho dignissimas. Neque his contentus, remuneravit postea gloriae suae vindicem *Dialogo de Lingua Latina*, ubi Emmanuelem Martinum induxit disputantem, etsi non ea dignitate quae tanto viro conveniebat. Quamquam enim stilus est limatissimus; doctrina tamen puerilis, & tanto critico impar. Ut merito Gravinae voluntas; non autem retributio laudari debeat. At Satyromastigis stilus, acer, aculeatus, eutrapelus; festivusque simul. Itaque inter literatos eo tempore vix de alia re, quam de Notis Criticis sermo erat. Eas legere, & exscribere negotium praecipuum. Omnes earum Auctoris admirari ingenium, celebrare acumen, utriusque linguae praestantiam ad coelum efferre. Denique eo deventum, ut plures Legati Regii ad suos Principes miserint Notas illas. Praesertim Arcades Martino in Academiam ingredienti applaudere, & tanquam venerabundi assurgere ad tanti viri

con-

conspectum. Ut mirandum non sit, Martinum per vias publicas euntem, veluti Demosthenem alterum designari digito. Tanta erat apud omnes illius existimatio & reverentia.

26. Nec propterea Martinus de diligentia quicquam remittebat. Nam quo plus famae adipiscebatur, eo magis cogitabat sibi decus & gloriam comparare ab omni literarum genere. Propterea tam in Poetice Etrusca, quam in Latina mirificos progressus fecit. Nam triennio elapso, postea quam Romae vivere coepit, Etruscos versus adeo facile pangebat, ut admirationi esset ipsis Italis, qui plane in Musicis studiis nationes omnes antecellunt. Praecipue vero gratissimas ei aures praebebat Alexander Guidius Parmensis, Poetarum Etruscorum illis temporibus Princeps, qui una cum Regina Sueciae, Christina Maria Alexandra conscripsit insigne Drama, cui titulus *Endymion*, & oestro Pindarico vertit Clementis XI. Homilias, quarum versionem sapientissimus Pontifex plurimi fecit; tantoque amore Auctorem prosequutus fuit, ut ei defuncto magnis sumtibus posuerit tumulum marmoreum.

27. Forte ridiculum videbitur; silentio tamen perpetuo minime mandandum, quod inter alia contigit apud Alexandrum Guidium degentem in Palatio Farnesiano. Eo singulis hebdomadis eruditissimi viri confluebant eloquentiae caussa. In illo coetu gravissimo Emmanueli Martino facetiarum parenti praescriptum fuit argumentum *Pro crepitu ventris*. De quo orationem scripsit adeo purgatissimis auribus acceptam, ut Cardinalis Aguirrius celebritate plausuum permotus (tantus est in hominibus novitatis amor) eam audire voluerit, & in argumento levissimo, summi viri ingenium, dicendique copiam facetissimam admiratus fuerit.

28. Haec erant ingenii Martini veluti laxamenta. Nam & suum etiam nomen professus fuit in Academia Dogmatica: in qua recitavit aliquas Disputationes, quae summo omnium plausu auditae fuerunt: meruitque ut sapientissimus Aguirrius publicam adversus se disputationem haberet: in qua expertus fuit, quantus esset ille vir in Religionis Catholicae Dogmatibus.

29. Praeterea Martinus frequens adibat Bibliothecas, cum privatas maximi nominis, Barberinam, Otthobonianam, alias; tum publicas, ut illam Sancti Augustini, quam reliquit eruditissimus vir

Lucas Holſtenius; tum etiam illam Sapientiae, quam inſtituit Alexander VII. qui in eam ab Heidelberga deportari juſſit celebrem Bibliothecam Palatinam, itemque Dynaſtarum Veronenſium, cum in illa domo defecit proles.

30. In Bibliothecis illis, non ſolum cum ſaeculorum omnium Magiſtris, ſed cum viventibus etiam maxime celebribus jucundiſſime vitam tranſigebat. Praecipue vero frequentabat Bibliothecam Vaticanam, ut videret conferretque codices antiquos, tam Latinos, quam Graecos. Qua occaſione, amore antiquitatis quo flagrabat, nonnullos Codices manu ſcriptos pervetuſtos, praeſertim Bibliothecae Otthobonianae, contulit cum editis exemplaribus melioris Notae; ut ne tempus aliquod iners abiret. Solebat enim illud crebro inculcare πολυτελέστατον 'ανάλωμα ὁ χρόνος. Ex iis Collationibus praegrande confecit volumen Variantium Lectionum. Sed in Hiſpaniam reverſus; cum librorum copia deſtitueretur, vidiſſetque noſtrates hoc ſtudii genus pro nihilo putare, & exiſtimare ejus profeſſores nihil agere; animum deſpondit; ac tametſi Collationes illas apud ſe retineret; poſtea tamen diſcerpſit, anno nimirum MDCC. Quare dicere ſolebat, patriam ſibi obſtitiſſe, quo minus aliquam ſui memoriam poſteris relinqueret.

31. Quo tempore autem Collationes illas conficiebat, lectione prope infinita ſe quoque conficiens; cum ab amicis in eo genere ſtudii, quodam veluti intemperantiae vitio argueretur; dicere ſolebat, aegre ſe e vita diſceſſurum, niſi prius legiſſet quicquid uſquam ſupereſſet ex Latina & Graeca antiquitate, quam non ſolum venerandam, ſed quodammodo habebat ſacroſanctam. Itaque anxie perquirebat quaſcumque invenire poterat priſci alicujus Scriptoris reliquias: fortunatiſſimumque ſe exiſtimabat, ſi vel duos verſiculos nondum editos inveniret: ſemperque in ore ferebat laudabatque immortalem illam diligentiam Coſmi Medicei Etruriae Dynaſtae, Nicolai V. Pont. Max. Ant. Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, Nicolai Claudii Fabricii Senatoris Aquiſextienſis, aliorumque ſimilium, qui ut Manuſcripta per Orientem perquirerent, quibus literarum ſtudia adjuvarent; nullis ſumtibus pepercerunt.

32. Cum Martinus igitur vetera Manuſcripta aſſidue contrectaret verſaretque; id inter alia aſſequutus fuit, ut uniuſcujuſque Manuſcrip-

nuscripti aetatem facillime designaret. Praeterea collegit CL. antiqua Epigrammata Graeca nondum edita, quae manu sua descripsit ex antiquissimis Codicibus, & utilissimum esset, ut adderentur Anthologiae Graecae.

33. Interea dum Conciliorum editio absolvebatur, animumque Martinus in amoenioribus studiis pascebat, nova gloriae seges ei parabatur. Nam Cardinalis Aguirrius, qui maximi illius viri Nicolai Antonii summus amicus fuerat, & in Salmanticensi Academia etiam olim studiorum comes; promissorum suorum memor ab heredibus ejus contendebat, ut Bibliothecam Hispanam Veterem praelo jam destinatam ad se mitterent sumtibus suis publicandam. Quam ubi vir summus obtinuit, Emmanueli Martino illam tradidit, ut editionem ejus curaret adornaretque. Cui rei plenissimum jus in egregium illud opus Martino concessit, ut videre est in Praefatione Cardinalis ad Lectorem, ubi ipse Aguirrius candide confessus est, Notas ad marginem appositas nomine suo, non esse suas, sed Emmanuelis Martini, cui Cardinalis, qui Æsopeam corniculam imitari nolebat, gloriam illius studiis debitam praeripere noluit, & arrogare sibi; sed Auctori suo restituit integram. Prodiit Romae opus immortale anno MDCXCVI. tanto omnium eruditorum plausu, ut fateantur omnes nullam aliam nationem Bibliothecam habere ita omnibus numeris absolutam. Sed dolendum est, Bibliothecam Rabbinico-Hispanam (licet imperfectam) quae tunc inveniri non potuit, post aliquot annos, jam vita functo Cardinale, Matriti inventam fuisse apud Hadrianum Koningium, Nicolai Antonii heredem, cui Regia debet Bibliotheca summi illius viri Manuscripta omnia.

34. Interea Martinus maximi operis amore flagrans, cogitare coepit de scribendo Latinae Linguae Etymologico Magno, quo lingua illa magnopere indiget. Nam quod superest ex Varrone Romanorum omnium doctissimo, magna ex parte puerile, ac futile est. Isidori Hispalensis ineruditum ac barbarum, non viri doctissimi, sed illorum temporum vitio. Centum & viginti libros *de Originibus Linguae Latinae*, quos scripsisse dicitur C. Julius Caesar Scaliger, memoriae proditum est, conflagrasse in ejus domus incendio. Gerardi Joannis Vossii Etymologicon, caeteroquin eruditissimum, & ingentis laboris judiciique opus; tamen est diminutum, utpote

posthumum. Denique Claudii Salmasii Etymologicon, quod ipse passim laudat in operibus suis, nusquam comparuit: cum tamen alia ejus opera posthuma edita sint: ut non injuria suspicari possis, Salmasium vendidisse fumos. In eum itaque finem Martinus Adversaria coepit parare. Sed considerans postea, se non posse ad exitum perducere illud opus, neque Romae, quoniam in Hispaniam esset rediturus; neque in Hispania, quoniam libris ad eam rem necessariis cariturus esset; ab incoepto destitit. Ne tamen conatum gloriosissimum omnino abrumperet, omnesque spes videretur ipse sibi velle praecidere, consilium coepit cumulandi in schedas meditationes varias eodem collineantes.

35. Hoc vitae instituto sibi conciliavit Martinus benevolentiam amoremque literatissimorum hominum, & aliorum quam plurium dignitatibus praecellentium. Inter quos fuere amplissimi Cardinales, Casanata, Carpegnia, & Panciaticus. Maxime vero familiarissimi ei fuerunt Henricus Norisius, Bibliothecae Vaticanae primum Praefectus, deinde Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalis, vir ingenii acutissimi, magnae sapientiae, profundissimae eruditionis, & Chronologiae fax lucidissima.

36. Laurentius Zaccagna Bibliothecae etiam Vaticanae Praefectus, Graecae Linguae peritissimus, qui Ecclesiastica Fragmenta Graece scripta edidit cum eruditissimis Notis.

37. Philippus Bonarota Florentinus, Antiquarius Dynastae Florentini, vir antiquitatis consultissimus, qui eruditissime illustravit ediditque Numismata maximi moduli Musei Carpiniani, & alia opera exquisitissimae doctrinae.

38. Januarius Capellarius Neapolitanus praeditus ingenio praestantissimo, & oestro Poetico mirifico, qui Poema scripsit *De Immortalitate Animae*, illudque manuscriptum dedicavit Emmanueli Martino, & an luce publica donarit, incertum. At certe illud recitavit Auctor in congressu eruditissimorum virorum apud Ducem Parmensem, exitumque habuit tragicum, quem silentio praeterire satius est.

39. Marcellus Malpigius, Medicus illustris, cujus nomen celeberrimum ob Anatomiam Plantarum, quam ipse edidit, & ob alia opera, quae illo vita functo lucem viderunt publicam.

40. Hujus

40. Hujus Discipulus Georgius Baglivius, Medicus illustris, toti Europae notissimus.

41. Josephus de Juliis Romae quondam linguae Graecae Professor in Collegio de propaganda Fide.

42. Antonius Malegonellus, editis Orationibus celeberrimus; quibus Martinus praemisit Epistolam ad Lectorem anno MDCXCVII.

43. Praeter caeteros vero ei fuit charissimus Janus Vincentius Gravina sobriae cordataeque eruditionis vir, & nitidissimi stili.

44. Denique arctissimam necessitudinem habuit cum Raphaele Fabretto, & Joanne Ciampinio. His duobus comitatus ire solebat ad antiqua Urbis Coemeteria (*Catacumbas* vocant) quae subterranei sunt vici, in quos veluti cuniculi abdebant se primaevae Ecclesiae Christiani, Ethnicorum persequutiones fugientes. Et adeo late patent vieculae illae excavatae, ut ad octo vel novem millia passuum extendi dicantur. Eo igitur propter innumerabilia antiquitatis vestigia, eorumque indagandorum caussa, eruditissimi viri ingrediebantur duabus facibus accensis, praeparatoque etiam igni, ut si forte illae extinguerentur, iterum accendi possent. Praeterea ut gressus dirigerent, atque revertere scirent (sunt enim illa Coemeteria veluti quidam Labyrinthi erroribus obnoxii) tanquam filo Ariadnaeo, utebantur pyxide Nautica, ut ubicumque essent, poli situm noscerent, & egressum invenirent. Incredibile dictu est, quot antiquitatis vestigia ibi observarent homines illarum rerum investigatores sagacissimi.

45. Neque his finibus Martini studia continebantur. In Sacello Pontificio Paulino, festoque die Sancti Joannis Evangelistae, coram Innocentio XI. Pontifice Maximo, Sacroque Cardinalium Collegio orationem habuit summo auditorum plausu: deinde aliam ad Sacrum Collegium pro eligendo Summo Pontifice in postremo die Exequiarum Innocentii XI. Denique aliam in Basilica Lateranensi coram Alexandro VIII.

46. Hic adeo magni faciebat Martini merita, ut ei ad pedum oscula accedenti saepissime dixerit, num quid vellet? significavitque semel iterumque, ornaturum se illum dignitate amplissima, ubi primum adveniret opportuna occasio. Per decem autem annos, quibus Romae vixit Martinus, nulla alia dignitas, quae illius animum alliceret, in Regno Valentiae, nec in Dioecesi Dertusana, in qua erat

erat natale ſolum Martini, vacavit praeter Eccleſiae Alonenſis Decanatum, quem ipſe veluti neceſſitate adactus a Pontifice Maximo petivit, obtinuitque altero die poſtquam ſupplices dedit Codicillos. Quos cum Innocentius XII. accepiſſet, lapideo ſtilo voluntatem ſuam declaravit in averſa charta, verboque adjunxit, *videri ſibi Praebendam illam tanti viri meritis imparem.* Idque dixit Martino Cardinalis Panciaticus, eo tempore Prodatarius, Martinique egregius admirator.

47. Cauſſa petendi Decanatum haec fuit. Ludovicus Cerda Eceleſtae Princeps, Caroli II. Hiſpaniarum Regis Orator in Urbe Roma, optabat habere apud ſe Emmanuelem Martinum. Cardinalis Aguirrius, qui tunc erat Neapoli valetudinis recuperandae cauſſa, contendebat eum non dimittere. Ajebat enim Martinum veluti pedes manuſque ſuas eſſe, ſiquidem in ejus ſedulitate & induſtria famam ſuam depoſuerat. Hanc contentionem augebat clariſſimorum virorum aemulatio, accedentibus etiam occultis ſimultatibus. Cum autem videret Metymnenſium Princeps, precibus ſe nihil obtinere poſſe; vim adhibere tentavit. Scripſit matri ſuae, ut ab Hiſpaniarum Rege literas impetrare curaret, quibus Cardinali Aguirrio juberet, ut ſineret, Emmanuelem Martinum eſſe apud ſe. Quod impigra femina enixis precibus uſa, facillime obtinuit. Itaque Martinus, qui mallet Romae manere ſub tutela Principis Eccleſiaſtici, cujus amorem & beneficentiam expertus fuerat, quam apud ſaecularem, licet excelſi animi, ſpes captare incertas; neceſſitati ſervire coactus fuit: ſequutuſque eum fuiſſet Neapolim ad Regni Praefecturam proficiſcentem, niſi profectionis tempore aeger fuiſſet, decubuiſſetque cujuſdam maleficii cauſſa, quod ipſa venefica confeſſa fuit, & ob illud crimen fuſtibus vapulavit. Ipſo die quo Ludovicus Cerda ingreſſus fuit Neapolim, alia porta Aguirrius egreſſus fuit, ut ejus alloquium fugeret: cumque Romam perveniſſet, Martinus, ei reſtituit claves Bibliothecae, cujus ipſe Cuſtos Praefectuſque fuerat. Opportune tunc Alonenſis Dignitas vacavit, quam, cum petere Martinus decreviſſet, facile obtinuit, & reſidentiam poſcente dignitate, in Eccleſiam ſuam proficiſci ſtatuit Martinus igitur, & novae dignitatis nuncium, & cauſſam in Hiſpaniam redeundi detulit ad Eceleſtae Principem, qui de ejus dignitate multum illi gratulatus, reſpondit ſimul,

simul, aegre se id ferre, quoniam a sua spe se videret dejectum.

48. Eo tempore, anno scilicet MDCXCVI. Martinus in aedibus Sapientiae utriusque Juris lauream accepit; moxque iter in Hispaniam suscepit: quod partim navi, partim pedibus confecit. Nam Roma Barcinonem navigavit: inde pedibus Oropesam pervenit, trajecto Rubricato, ascensis Scalis Hannibalis, Tarracone, & Dertossa, quantum per angustias temporis licuit, lustratis. Patre suo salutato, Alonam se contulit: in quam Urbem pervenit ejusdem anni die penultimo; Dignitatis suae possessionem iniit; & anno MDCXCVII. ineunte sacros Presbyteri Ordines suscepit usus interstitiorum venia, quam secum in eum finem ab Urbe attulerat; quo tempore annum agebat quartum & tricesimum.

49. Biennio elapso de substituto cogitare coepit, propterea quod exagitabatur contumacissimis capitis doloribus provenientibus ex maritimis illis & meridionalibus ventis natura sua humidissimis, qui Alonam infestare solent. Qui capitis dolores, praeterquam quod assidui erant, adeo etiam graves & peracuti, ut noctes insomnes transigeret; accedente vomitu molestissimo, per quem ejiciebat magnam copiam bilis flavae ac porraceae. Accedebat praeterea, hominem assuetum maximorum virorum consuetudini, eorum desiderio literarumque tabescere, quas in illo Emporio colere pro votis non poterat. Itaque Romam remigrare cogitabat. Neque levis momenti haec caussa fuit, ut ei Pontifex concederet facultatem eligendi Vicarium: nam petentis aetas adhuc erat tenera, & residentiae tempus nimis breve. Anno igitur MDCXCIX. sibi Vicarium cooptavit Cl. Josephum Anastasium Martinum, probissimum & prudentissimum virum, qui Matriti decessit anno MDCCXXXI.

50. Emmanuelem Martinum Romam ire cupientem plurima negotia invaserunt, quae consilium ejus retardarunt, & coegerunt eum in Hispania manere. Triennio tamen posteaquam Alonae fuerat, Valentiam, Urbem amoenissimam, saluberrimamque migravit, sperans ibi fore, ut major occasio esset communicandi cum viris doctis. Et profecto in ea Urbe sibi arctissimo necessitudinis vinculo conjunxit nobilissimum virum Jo. Basilium Castelvinium Cervillionis Comitem, Vincentium Turresium, ornatissimum eruditissimumque juvenem; Thomam Vincentium Toscam Valentinum Congregationis

Oratorii D. Philippi Nerii Presbyterum, Theologum summum, Compendii Mathematici Scriptorem celeberrimum, Philosophiae apud nostrates Instauratorem egregium, denique virum morum suavitate & candore prope incredibili, qui Valentiae postea decessit mense Aprili, An. MDCCXXII. Vixit etiam conjunctissime cum Jo. Bapt. Coracciano Theologo sapientissimo, Philosopho & Mathematico insigni, Auctore *Arithmeticae Demonstratae*, quam juvenis in lucem emisit. Idemque postea scripsit *Vitam Sancti Petri Martyris*, & *Sancti Francisci Paulini*, quorum operum stilus facilis apertusque, suavissimos ejus mores candoremque referunt. Sed tamen edita ab illo opera, etsi doctissima, sapientiam ejus pro dignitate minime declarant. Nam modestissimus vir supprimit quam plurima scripta ad Mathesin spectantia: in cujus studiis vir laboriosissimus principatum tenet in Hispania: utpote qui annos LVI. summa animi contentione in iis insudavit. Neque hujus vigiliis parum debent scripta Thomae Vincentii Toscae, cui Coraccianus sua facile semper communicavit.

51. Sed Martinus neminem sibi arctius conjunxit, quam Josephum Emmanuelem Mignanam e Trinitariorum Calceatorum Sodalitio, qui multum debuit Decani Alonensis monitis, & institutioni; tum etiam patrocinio, utpote illo fautore, Rhetorices Professor in Academia Valentina factus est. Quam professionem abjecit postea, ut Historiae scribendae vacaret. Itaque & *Bellum Rusticum Valentinum* scripsit, sive De Austriacorum Foederatorumque ingressu in Regnum Valentiae; & Jo. Marianae Historiam de Rebus Hispaniae gravissime continuavit usque ad obitum Philippi II. Hispaniarum Regis. Quam Historiam magnifice quidem, & eleganter, sed typographorum incuria parum emendatam, An. MDCCXXXIII. Hagae Comitum publicavit, & Ferdinando Borbonio, Asturum Principi dedicavit Hyacinthus Joverius, optimae spei adolescens, Illustrissimo Barone Jo. Theodorico Schombergio negotium promovente; urgente autem & peragente Gregorio Majansio, Patricio Olivensi, & Antecessore Valentino, nunc Hispaniarum Regi a Bibliotheca.

52. Hi erant praecipui Emmanuelis Martini amici. Quorum aliqui inter se amoebaeas Epistolas scribebant, jussitque Martinus, ut non nulli mutarent nomina. Unde factum, ut Jo. Basilius Castel-

vinius

vinius Cervilionis Comes, diceretur Basilius Pyrgopalaeus, habita ratione nominis gentilitii, Gotholanorum lingua significantis *Castrum vetus*: Vincentius Turresius, Nicius Pyrgaeus, sicuti olim Joannes Victorius Rossus, Janus Nicius Erythraeus: denique Emmanuel Martinus, Theophylactus Areus, ut praenomen nomenque suum exprimeret. Quo factum est, ut aliquando haec nomina in Epistolis manserint, etiamsi Inscriptiones aliae substitutae sint, ut Lector sciret, quis cui scriberet.

53. Hi omnes conveniebant in Bibliothecam Castelvinianam plurimis optimisque libris instructam, Quam, cum Martinus versaret, invenit Manuscriptum pretiosissimum Cl. viri Ferdinandi Ruizii Villegatis, Poetae eximii, qui sub Carolo V. & Philippo II. Hispaniarum Regibus vixit. Fuit is discipulus magni Ludovici Vivis; & Gundisalvi Illescae, Historiae Pontificalis Scriptoris celeberrimi, Joannis Verzosae cordatissimi Poetae, Guilielmi Budaei eruditissimi viri, aliorumque similium familiarissimus. Quanti fecerit Martinus invenisse thesaurum illum absconditum, declaravit ipse, tum in Epistola, quam scripsit Valentiae Edetanorum, An. MDCCII. ad Jo. Gabrielem Reginerium; tum in Praefatione ad Lectorem, quam Poetae illi praefixit postea, cum Matriti esset anno MDCCV. Poetam illum praeclarissimum ab eruditissimo viro Nicolao Antonio obiter tantum laudatum, Hispanisque Scriptoribus incognitum (si excipias maximum virum Antonium Augustinum, qui in Manuscripta sua Bibliotheca habuit quandam illius Eclogam manu scriptam in obitum Ludovici Vivis, inscriptam Menciae Calabriae & Zeneti Principissae; & Laurentium Vanderium, qui in *Philippo Prudente* inter Hispaniae decora recensuit) innumerabilibus mendis scatentem, ab exscriptoris inscitia Martinus vindicavit, purgavit, emaculavit, & e conjecturis emendatum pristino nitori restituit. Ornavit etiam eundem eruditissima Praefatione ad Hispanam Juventutem, cui dedicavit opus, mittens illud Cl. viro Jo. Basilio Castelvinio, qui ejus editionem in se recepit An. MDCCV. cujus adhuc est debitor, spesque proxima est, propediem Venetiis liberaturum fidem suam.

54. Verum haec severioris studii veluti diverticula erant: nam ubi pedes fixit Valentiae, incepit e lingua Graeca in Latinam vertere Eustathii, Episcopi Thessalonicensis, Parecbolas in Homerum Poetarum

Principem, vastissimum opus, & ante illud tempus, ut insuperabile derelictum, vel propter ejus vastitatem, vel propter vertendi difficultatem: cum summa industria necessaria esset ad vertenda Latine quae pertinent ad linguae Graecae cognitionem. At Laurentius Zaccagna, Bibliothecae Vaticanae Praefectus, Graecae linguae peritissimus, cum videret eas difficultates a Martino posse superari; cum ab Urbe Roma ille discederet, & in Hispaniam proficisceretur, praeclarum illud opus ei dono dedit, ut Latinum faceret, multum eum hortantibus Raphaele Fabretto, Philippo Bonarrota, aliisque viris eruditissimis. Summa igitur alacritate Martinus operi se accinxit, animos augente facilitate vertendi, quam ipse experiebatur. Accedebat Marchionis Villanovani auctoritas, qui Parisiis opus urgebat, promittens se curaturum editionem, eamque fore nitidissimam. Tanto autem ardore in illud opus incubuit, ut ne sibi quieti utilissimique ad elucubrandum temporis pars, nocturni scilicet, elaberetur, reliquerit abjeceritque coenandi consuetudinem: eo consilio, ut Minervae noctes consecraret. Unde incoenatus vixit septendecim annos, consuetudine illi veluti alteram naturam indente.

55. Dum Valentiae esset Martinus, cupido ejus animum incessit, lustrandi antiquitates Saguntinas. Eo itaque se contulit, una cum juvene Cl. Vincentio Turresio. Egregium illud prisci aevi monumentum lustravit oculis. Neque vero operam lusit. Extraxit enim e densissimis tenebris Theatrum quoddam ad eam diem ignotum, nec ulli mortalium observatum adnotatumque. Etenim Scriptores Valentini, qui res patrias consignaverunt, meras nugas deblaterant: cum non Theatrum id appellent, sed Amphitheatrum, pro amphora urceum. Quorum inscitiam ipsa operis structura ostendit. Monumento illo lustrato Oropesam Patriam suam Martinus petiit, ineunte anno tertio saeculi decimi octavi. Aliquot ibi menses commoratus, Valentiam rediit, ubi a mense Octobri anni MDCXCIX. sedes fixerat, ibique vixit jucundissime quatuor annos novemque menses. Quinto decimo enim Kalendas Augustas anni MDCCIV. Mantuam Carpetanorum sedes suas transtulit; cujus migrationis caussa haec fuit.

56. Ludovicus Cerda Ecelestae Princeps, Neapoli Matritum redierat Proregis officio functus. Cumque intellexisset, Decanum A-

lo-

lonensem habere Vicarium, & Valentiae degere, antiqua desideria eum apud se habendi iterum animum ejus incesserunt. Literas misit ad Decanum, quibus impense rogavit, ut ad se veniret, invitans eum honestissimis conditionibus: quibus Decanus, si viri comis officiis fungi vellet, adversari non poterat. Assensit igitur, & mense Julio Anni MDCCIX. urbem regiam petiit. Quem ubi vidit Ecclesiae Princeps, exclamavit Deo se agere gratias; propterea quod tandem obtinuisset, quod per octo annos optaverat. Decano Alonensi domus erat praeparata, satis ampla, tabellis pretiosissimis instructa, ac omni supellectile. Ludovicus Cerda statim ei tradidit claves, tum Bibliothecae suae, quam Neapoli advexerat, quaeque Marchionis Carpiensis fuerat; tum Musei, in quo erat collectio pretiosissima Numismatum auri, argenti, aerisque, quam Neapoli emerat, totque numismata continebat, ut ad septem millia numero pervenirent praetermissis virorum & mulierum illustrium, ac serie item summorum Pontificum. Erat praeterea magnus numerus Cimeliorum antiquorum omnis generis, ut signa aenea, claves, lucernae, sigilla, annuli signatorii, fibulae, armillae, strigiles, phyalae unguentariae, acerrae, vasa sacrificalia, urceoli lacrymatorii, pondera, amuleta, abraxae, denaria, denique gemmae omnis generis, non eae quidem inertes, insanae avaritiae oblectamenta, & humanae sortis ludibria; sed scitae illae & elegantes, quarum amor non nisi illos tangit, quos philologia.

57. Incredibile dictu est, quanta voluptate perfusus fuerit Decanus, cum se collocatum vidit in illis deliciarum campis: maximeque cum ei dixit Ecclesiae Princeps, nolle se ut numismata quae erant in Bibliotheca ad hortum sita, ibi manerent, sed velle ut secum in suum conclave ferret, ut commodius iis frueretur, &, cum liberet, interpellante nemine, ordinare posset.

58. Existimabat Decanus se mortalium omnium fortunatissimum esse. Lucullorum Crassorumque divitiae prae illis, quas tractabat ipse, sibi sordebant. Fuerat enim semper Historiae rei nummariae amantissimus, votique compos factus, omnem animi mentem ad illam appellere volebat. Quod ille faciebat eo majori cum fructu & voluptate (sine quibus studia literarum inania sunt & vanissima) quo magis iis doctrinis animum ornaverat, quae maxime conducerent ad totius antiquitatis ideam veluti ante oculos repraesentan-

dam. Disciplinarum enim orbe animum instruxerat, ratus studium nummarium, utpote mutum, absque omnigenae eruditionis notitia infructuosum esse. Quo literarum praesidio qui destituti sunt, hujusmodi studia, curiosa magis, quam utilia existimant. Nimirum isti Albii assuevere pecuniam valore solum aestimare; & perinde quasi nunc vigerent illa tempora, in quibus aurum, argentum, aes, rudia adhuc erant, neque conflabantur feriebanturque, sed solo pondere aestimabantur; persuaserunt sibi, antiquitatis observatores prodigere tempus, operamque ludere, dum prisca illa monumenta intuentur & contemplantur: ignari prorsus, certissima veritatis monumenta, & incorruptae Historiae notitiam inde erui. Nam studium hoc metallicum muta quaedam Historia est, in qua videtur id ipsum quod in libris legitur, & multo plura quam quae leguntur. Per illud enim objiciuntur oculis ipsis Imperatorum successiones, uxores, liberi; horum omnium vultus ad vivum expressi, ut conjiciatur aetas; &, quod est mirabilius, res ipsae gestae. Praeterea oculis ipsis intuendae proponuntur, fabricae publicae, ut templa, aquaeductus, pontes, portus maritimi, theatra, arcus triumphales, & similia. Discuntur etiam in numismatis sacri prophanique gentium ritus, Sacerdotia, Magistratus, Collegia, adoptiones, mores militares, insignia, allocutiones, donativa, congiaria, conciones, arma, vestitus, expeditiones. Caerimoniae item, Deorum Dearumque nomenclaturae, quarum alioqui multae incognitae essent. Praeterea Orthographiae antiquae certissima ratio. Denique Tribunitia potestas, quae est thesaurus temporum.

59. Harum itaque rerum & similium cognitione instructus Martinus, versabat illa numismata tanto cum fructu & voluptate, ut miraculo esset viris eruditis, posse quemquam pervenire ad eam prisci aevi cognitionem, Quae tanta erat, ut Ecelestae Principi, aliisque Hispaniae Magnatibus persaepe mirantibus repente Martinum declarare, quinam essent illi, qui in quibuslibet numismatis sibi oblatis designarentur, non semel dixerit Decanus, non inani sui fiducia elatus, sed suae conscientiae testimonio fretus, se, si Imperator aliquis imperii alti, quod in Gallienum desinit, reviviseeret, designaturum illum, manuque prehensurum, vel si occultare se vellet inter multa hominum millia. Sic igitur instructus, numismatis in

in feriem redigendis omnes induſtriae ac diligentiae nervos intendit, adjecta unicuique nota Chronologica anni, in quo percuſus fuerat nummus. Ea quae pertinebant ad Caeſarum feriem a C. Caeſare uſque ad Heraclium ordinavit. In alios ordines rejecit quae ad Graeciam utramque, & celebre illud antiquitatis theatrum, Siciliam, pertinebant. Grajos item Reges & Tyrannos ordine diſpoſuit. Quae ad Romanorum pertinebant familias, ſeorſim centuriavit, & elementorum ſerie digeſſit, exemplo ſummi viri Fulvii Urſini. Hiſpaniae item Municipia & Colonias. Unde colligi poteſt, quanta voluptate perfunderetur, cum a prima origine per non interruptas ſeries Hiſtoriam Romanam, Graecam, aliarumque Nationum, contemplaretur.

60. Cum autem Martinus conſideraret poſſeſſionem illam numiſmatum precariam eſſe; ne poſtea careret ſuaviſſimo fructu ſtudiorum ſuorum, undecumque poterat, ſibi numiſmata parabat: adeo pecuniae prodigus, ut ad emenda illa aliquando demeret aliquid de alimentis ſuis.

61. Cum Emmanuelis Martini eruditio nemini non eſſet nota, & ejuſdem conſuetudo jucundiſſima, ejus amicitiam ambiebat optimus & eruditiſſimus quiſque.

62. Annus itaque agebatur hujus ſaeculi quintus, cum Matriti erat Antonius Felix Zondadarius, Archiepiſcopus Damaſcenus, & Clementis XI. Pontificis Maximi Legatus apud Philippum V. Regem Catholicum. Is fratrem habebat apud ſe Alexandrum Zondadarium, Eccleſiae Senenſis Archipresbyterum, Abbatem Divi Salvatoris, & Praepoſitum Piſtoricenſem, evectum poſtea ad Archiepiſcopatum Senenſem. Uterque ſummopere diligebat Martinum propter egregiam eruditionem, praeclariſſimas virtutes, & eximium cultum. Cum igitur diu multumque cogitaret Martinus, quonam potiſſimum indicii genere memorem acceptorum ab illis beneficiorum animum mentemque ſignificaret; nullum ei viſum eſt, nec ſincerius, nec praeſtantius, quam ſi aliquo ſtudiorum ſuorum monumento initae ab illis gratiae teſtificationem poſteris exaratam relinqueret. Praeſertim cum eo ſemper in Martinum fuiſſent animo, ut ingenium ejus & literas, maximi facerent. Igitur monumento literario utrumque ſibi arctius devincire conſtituit.

63. Em-

63. Emmanueli Martino opportune venit in mentem, Epigrammatum Graecorum Collectione, quae *Anthologiae* nomine circumfertur, vix aliquod ad posteros pervenisse eruditae antiquitatis monumentum, vel utilius, vel illustrius. Multi enim qui bene de literis meruerunt, longa oblivionis caligine obvolverentur, nisi eorum nomina, per illas veluti propagines ad aevum essent praesens transmissa & propagata. Multorum etiam scripta funditus intercidissent, quorum desiderium praesens saeculum conficeret. Accedit argumentorum varietas, sententiarum acumen, facetiarum lepor, multiplex rerum abstrusarum notitia, totiusque antiquitatis veluti complexus. Unde tanquam e penu locupletissima, quidquid libuerit, depromere licet. Tanti igitur operis dignitatem cum animo suo reputantem Martinum subiit cogitatio de Auctore ejus Collectionis: praesertim cum videret eam rem eruditorum plerisque ignotam, aliquibus vero non bene compertam: omnibus denique negotium facessere. Quae quidem cura cum acrius Martinum pupugisset, omnes jam adhibuerat nervos, ut illam rem erueret, operique altius se accinxerat; cum incidit opportune in Epistolam quandam Leonis Allatii ad Gabrielem Naudaeum, quae exstat in Responsis Fortunii Liceti ad Quaesita per Epistolas. In qua vir ille eruditissimus Martini diligentiae praecurrerat, consulto etiam insigni illo Palatino Codice, nunc Bibliothecae Vaticanae, quem Martinus illi rei indagandae accuratius evolverat, copiam sibi faciente Laurentio Zaccagna, ejus Bibliothecae Custode, sibique, quamdiu egit in Urbe, omnibus officiis conjunctissimo. Igitur ab ea cogitatione tum retractus, alio animum adjecerat. Tametsi non diffideret, se illa ipsa quae Allatius scripserat, longe uberius, atque enucleatius, mandare literis posse. Nam ille, ut canis Nilum, obiter tantum ac in transcursu, argumentum illud delibavit potius, quam absolvit. Totius autem rei accuratius explanandae cupidine quadam, cum Matriti esset Martinus, denuo tactus, ea quae super illa re comperta sibi erant in medium proferre voluit; confisus fore, ut suus ille labor, Graecarum literarum studiosis, nec inutilis omnino evaderet, nec injucundus. Disputationemque illam sane quam implexam, sibi enodandam suscepit, enodatamque misit Alexandro Zondadario fautori suo. Cujus disquisitionis summam, quam ipse Martinus confecit,

ſecit, miſitque eruditiſſimo viro Gaſpari Mendozae & Segoviae, Marchioni Mondexarenſi, & Agropolitano; operae pretium eſt huc tranſcribere pene ad literam.

64. Primus omnium qui Graeca Epigrammata collegit, fuit Meleager quidam Phoenix, Eucratis filius, Patria Gadarenus, qui vixit ſub Seleuco Philopatore, Antiochi Magni filio, qui Regnum iniit Olympiadis CXLVIII. anno primo, Aerae Seleucidarum CXXVI. ante Chriſtum natum CLXXXXVI. Eamque Epigrammatum Syllogen inſcripſit CORONAM. quam texuit ex Poetarum a ſe collectorum nominibus, ſuo cuique tributo, vel flore, vel fructu. Cujus Coronae pancarpiae exemplar Martinus attulit, exſcriptum ex vetuſtiſſimis membranis Palatinis, quae Heidelberga Romam translatae fuere, & nunc exſtant in Vaticana Bibliotheca. Poſt Meleagrum, Philippus Theſſalonicenſis, aemulandi ſtudio, ut ipſe fatetur, novam Collectionem orditus eſt, quam itidem appellavit Στέφανον, tanquam acceſſionem quandam ad Meleagream. Quod conſtat tum ex Scholiaſte ἀδήλῳ ad oram Codicis Palatini, tum ex ipſius Philippi *Corona.* Vixit hic Auctor temporibus Caeſaris Dictatoris & Octaviani Auguſti. Quod docent ejus Epigrammata, in quibus utrique impudenter blanditur. Narrat praeterea tanquam eo tempore evulgatum portentum illud de palma ſub ſtatua Caeſaris inter coagmenta lapidum Trallibus enata & Tarracone in ara Auguſti. Meminit etiam navalis pugnae ad Actium. Tertius Epigrammatum Collectioni manus admovit Agathias, ſive Agathius Scholaſticus, Memnonii Rhetoris & Pericleae filius, patria Myrinaeus, ex Urbe Myrina, in Aſia minori Aeolenſium Colonia ad oſtia Pythici fluvii. Hic Smyrnae Juriſprudentiam publice profeſſus eſt, unde illi cognomentum *Scholaſtici.* Floruit ſub Juſtiniano Imperatore, cujus res geſtas conſignavit literis poſt Procopium Caeſarienſem. Hic igitur novam quandam adornavit Collectionem, quam inſcripſit Κύκλον, teſte Suida. Etſi Agathias in Praefatione ad ſuam Hiſtoriam, non *Circulum* abſe fuiſſe inſcripta ea Collectanea prodit, ſed aptiore vocabulo, συλλογήν. Quam nuncupavit Theodoro Decurioni. Deinde Conſtantinus quidam cognomento Cephalas, haec eadem Epigrammata, quae literarum ordine fuerant digeſta, in unum conſudit, diviſitque in capita diverſa: ſeparatim nempe ἐρωτικά, & ἀναθηματικά & ἐπιτύμβια,

& ἐπιδεικτικὰ, ea ratione qua hodie in Codice Palatino digesta sunt. Quae omnia diserte tradunt Scholia marginalia anecdota ad *Coronam* Meleagri. Tandem Maximus Planudes Monachus Constantinopolitanus, qui An. MCCCLXX. florebat, Collecta veterum studio Epigrammata amputavit sine ingenio, sine judicio. Multa enim ex illis demessuit, quibus defraudare posteros piaculare fuit. Multa reliquit, quibus carere sine jactura facile possemus. Sed homo lepidus ex ingenio & captu suo caeterorum studia dimensus est. Nihilque existimavit aliis voluptatem allaturum: praeter ea quibus ipse delectaretur. Quamquam alioqui doctus, ut testantur non pauca ingenii sui egregia monumenta. De Anthologiae Collectore ita Martinus.

65. Neque minori obsequio sibi demeruit Antonium Felicem Zondadarium, quocum sermones cum sereret; ut sunt fere colloquia, & varia, & aliud ex alio elicientia; casu Theatri Saguntini incidit mentio. Quod cum a se delineatum, omnibusque numeris expressum dixisset; Antonii Felicis Zondadarii pervasit animum illud videndi cupido, una cum Notis, sive Descriptione quadam a Martino adjecta obscurissimae rei explanandae gratia. Tenebatur enim vir ille incredibili antiquitatis amore. Cujus rei Sagunti praeclarum reliquit testimonium. Cum enim Martinus eo se contulisset, antiqua illa monumenta visendi gratia, legendisque Inscriptionibus operam daret; animadvertit literarum ductus atro quodam bitumine illitos, quo leviore opera legi possent, oculique minus laborarent. Cumque Martinus rei novitate perculsus, a Mignana quaesivisset. Quisnam mortalium tam accurata diligentia usus? certe nostratem non esse: respondit Mignana: Illustrissimum Zondadarium Legatum Pontificium, qui proximis diebus illac transierat, Roma adveniens. Praeclarissimum igitur monumentum illud Zondadario Martinus ob oculos posuit, eidemque simul tradidit eruditissimam illam Epistolam de Theatro Saguntino, quam inter suas publicavit Gregorius Majansius, Generosus Valentinus, & ante eum eruditissimus vir Bernardus Monfalconius Benedictinus in celeberrimo opere *Antiquitatis illustratae*. Neque contentus fuit Martinus Theatrum illud stilo suo nobilitasse; sed ut ejus diuturnitati incolumitatique, quantum fieri posset, consuleret, undecimo Kal. Aprileis An. MDCCV. publice literas

teras dedit amplissimis spectatissimisque Quatuorviris Saguntinis, caeterisque Decurionibus, per quas eos exhortatus fuit ad lacera illa & discerpta Urbis fide ac virtute nobilis & aerumnis inclytae membra asservanda: enixeque oravit, ne finerent dirui, exscindi, evertique, praeclara illa monumenta, pristinae gloriae indicia. Quatuorviri Saguntini (Josepho Emmanuele Mignana eorum jussu rescribente) Emmanueli Martino gratias egerunt Eidibus Aprilis ejusdem anni; pollicitique sunt, non aliter ac carissima pignora curaturos se illa rudera conservare immunia ac libera ab omni maleficio ac injuria.

66. Per illa tempora forte Matriti aderat Joachimus Alcarazius Valentinus, adolescens melioris ingenii, quam judicii, quique ante aetatem nimis sapere sibi videbatur. Hic Decanum adibat, eruditionem ejus suspiciebat, & ad astra ferebat. Martinus adolescentis spes mirifice fovebat, & quantum poterat non solum consiliis monitisque promovebat; sed etiam institutionibus Graecis illum imbuit, rogatu patris hominis sanctissimi, & juvenis obsequio. Scripta sua facile ei communicabat, & inter alia Descriptionem illam Theatri Saguntini, describendam dedit. Quae res occasionem postea dedit maximis turbis. Ille vicissim quicquid exarabat, deferebat statim ad Martinum. Scripsit *Socratem*, sive *De Felicitate Sapientis Dialogum.* A Decano enixe postulavit, ut opusculum illud recognosceret; nam nisi ita faceret, juravit, se illud traditurum flammis. Precibus devictus Decanus legit illud opusculum; cumque animadvertisset, nihil aliud esse, quam Ciceronis centones pessime consutos, candide & amice indicavit ei judicium suum. Quod adeo aegre tulit Alcarazius, ut ex eo tempore aversa fuerit voluntate in Martinum.

67. Hic, posteaquam numismata digesserat, Dissertationesque illas de Veterum Epigrammatum Collectore, & de Theatro Saguntino conscripserat, inter vertendum Eustathium Homericum (a quo nunquam penitus discessit) alio mentem intendit. Vertit enim Historiam Olympiadum Phlegontis Tralliani, Imperatoris Hadriani liberti doctissimi. Qua versione felicissime ad exitum perducta, parare coepit adversaria, conficiendarum Notarum gratia in Olympiadas illas. Cum autem libris necessariis ad perficiendas Notas careret, alio animum intendit.

 68. Sem-

68. Semper amantissimus fuit M. Tullii Ciceronis, quem non minus suspexit ob admirabilem illam eloquentiam, quam ob philosophandi praestantiam. Cum igitur anno hujus saeculi sexto Ciceronis quartum Tusculanarum librum legeret, lectione illa inflammatus, quodamque veluti oestro percitus incoepit scribere Tractatum ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, sive *De Animi Affectionibus*. Operis idea nova. Primum ponit quatuor radices principales, unde oriuntur omnes affectiones nostri animi, tanquam fibrae; sequuntur semiaffectiones; & has affectionum veluti proclivitates. Separat enim eas, quae sunt rerum quas sequimur ab iis, quae sunt rerum quas fugimus & odimus. His accedunt ingeniosissimae aliae subtilitates, quae propter novitatem exquisitae disputationis, legentis animum alliciunt. Emmanuelis Martini consilium in hoc opere erat, manifestare & patefacere radices & caussas affectionum, vimque uniuscujusque. Modus cogitandi, concipiendi, edendique sententias, validus, perspicuus, acutus. Opus tamen ipsum imperfectum. Nam licet anno sexto, summo conatu illud scribere aggressus fuisset, & per intervalla temporis, incredibili alacritate continuasset anno sequenti; tamen scriptionis filum abrumpere coactus fuit, de tranquillitate mentis dejectus. Nam ea tempestate bello saeviente Martini Patria periit, domus ejus transmigravit, Pater decessit, Alona capta; cessaruntque omnia subsidia ad vitam tolerandam: quibus calamitates aliae supervenere. Unde maxima tristitia moerorque animum ejus invasit. Ex melancholia supervenerunt flatus hypochondriaci, qui perseverarunt quatuor, aut quinque annos, quibus non homo, sed hominis simulacrum videbatur. Itaque, licet Decanus in animo haberet, Dissertationem illam absolvere, & exornare, quem in finem parata habebat adversaria pretiosa; tamen, cum, adhortante & urgente Alexandro Zondadario, qui & editionis impensas promittebat, saepe tentasset perficere Systema illud Philosophiae Stoicae ad affectiones spectantis; nunquam absolvere potuit, quia nunquam valuit exaequare se ipsum, licet animo alacriori paucorum mensium negotium esset. Adeo ad perfecte scribendum animi alacritas conducit.

69. Annus exibat hujus saeculi septimus, cum Josephus Emmanuel Mignana Emmanuelis Martini judicio submisit Historiam suam *De Bello Rustico Valentino*, sive de Austriacorum Foederatorumque

ingressu

ingressu in Regnum Valentiae. Legit Martinus perlibenter Historiam illam, & ut amico veteri morem gereret, famaeque ejus consuleret, respondit, totam Historiae dictionem castissimam esse, & plane ad Romanas aures: ad Caesarem quam propissime accedere, nisi quod interdum crispituriret, delibatis a Sallustio quibusdam veluti gemmis, excitando auditori novi ornatus miraculo: fateri se candide, saepe inter legendum orationis vi ac venustate perculsum ad invidiam usque fuisse permotum. Adeo illa affabre dedolata, & exacta ad normam Romanae eloquentiae. Unum id legentibus grave admodum ac permolestum futurum dixit, quod periodos aliquando & orationis tractus adeo produxisset; insertis longis parentheseon ambagibus, ut totam illam sententiam una vocis contentione pronunciare ne Hercules quidem posset, qui sine respiratione unum stadium decurrebat, vel gurges ille, qui uno spiritu tres vini congios siccabat. Tametsi hoc vitio alterum librum minus jam laborare animadvertit Martinus. Qui liber rerum etiam varietate, civilium negotiorum tractatione, eventuum dignitate, sententiarum copia, describendarum rerum dexteritate, aliisque in eo praeclare digestis, priorem alterum facile antecellebat: in quo inops fere narratio, & aliquando jejunior. Quo morbo afflatum erat in primis operis exordium; nulla apparatus dignitate, nullaque consiliorum inter Principes initorum notitia insigne. Quare altius a Mignana id opus repetendum censuit, monuitque; caussasque majori ambitu expendendas, quibus bellum illud exarsit: quae tantarum rerum molem, animorumque tam acre dissidium contentionemque, pro dignitate sustinerent. Praeterea adjecit Notas aliquas criticas, quibus stili aliquos defectus castigavit; adnotavitque sigillatim errores aliquos, uti falsitatem manifestam in aliquibus narrationibus, silentium in factis virisque memoria dignis; denique nimiam libertatem & immoderatum partium studium, in aurem ei susurrans illud Euripideum. *Qui sibi sapiens non est, ne quicquam sapit:* itemque illud *Nescis quid serus vesper vehat.* Hoc etiam in ejus Historia desideravit, ut nempe ad politica monita, quandoque diverteretur, exemplo Livii, ac Taciti, Thucydidis, ac praesertim Polybii: sine quibus Historia arida est atque elumbis. Est enim vitae institutrix atque magistra. Sed & diligenter eum adhortatus fuit ad exactam temporum nota-

 tionem.

tionem. Qua fine nihil aliud funt rerum geftârum narrationes praeter involucra quaedam & indigefta congeries. Duplici enim bafe nituntur memoriae fimulacra, tempore, & loco. Quamobrem ferio admonuit Mignanam, ut daret operam, magnoque opere adlaboraret, ut Chronologia, & Topographia in primis elucerent.

70. Haec quae Mignanae gratiffima effe debuerunt, altius animum ejus penetraverunt, Itaque in fpeciem gratias egit; & ut ingenium humanum fui amans eft, excufationem in aliquibus erroribus nimis longe petivit, ac pertinaciter fuftinere voluit: cum prudentia exigeret, ut, fi qua ei difplicerent, leviter indicaret diffentiendi rationem, uteretur que ipfe libertate fua in amplectendis monitis, aut infuper habendis. Pertinacia igitur illa difplicuit Martino. Quo factum eft, ut amicitia vetus, & arctiffima non nihil remiferit. Quamquam Mignana homo alioqui prudens, & famae apud pofteros adipifcendae cupidus, re ferius perpenfa, plurima poftea mutavit, emendavit, addidit, ut obfervavit fummus amicus ejus Majanfius, quem penes eft Hiftoria illa.

71. Sed quoniam femel iterumque Mignanae mentio facta eft; ne tanti viri res filentio praetereantur, idoneum vifum eft de natura, cultuque ejus paucis dicere. Igitur Jofephus Emmanuel Mignana natus fuit Valentiae Edetanorum Eidib. Octobr. MDCLXXI. Pubertatem egreffus, nomen apud Sanctiffimae Trinitatis Sodalitium profeffus eft. Cum effet Tirunculus libros facros fere omnes memoriae mandavit, maxime Hiftoricos. Hinc Anno MDCCXXVI. cum difcipulus idemque amicus ejus in Praepofiturae Valentinae competitione facrum textum enarraturus effet; unus Mignana facile potuit praelectionem omnem confcribere, nullis libris confultis, eruditiffimis viris in fcholaftico pulvere verfatiffimis id multum demirantibus. Adolefcentulus Neapolim fuperiorum permiffu profectus eft, ubi feptennium vixit. Ibi linguam Latinam diligentius didicit: pingendi etiam artem edoctus eft: atque fuae dexteritatis praeclara poftea monumenta Sagunti reliquit, ubi apud Coenobium Trinitariorum, in altari maximo duae confpiciuntur tabulae, quas ille depinxit. Neapoli in Hifpaniam reverfus Latinam linguam quadriennium docuit Liriae; quadriennium alterum Sagunti: deinde Rhetoricam aliquot annos in Academia Valentina. Cumque altiora cogitaret,

ret, a Rhetorices professione abdicavit se. Urbs vero Valentina abdicationi noluit assentiri, ne tanto Praeceptore Academia careret. Mignana tamen ex illo tempore neque Academiam ire, neque honorarium voluit percipere. Sic ostendit Valentina Urbs quanti Mignanam faceret. Ipse vero constantissime in suo permansit proposito, & otium nactus dedidit se conscribendae Historiae. Ac primo scripsit *Bellum Rusticum Valentinum*, sive Historiam de Ingressu Austriacorum Foederatorumque in Regnum Valentiae. Quam Historiam a summo viro Emmanuele Martino lectam, & peracute emendatam fuisse supra dictum est. Ea vero cum Mignana decessit, surrepta fuit, & ab ejus amicis, Majansio praesertim, conquisita diu, inveniri non potuit, furaci manu eam occultante, & falso aliquibus jactantibus se penes esse; nolle tamen eam proferre, ne exemplorum copia vilesceret. Sed cum Gregorius Majansius vidisset olim autographum aliud a Mignana ipso missum ad virum eruditum; omnes nervos eo intendit, ut amici cujusdam ope sibi exemplum pararet, idque cogitat aliquando publici juris facere. Praeterea Mignana maximi viri Joannis Marianae *Historiam De Rebus Hispaniae* continuavit, & veluti uno eodemque filo deduxit ab obitu Ferdinandi Catholici Regis usque ad initium Regni Philippi III. Quo factum est, ut duorum praeclarissimorum Regum res gestas, Caroli scilicet V. & Philippi II. posteritati mandaverit: sub quibus Principibus Hispania maxime viguit floruitque armorum literarumque gloria. Certe ejus imperium nunquam tam late patuit, neque tanto fuit terrori. Atque hanc Historiam Mignana ita feliciter contexuit, ut facile ostenderit, quam multiplici rerum cognitione instructus ornatusque ad scribendam eam accessisset. Nam, si res spectes, quas Mignana refert, omnes sunt conspicuae, quarumque cognitio maxime utilis est ad publicam vitam privatamque. Neque ut doceat, fingit; sed summo adhibito judicio, & procul ab affectibus quos propriae nationis amor excitare solet, civilia narrat prout contigerunt; religiosa sine superstitione; omnia summo veritatis amore; paribus laudibus extera, ac nostra celebrat; eadem libertate nostratium vitia, ac exterorum vituperat. Atque ita singula persequitur, ut eventuum caussae progressusque, & exitus pernoscantur omnino; neque negotia cum negotiis confundantur; sed singula narrentur suo loco & ordi-

ne.

ne. Dictio videtur Juliani aevi, & ad Plauti ſtilum conformata. Mirifica in verbis proprietas eſt: oratio nervoſa atque graviſſima: ut agnoſcas virum robuſtiſſimi judicii. Acuto utitur dicendi genere, eoque ſaepe velut interciſo. Plura refert quam dicit: ut lectorem poſtulet attentum, & minime ſomniculoſum. Orationes ſolet intermiſcere, ſemper opportunas & probabiles; plerumque obliquas, C. Caeſaris imitatione. Merito igitur critici Trevulſienſes ſummis laudibus Hiſtoriam hanc extulerunt. Verum iidem eximium veritatis amatorem Joannem Marianam, ſodalem ſuum, ut Hiſpanorum adulatorem, parum conſiderate reprehenderunt; factique res omnium oculis propoſitas, & a Gregorio Majanſio non ſolum Hiſpane, ſed Latine etiam ad literam expoſitas, falſitatis arguere, nimis confidenter auſi ſunt. Sed de his uberius ſuo loco, & tempore. Marianae Continuationem Mignana ſcripſit duodecim annorum ſpatio, abſolvitque decimo ſexto die ante obitum ſuum, qui contigit ſexto Kal. Auguſtas Anni MDCCXXX. magno omnium dolore, amiſſo viro piiſſimo, eruditiſſimo, modeſtiſſimo. Deceſſit Valentiae tertium Coenobiarcha. Bis praeterea fuit Provinciae Aragonum Viſitator Generalis, Quae munera adminiſtravit prudentiſſime. Praeter Hiſtorias laudatas reliquit *Saguntineida*, ſive Poema de Sagunti excidio: quod opus aggreſſus eſt magno ſpiritu. Sed ſolo conatu contentus eſt. Servat Gregorius Majanſius Fragmentum hoc ex autographo deſcriptum; & ejuſdem aliquot *Epiſtolas* ad eruditiſſimos viros Janum Vincentium Gravinam, Joannem Baſilium Caſtelvinium, Cervilionis Comitem, Joannem Baptiſtam Coraccianum, alioſque. Pleraeque earum (ſicut & Saguntineis) ipſius Mignanae manu exaratae permanent apud Hyacinthum Joverium. Ad Emmanuelem Martinum datae nunc publicantur; quae vero ad Majanſium, inter hujus Epiſtolas editae fuerunt. Idemque cogitat edere eruditiſſimum *Dialogum De Theatro Saguntino*, & Opuſculum *De Circo*, ſi utriuſque libelli exemplum ad ſe miſerit quidam nobiliſſimus Vir. In omnibus Mignanae ſcriptis gravitas eſt mirifica, Latinae linguae ſumma proprietas: illam habebat ab ingenio ſuo; hauſit hanc ab auctoribus optimis, praecipue a Plauto, quem memoriter recitabat: ut qui per multos annos ſingulis noctibus antequam iret cubitum, comoediam legerat, ſtili formandi gratia. Graecam linguam callebat, adeoque maxime

maxime delectabatur Novo Testamento Graece scripto legendo. Quam linguam adeo amabat, ut morti proximus Orationem Dominicam Graece recitaret, existimantibus Monachis qui aderant, delirare illum. Itaque ad extremum usque spiritum eruditus piusque fuit. Hic igitur fuit Josephus Emmanuel Mignana, cui inter Martini discipulos locus princeps debetur; ab hoc enim & praesens, & per literas edoctus est: & summi viri obelismi maximo ei incitamento fuere ad aggrediendam *Historiam De Rebus Hispaniae*, immortale opus, cujus singulos libros vix Mignana absolverat, cum recognoscendos tradebat Gregorio Majansio; quocum se prudentius gessit; nam ab eo in plurimis admonitus, semper egit gratias; & si qua in re dissensit, siluit; resque nonnullas sicuti ipse scripserat, reliquit; Majansio minime repugnante, cui in illo agro nec serebatur, nec metebatur. Et tametsi defuncto Mignana, quicquid vellet potuisset mutare; tamen omnia reliquit intacta, misitque autographum ipsum ad Petrum Hondtium, Historiae illius editorem.

72. Sed pro instituto scribentis de Mignana satis. Et Emmanuelis Martini calamitates misericordiam excitant. Interea jacebat summus vir aerumnis oppressus. Nam diruta patriae moenia, excisum natale solum, domus eversa, familia laribus avulsa. Et quod omnium longe erat miserrimum, ac vix ferendum, nullo crimine impiata: imo egregia erga Regem fide, & exantlatis pro dignitate retinenda laboribus clara. Quamobrem jacebat maximo in luctu ac squalore: tanto literarum fastidio, ut Eustathii versionem, quam ad illud usque tempus tam feliciter promoverat, quamque volebat esse ingenii studiorumque suorum immortale monumentum; pene flammis commiserit. Quod cum rescisset Exc. Princeps Gaspar Mendoza & Segovia, Marchio Mondexarensis & Agropolitanus, ut homini calcar adderet, & exemplaris inopiae subveniret; Joanni Serresio Gallo, Congregationis Jesu Presbytero, quo Martinus jamdiu utebatur valde familiariter, tradidit alterum Eustathii παρεκβολῶν volumen in Homeri Iliada, ut illud suo nomine Martino offerret. In qua re vir summus non tam usura beneficii commoveri se sensit (quanquam eo quoque maxime obstrictum se confessus est) quam occasione conveniendi tanti viri. Quem multos jam annos ignotum licet singulari observantia colebat. Ex quo nempe Romae clarissi-

mum illud Hispaniae lumen dignissimumque purpuratum Josephum Aguirrium saepe audiverat, de illo praedicantem, buccinantemque, Dissertationesque illas ejusdem legerat, succi plenas, altissimae eruditionis, subactissimi judicii. Itaque tanto illius Principis beneficio factum est, ut Martinus maxime gauderet, patere sibi ad illum aditum, singulari famae beneficio. Quod sibi jucundissimum in illa foedissima temporum procella rerumque omnium jactatione, Qua quo minus a constantiae gradu fuisset dejectus, uni literarum subsidio referebat acceptum. Ex eo itaque tempore coepit Martinus crebro literarum commercio tanti viri frui. Marchio Hispane, Latine Martinus scribebat, sic illo jubente.

73. Abditus erat ille Princeps in oppido suo Mondexare, nihil praeter literas curans, exteris in maximo honore, literarumque fama propter exquisitam eruditionem; Hispanis plerisque oblivioni traditus ob doctrinam supra vulgi captum. Ex eo tempore Decani judicio (quem de facie non noverat, etsi vehementer cupiebat eum videre & alloqui) opera sua coepit submittere: nec aequiore animo laudes, quam censuram accipiebat: quae profecto erat libera & severitatis plena. Adeo ut graviter Martinus castigaverit stilum ejus laciniosum, atque extra argumenti fines excurrentem. Vehementer cupiebat eruditissimus Princeps Martini frui colloquiis; item Martinus avolare ad eum, & quam arctissime complecti. Sed remorabantur anni tempestas animique sollicitudo, qua pendebat incertus obscura & caeca exspectatione rerum, saevaeque illius armorum procellae, quae in omnium capita ingruebat. Quamobrem foeda contagione ita aegrescebat animus ac decumbebat, ut a moeroris morsu vix posset divelli; nedum hilaritates & oblectamenta cogitare: quorum se ex congressu illius infinita copia perfunderet. Quando igitur nihil apparebat, quo aegritudo illa leniri quiret, & dies crastina instaret semper hesterna luridior ac tetrior; rejicere constituit Martinus illam cogitationem in mitius anni tempus (hyems tunc saeviebat) decrevitque Aprili mense anni MDCCVIII. excurrere ad Mondexarensem Principem, & in sinum amplexumque ejus venire. Advenit Aprilis, non tamen facultas veniendi in illius conspectum: siquidem praecisa fuit iniquitate temporum, quae nihilo meliora. Sed & paullo post omnis spes abscissa fuit. Nam cum Marti-

Martinus jam vellet ad eum proficisci, ecce nuncium tristissimum, Marchionem Mondexarensem funestissima febri correptum decessisse pridie Kal. Septembreis An. MDCCVIII. aetatis suae octuagesimo primo. Quo certe nuncio nihil accidit Martino unquam funestius, nihil acrius animum perculit ejus. Non quod sibi haberet persuasum, fore ut id aetatis homo diu apud mortales perennaret; sed quod uno veluti agmine sibi occurrerent durissima temporis conditio, aerumnosissimi viri solitudo tristissima, quatuor filiorum transfugium, totque tantorumque scriptorum volumina ineptissimorum hominum ludibriis exposita. Respiravit tamen postquam allatum est, optime illum cordatissimeque avitis bonis reique familiari consuluisse, exheredatis filiis, ac in nepotes translato patrimonio: quae una erat acerbissimo illo tempore incolumitatis via. Nec erat quod multum doleret liberorum sortem, quando nullus casus a paterni nominis famaeque hereditate illos posset dejicere. Quae omnium splendidissimum est patrimonium. Dolendum sibi tamen dolorem suum existimabat, qui optima sui parte, amico nempe integerrimo, interierat. Cujus erga se amoris ac benevolentiae, quoquo se vertebat, vestigia. Putabat etiam moerendum Hispaniae, cui acutissimus ille Historicae veritatis oculus, erutus fuerat, lumenque illud extinctum, quo allucente tot remotissimae vetustatis perscrutatae latebrae, tot impostorum fraudes circumventae. Sed ea erant Hispanae gentis stupor atque vecordia, ut plagam illam, qua literis major vix infligi potuit, non modo tanquam levem contemnerent; sed omnino non sentirent. Quod extremum dehonestamentum esse Martinus censebat. Miserum enim reputabat, tantum virum amisisse; sed longe miserrimum, ignorationem jacturae. Quippe illud pertinet ad humanae naturae sortem; hoc autem ad hominum ignaviam & socordiam. Quamobrem saepe tanti viri conditionem miseratus fuerat, qui patriam sortitus esset, ad humaniora studia, amoenioresque literas inertem. Quo factum fuit, ut per totum fere vitae curriculum cum larvis sibi fuerit luctandum, & nugatorum umbris: quamvis alioqui nihil fuerit eo, nec moribus magis compositum, nec sermone temperatius, vel alienius ab inferenda injuria. Opera ab ipso lucubrata, quorum Catalogum ipse paullo ante mortem ad Martinum transmiserat, quamplurima sunt. Nec lectori erudito ingratum

erit hic legere illorum omnium titulos, descriptos ex Emmanuelis Martini ad Alexandrum Zondadarium Matriti degentem Epistola, data in eadem Urbe Regia postridie Eidus Septembreis anni MDCCVIII. Ordine tamen aliquantulum immutato, ut libri excusi a manuscriptis distinguantur. Catalogus igitur operum Marchionis Mondexarensis, hic est. *Carthago Africana. Patronatus Sancti Fructi. Dissertationum Ecclesiasticarum tomi duo. De Praedicatione Sancti Jacobi in Hispania adversus Natalem Alexandrum. De vera Epocha occupatae a Sarracenis Hispaniae.* Quae omnia formis typographicis excusa sunt praeter *Dissertationum Ecclesiasticarum* tomum secundum. In lucem etiam prodiere *Notitiae Genealogicae Familiae Segoviensis.* Qui Liber ipsi Marchioni dedicatus fuit a Joanne Romero & Cardenas, sub cujus nomine ille latere voluit. Reliqua opera ipsius manu, aut Andreae Arnaldi, qui ei fuit a secretis, & postea Hispaniarum Regi a Bibliotheca, exarata supersunt, partim apud Marchionis heredes, partim in Bibliotheca Regia Matritensi, quae communicari omnibus e republica esset literaria. Neque deessent qui publicationis laborem susciperent, si eorum favor adesset, quibus literarum incrementum curae esse debet. Manuscripta Opera haec sunt. *De Mose Scriptore omnium vetustissimo. De Deo Carmelo. De vera origine Ordinis Carmelitarum. Fabula de Equabus Lusitanis Zephyro gravidatis, explosa. Monumenta Genealogica propriae Familiae de Segovia. De prima Migratione gentium in Hispaniam. Gades Phoeniciae. De Aera Hispanica. De origine & praxi impedimenti Consanguinitatis & Affinitatis. Instrumenta Historica Alphonsi, cognomento Sapientis, Hispaniarum Regis. Historia Familiae Mondexarensis. Historia Familiae Montecatenorum. Historia Familiae Pontiorum de Leon. Notae & Observationes in Homeri Batrachomyomachiam. Notae in Satyram nonam Juvenalis, cum adjuncto Opusculo de Annis, Diebus, & Horis Romanorum. Scholia in Artem Poeticam Horatii. De Phalange, seu Testudine Macedonica. Hercules Gaditanus. De Etymologia Militis, ad legem Miles Dig. de Test. Mil. De Judiciis Areopagi. Epilogus Ordinum Militarium. De Conceptione Virginis Matris. Historia Comitum Barchinonensium*, opus affectum. *Miscellanea.*

74. Tanti amici jacturam aliquo modo sarsit Martinus, novo amico sese illi insinuante. Nam Joannes Interamnensis Ajalaeus, Frater Societatis D. Mariae de Mercede, cujus ingenii amoenitatem

Excur-

Excursus ad Musas, Hispanae linguae puritatem *Orationes ad Populum Christianum*, vertendi dexteritatem *Claudii Floridi Catechismus*, stili acumen *Epistolae Latinae*, doctrinae praestantiam *Pictor Christianus eruditus*, satis demonstrant; e Salmantica, ubi Hebraicas literas profitebatur, epistolam ad Martinum dedit, VII. Kal. Novembris An. reparatae salutis MDCCVIII. quibus eum ad amicitiam ineundam provocavit: in quam admissus humanissime, deinde (rude donatus) Matriti omni officiorum genere quo potuit, sanctissime eam excoluit; charissimusque vixit Martino propter egregias animi ingeniique dotes. Nam moribus fuit candidissimis, memoria tenacissima, eruditione varia, Poeta eximius, sive Hispane, sive Latine pangeret: in carmine Phaleucio ad invidiam usque mirabilis. Etsi Martino nunquam placere potuit ingenium illud puerilia sectans, perpetua Martialem recitandi prurigo, stilus duriusculus, & ex quo disertissimum Plinii senioris acumen imitari coepit, minus Latinus, etsi acutulus, & affectate disertus.

75. Arctissimam etiam amicitiam habuit cum Francisco Rivio & Cardona, Comite Ferdinandi Nunni. Vir ille egregius literarum literatorumque amantissimus fuit. Scriptis etiam inclaruit, & plura nondum edita reliquit.

76. Sed nihil Decanus tanti aestimabat, quam quod Maria Alencastria Lavarentium Ducissa plurimi eum faceret, & ejus sermonibus multum delectaretur. Et vero id inter maximas Martini laudes recenseri debet: nam heroina illa (vestitu Jesuitica) praeter linguam Hispanam, & huic consanguineam Lusitanam, callebat optime Gallicam, Germanicam, Latinam, & Graecam. Erat Philosopha Peripatetica, Theologa insignis, in profana sacraque Historia versatissima, denique omnigena eruditione instructa, & meliore saeculo dignissima.

77. Hunc vitae cursum peragebat Decanus, qui, ut erat felicissimus, durare non poterat. Annus igitur hujus saeculi agebatur octavus, cum prava flatuum hypochondriacorum affectio acrius multo quam antea, eum infestare coepit: adeo ut ad extremum vitae periculum eum adegerit. Symptomata erant adeo extraordinaria, ut nullo modo posset dare operam studiis, in quibus vitae jucunditatem ipse collocabat. Contigit etiam paullo post Moecenatis sui in Pampilo-

pilonensem arcem conjectio, quam subsequuta fuit mors initio anni decimi. Unde novus Decano dolor accessit & aegrimonia. Amici ei suaserunt mutationem aëris, cum Matritensis adeo adversus esset illius saluti. Statuit igitur Hispalim proficisci, cujus coeli temperatio suae congruentior. Sed ante profectionem expedire debebat omnia negotia spectantia ad Bibliothecarii Antiquariique munus, quod ipse obtinuerat. Interfuit igitur defuncti Ludovici Cerdae Bibliothecae aestimationi, quam fecerunt negotiatores librarii a Ducissa vidua electi. Eorum ignorantiam Martinus egregius raritatis nitorisque librorum aestimator tunc maxime demiratus fuit: nam fere ejusmodi homines in Hispania vix librorum titulos noverunt legere. Deinde ipse Decanus numismata juridice aestimavit. Mox idem factum in Antiquitatum collectione, & in sex & nonaginta voluminibus in quibus copia erat mirifica graphidis exemplarium, ex quibus possent artifices multum proficere.

78. His omnibus expeditis, extremo Julio anni undecimi, Matrito, postquam in ea Urbe septennium fuerat, Hispalim profectus. Carpetanorum fines egressus nulla siti vexatus, etsi regio illa oppidorum infrequentia, ac sterilitate soli, horrida atque tristissima, maximeque laborans aqua pessima, vel potius nulla: ipse autem is esset, qui aquae potui omnia posthaberet. Superata regione ea arida ac siticulosa, terrebat Decanum Marianus saltus, grassatorum maleficiis ac frequentioribus latrociniis infestus. Rumor etiam percrebuerat obsideri viam iis, quos *Aegyptios* vocant. Quare praetrepida omnia ac formidolosa. Cum igitur & ulterius progredi, objectoque periculo occurrere, parum videretur consultum; & consistere, nimis grave molestumque; cum inter spem metumque fluctuaretur; vicit tandem animi fiducia; jactaque alea, conjecit se in saltum, quem pacatissimum expertus, Illiturgim pervenit VIII. Eidus Septembris: postera autem die Cordubam se contulit; sequenti Astigin, non incolumis tantum; sed & alacrior propterea quod quicquid erat itineris tetrum, ac periculosum, id totum feliciter confecerat. Quod autem supererat, voluptatem potius afferebat, quam vel languorem, vel aliquam animi aegritudinem. Via enim undique Naturae opes ostentans vineis & olivetis, spectaculum exhibebat, oculis

lis & animo gratissimum. Cicurata denique omnia, & mitior soli facies. Postera die Carmonem tenuit; altera Hispalim.

79. Dum iter perageret, in omnibus oppidis, in quibus vel tantillum morabatur, diligenter sciscitabatur, num aliqui essent qui haberent antiqua numismata; aut numquid alicubi reperirentur Inscriptiones aliquae, sive prisca aliqua monumenta. Praeterea ibat ad aurifices, aurichalci artifices, & fabros aerarios. numismatum quaerendorum gratia. Ad eos enim in Hispania deferri solent ejusmodi thesauri. Neque sane operam lusit.

80. Ingressus Hispalim recepit se in magnificentissimas aedes, quas ibi habet Excellentissimus vir Nicolaus Corduba, Marchio Priegi, Ludovici Cerdae Metymnensium Principis successor, filiusque lectissimae feminae Feliciae Cerdae, defuncti Principis sororis. Ibi diligentissime curavit, valetudinem multum debilitatam benignitate soli firmare. Quam ubi aliquantulum recuperavit, Antiquitatum investigationi se totum dedidit.

81. Ac primum permotus fama Italicae, clarae natalibus Trajani & origine Hadriani, qui Romanum Imperium tanta cum Hispaniae gloria tenuere; eo se contulit, comitatus Francisco Laelio Laevanto, Archidiacono Iliplensi, ac Luca Valdesio celebri Delineatore, & Mathematico. Ibi, e proximo oppido, quod Sanctus Pontius vocatur, accersitis fossoribus, jussit eos fodere variis in locis, ut antiqua rudera eruerent, & si qua laterent monumenta, patefcerent. Ambulationis fructus praecipuus ut incideret in celeberrimum illud Amphitheatrum Italicense, orbi literario ignotum antea. Cujus Amphitheatri cum faciem superstitem, ab se accurate delineatam, tum Ichnographiam, misit postea Bernardo Monfalconi, per quem illa lucem viderunt publicam in *Antiquitatis illustratae* egregio Opere. Ejus autem Amphitheatri integriore sane fruerentur aspectu, siquidem Hispalenses, praeclarissimi monumenti reverentia tacti ab infligenda injuria sibi temperassent. Sed cum coemento saxisque opus haberent ad murum struendum adversus vim fluminis, a quo Urbi exitium imminebat; publice decretum est, ut Amphitheatrum illud (quod in veteris Italicae vestigio adhuc exstabat pulcherrimum oppido atque integerrimum) funditus subrueretur, allatis eo tormentis, ac suffossis scrobibus pyrio pulveri admittendo, quo tota illa compa-

ges

ges disjiceretur. Quod egregie factum. Nec tamen eventus eorum diritati plene respondit, obsistente veteri structura, quodam perdurandi amore.

82. Anno XII. elabentis saeculi pridie Nonas Januarias Hispali profectus ad portum Menestei. Dimidium itineris asperrima pruina obriguit; reliquum coelo pluvio confecit: in Portum tamen incolumis pervenit postridie Nonas Januarias. Ibi aestatem transegit, & aestus molestiam commodissime vitavit apud amicum Flandrum. Veteres nummos, quotquot potuit, corrasit, novis insumtis. Inde Gades perrexit, ubi multo plura invenit, eaque Phoenicia, quae facile ibi reperiuntur, quoniam Phoenices Gadium conditores fuerunt. Inde gradum flexit, rediitque Hispalim salute jam confirmata, & alacriori animo; in quam Urbem reversus, nihil antiquius habuit, quam ut Principis Alcalaei jussa executioni mandaret. Jusserat ei Princeps, ut inventarium conficeret librariae supellectilis, quae adeo copiosa erat, ut sex mille voluminibus constaret. Invenit Martinus plus quam quingenta volumina, partim humore putrefacta, partim blattis tineisque exesa; quae, ne caeteros libros inficerent, procul abjecit. Bibliothecam illam optimis libris abundantem ex Italia advexerat Ferdinandus Afanius de Ribera Henriquez Hispalensis, Dux Alcalaeus, Tarifae Marchio, Baeticae (ut vocant) *Adolantatus Major*, Ferdinandi filius, Ferdinandi nepos, Ferdinandi pronepos; qui Catalanos cum rexisset, praefuissetque postea Neapolitanis Siculisque, postremo in Italia Regis Vicarius fuit, & Administrator Ducatus Mediolanensis. Itaque summus ille vir, eruditus juxta ac nobilis (ut declaravit egregia Disputatione Hispane conscripta *De titulo Crucis Jesu Christi Domini nostri*) cum in Italia bonarum Artium parente ac nutrice esset, magnam librorum copiam conquisivit, congessitque; praesertim manuscripta quamplurima antiqua, Hebraica, Graeca, Latina, quae collocari jussit in loco separato. Ad librariam autem supellectilem collocandam exstrui jussit coenationem: qua non facile capaciorem in Hispania reperies. Cujus praeter amplitudinem magnificentissimam, loci nitor splendidissimus, saluberrimus aeris afflatus, opportuni luminis hilaritas gratissima, thecae concinnitas eximia, pluteorum elegantia summa, insignium tabellarum ornatus egregii; ut aspicientium animos incredibili quadam voluptate recrearent.

83. Prae-

83. Praeterea idem Vir summus aedes suas magnificentissimas omni veterum monumentorum genere spectabiles fecit. Nimirum eas ornavit pretiosissimis columnis, marmoreis, jaspideis, porphyreticis, cimeliorum loco repositis (inter quas erant duae Numidicae) Item Graecorum artificum statuis ingentis pretii, protomis, anaglyphis, sigillis aeneis, vasis sacrificalibus, tabellis, urnis, inscriptionibus, itemque numismatis veteribus.

84. In principali aedium atrio sunt aliquot statuae Colosseae, veluti Minerva frugifera, Copa Syrisca, & alia visu dignissima.

85. In horti principalis parietibus inclusa visuntur prominentis sculpturae quam plurima monumenta, propter antiquitatem historiasque quas continent maximi facienda. Jussit Martinus peritissimo pictori, ut scalas admoveret, & praecipua delinearet.. Erant inter ea duo praegrandes lapides navale praelium exhibentes, ubi conspiciebantur naves turritae (ignotum antea desideratumque monumentum eruditis oculis) thensa item singularissima, & pompa triumphalis. Quae Martino videbantur esse reliquiae fori Trajani; idque Decani judicium comprobavit postea eruditissimus Monfalconius, qui monumentum illud publicavit, notisque illustravit, & singulare esse in orbe terrarum confessus est.

86. In eodem horto erat basis quaedam statuae Isidis. In ea erat Anubidis hinc simulacrum novo gestamine, nempe clava. Atque Ibis illa decantata. Inde vero, sive Osiris, sive Numen aliud Niloticum, cum subjecto Apide. Inscriptio praeterea quam laudatus edidit Monfalconius, aegre ferentibus Martini amicis eruditis, quod sibi prius non communicasset illam, ut publicandi gloria fruerentur.

87. Haec omnia sacratiore custodia dignissima, adeo ignorantia, contemtu, ac ludibrio nostratium abjecta jacebant & ingloria, ut Martino sedulo contemplanti, potius lacrymas exprimerent, quam ejus oculos oblectarent.

88. Hinc colligi potest, quot quantosque sumtus fecerit summus ille Vir Ferdinandus Henricida Dux Alcalaeus, ut aedes illas adeo magnificas exstrueret, & ornamentis instrueret. Qui, si ab eo somno quem dormit, excitaretur, procul dubio indignaretur, quod ex magna numismatum collectione, quam diligentissime congessit ipse,

ſolum inutilia ſuperſint, reliquis ſubreptis. Idemque contigit in optimis libris. Quorum quo major raritas, eo avidior diripiendi cupiditas.

89. Superiorum omnium Martinus inventarium confecit, ex mandato excellentiſſimi Viri Nicolai Cordubae. Ita vero utebatur tempore, vt nec muneri ſuo deeſſet, nec genio. Nam quod ſibi ſupererat ab injuncto onere, nummis veteribus codicibuſque exquirendis impendebat, amicorum opera uſus ad ea paranda. Nec irritus labor. Quippe nummorum magnam copiam congeſſit, Romanorum, Graecorum, Punicorum, Hiſpanorum, priſci aevi. Adeo ut per quatuor annos & ſex menſes, quos in ea urbe moratus, mille & ſexcenta numiſmata, diverſa collegerit.

90. Nec minor fuit ejuſdem felicitas in inveniendis codicibus manu exaratis. Nam vili pecunia comparavit Ariſtophanis Comoedias manu bene vetuſta & eleganti, adjectis etiam Scholiis nondum in lucem editis. Codicem praeterea qui inſtar eſſe poſſet penus Oratoriae. Continebat enim illuſtriores Demoſthenis orationes, uti & Ariſtidis; Philoſtrati Vitas Sophiſtarum; Excerpta ex Philoſtrati de Vita Tyanaei; ex Himerii Sophiſtae Declamationibus; item ex Libanio, Hyperide, & Plutarchi Parallelis. Platonis item Gorgiam, ſive de Rhetorica, & alia: qui codex fuit olim Nicephorae Gregorae, ut oſtendit ejus chirographum in interiore tabella hinc inde deſcriptum. Quo etiam nomine permagni a Martino aeſtimabatur. Comparavit itidem Aretaei Cappadocis Profeſſione Medici, Hippocratici Ioniſmi feliciſſimi imitatoris, libros περὶ ὀξέων νόσων. recentiore quidem manu, ſed bene perita. Rufi Feſti Περὶ Ὀνομασίας τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων. Quae nomenclatura humanarum partium non quidem inepta & jejuna, ut fere ſunt Grammaticorum; ſed laborioſa plane & erudita. Hic Feſtus fuit profeſſione Medicus, floruitque ſub Trajano Principe, ſcripſitque *De Victu navigantium.* Nactus etiam fuit Manuelis Atramytteni librum Θεοσοφίας, in quo vaticinationes Sybillinae ad Chriſti adventum, ejuſque ſalutiferam legem pertinentes cum Divinis Oraculis componuntur παραλλήλως. Praeterea MSS. Sex. Pompeji Feſti; ſed mendis ſcatens. Ad Martinum etiam delatum fuit volumen manuſcriptum, in quo plurimae erant antiquae Inſcriptiones elegantiſſime deſcriptae; ſed eas tanquam ſuble-

subleſtae fidei deſpexit, & in tam vilibus mercibus viſum ei fuit non prodigere pecuniam. Debuerat autem emere, ne imperitis hominibus anſam relinqueret, obtrudendi eas tanquam alicujus momenti.

91. Ergo dives veteris metalli chartarumque, conſtituit Martinus repedare Mantuam, ut inde Romam proficiſceretur. Nam in Hiſpania neminem inveniebat, quocum res ſuas communicaret. Itaque poſteaquam Hiſpali fuerat quatuor annos & decem menſes, extremo Junii anni MDCCXV. iter in Urbem Regiam ſuſcepit. Quo in itinere variis incommodis aerumniſque vexatus eſt, ut erat anni tempus. Statim enim ac Marianos montes ſuperavit, ingreſſus in Spartariam Provinciam alvi profluvio acriter laborare coepit, quo nihil aliud ejiciebat, niſi bilem meram. Quod cum Decanus animadvertiſſet, actum de ſe putavit, memor aphoriſmi Hippocratis Medicorum Principis. Profluvio tamen illo non ceſſante ſummo labore peregit ſuſceptum iter, & poſtridie Kal. Julias noctu Matritum pervenit, adeo viribus dejectis, ut lecto & domi ſe continere coactus fuerit. Supervenit fatale quoddam cibi faſtidium, ſtomacho omnia reſpuente, conſequuta vigilia, continenteſque merae bilis ejectiones, tandemque febricula: quae tamen duabus tantum reverſionibus contenta, diſceſſit, vi medicamenti cathartici, quod ipſe (ſui optimus Medicus) ſibi domi praeparari juſſit. Cujus beneficio, tertio die poſteaquam Matritum ingreſſus fuerat, lectum reliquit.

92. Diem extremum paullo ante obierat Gabriel Alvarezius, Bibliothecae Regiae Praefectus, vir modeſtus, & eruditus, qui *Eccleſiae Mundique Hiſtoriam ad diluvium uſque* conſcripſit, ſtilo Aſiatico tumidoque, diſputatiunculis referto praeter Hiſtoricas leges. Ut primum igitur Martinus Regiam Urbem attigit, omnes in eum oculos conjecerunt, tanquam unum cui Muſei Regii cura committi jure deberet. Et ſane res eo devenit, ut ipſi Regi clam ſupra menſam appoſiti fuerint incerti Auctoris codicilli ſupplices, in quibus referebantur Martini merita ad illud munus exercendum apprime conducentia. Praeterea doctiſſimo viro Guilielmo Dubantoni, Regis conſcientiam dirigenti, cujus ad conſultationem Rex munus illud largiturus erat, quamplurimi Hiſpaniae Magnates pro Martino ſupplicabant. Quin & Joannes Emmanuel Ferdinandi Pacciecus, Marchio Villenenſis,

fis, cui Dubanton mandaverat, ut perquireret virum eruditum & comem, qualis ad illud munus exigitur; locutus cum Decano coram Joanne Interamnenfi Ajalaeo qui forte aderat, quemque Marchio impenfe diligebat; aperte dixit, Decanum effe, qualem ipfe quaerere debebat. Cum haec in vulgus emanaffent, Martino poftea Bibliothecam Regiam ingredienti, librorum confpiciendorum gratia, ftatim reliqui Bibliothecarii ei tanquam Praefecto fuo gratulari, illo tamen renuente ac dicente, fe plures jam annos ab Ecclefia fua abeffe; hanc acephalam effe temporibus adeo turbidis; Vicarium fuum procul, Parifiis degere, fe confcientiae ftimulis adactum vitam agere irrequietam, adeoque cogitare Alonenfes latebras. Cauffabatur etiam, fe ex quo Urbem Regiam ingreffus fuerat, iterum tentari coepiffe antiquis morbis, adeoque in animo fibi effe fixum effugere coelum faluti fuae infenfiffimum. Fugitante igitur Decano, & Dubantone eum filentio praetereunte (cujus rei cauffa minime latebat) Bibliothecae Regiae Praepofitus fuit Joannes Ferreras, Paroeciae Matritenfis Divi Andreae Curio, Scriptor ferreus *Annalium de Rebus Hifpaniae*, quas dum ad Chronologiam tanquam ad amuffim tentavit adaptare; homo artis dicendique facultatis expers, in tenuiffima frufta difrupit illas; ut fingularum rerum interruptam feriem, fi cogitatione velis ordinare, fruftra fueris. Scriptor tamen qui legendus eft. Rudem enim effe in noftris rebus, quas pauci cum judicio literis mandarunt, aut inertiffimae fegnitiae eft, aut faftidii delicatiffimi. Deceffit hic probus doctufque vir Mantuae Carpetanorum fexto Eidus Junias, Anni MDCCXXXV. aetatis fuae LXXXIII.

93. Nefciebat Martinus in otio degere, exiftimans illud vivi hominis fepulturam effe. Itaque cum Matriti degeret Janus Interamnenfis Ajalaeus, Martialis recitator affiduus, quique ejus Poetae urbanitate ac facetiis apprime delectabatur; Martinus menfe Decembri anni MDCCXV. triduo, animi laxandi gratia & quafi ludibundus, Graece convertit illius acutiffimi Poetae Epigrammata quaedam, quibus adjunxit aliqua jam dudum a fe exarata, eaque omnia mifit amico fuo, tum ut voluntatem illius fponte fua in fe devexam illo munere arctius devinciret; tum denique ut tam luculento exemplo amicum jamdiu torpentem excitaret, & acres illos igniculos eliceret, quibus inflammatus loca petere confuevit nullo unquam vio-

lata.

lata vestigio. Ajala munus amici Epistola carminibus intertexta redonavit. Cujus facilitatem cum admiraretur Decanus, misit ei Poemation Paraphrasticum jucundissimi illius Odarii Anacreontici, quo suavissimus ille Poeta convivalem urbanitatem celebravit: jussitque ut Latine converteret; quod elegantissime praestitit Ajala.

94. Deinde cum mense Martio Anni MDCCXVI. die ipso aequinoctii verni Martinus podagra primum fuisset correptus, molestissimo dolori levando Janum Ajalaeum ad se visendum invitavit dulcissimis Hendecasyllabis, quos Lectoris taedio leniendo visum est adjungere.

Jane, deliciae, lepos, amores
Nostri, grande decus novem sororum;
Parnassi juga celsa, verticemque
Dum premis bifidum, atque amoena Pindi,
Vel vires numerosque Tullianos
Dum versas animo, vel aemularis;
Mosis volvere Cecropisve chartas
Vel magis lubet, otiove ludis;
Martinus vetus hospes & sodalis
Correptus podagra misellus haeret,
Inclususque domi, laboriosa
Vinctus compede duriter laborat.
Martinus, caput illud, impotenti
Cujus tu fueras amore captus
Ipsum illud caput usque & usque languet:
Ergo si veteris memor pudoris,
Nos Ajala cupis levare morbo;
Fac solere jocis facetiisque,
Festivissime, languidum sodalem
Martinum, veterem hospitem & sodalem:
Utemur medico auspicatiore,
Dum joci veneresque personabunt.

95. Janus Interamnensis Ajalaeus amici dolorem dolens, adversus podagrae contumaciam, elegantissimos fudit Hendecasyllabos, qui licet inter ejus Opuscula Poetica legantur; eorum tamen exemplar

hic subjicietur, ut eruditus Lector intelligat, quantum in hujusce compositionis genere Ajala valuerit.

Tristis, terribilis, furens podagra,
Aerumnosa, gravis, procax, molesta,
Quid tantum cupis insolens videri,
Ut non divitibus voluptuosis,
Ventris mancipiis, gulaeque servis
Bellas perplaceat movere pugnas?
Nisi & saeva, viros laboriosos,
Doctos nempe, pios, honestos,
Frugique, & veteris tenaciores
Castae sobrietatis (ipsa nosti)
Quam vel Fabricii novem, vel octo
Hispani fuerint simul Poetae,
Turbare obstrepero dolore pergas?
Quid Martinus, amabo, dic proterva,
Admisit sceleris, quod expiandum
Acerbo reputaveris dolore?
Martinus meus ille, quem Minerva,
Interpres Superum disertus, & quot
Coelo numina sunt venustiora;
Amant non secus, ac suos ocellos?
Quem Phoebus colit, & novem Camoenae,
Cujus dulcisonis modis Camoenam
Germanam veluti colunt sororem.
Tune illum senibus comes gulosis,
Frugalem, sobriumque, Curiumque
Contorquere voles, & permolesto
Noctes, atque dies tenere lecto?
Quare protinus, Hercules, malorum
Depulsor validus, Machaonesque,
Litae, vos, soboles Jovis, benignae,
Nil jam segnipedes, & ipsa quotquot
Sueverunt hominum levare noxas,
Huc, huc, Numina, deprecor, venite,

at:

Et nos implacida levate cura.
Sitque protinus integer, valensque
Totis viribus ille; provocare
Ut certamine possit expeditos
Cursores in Olympicis, vel ipsos
Quotquot Isthmiacis vetus coronis
Victores celebravit palaestra.
Audi, sin minus, Hercules, bonarum
Frugum particulas tibi rependi,
Armatus licet exigas, negabo.
Et vos, ni facitis, Litas, Deasque
Nemo jam merito, sed exoletas
Deliras vetulas lubens vocabit.
Tuque abi citius, fugam capesse,
Et vel Thracibus impera cruentis,
Vel bonis nitidae cutis Batavis;
Ni jejunia sentiens Poetae
Et confecta fame perire malis,
Aerumnosa, gravis, procax, molesta,
Tristis, terribilis, furens podagra.

96. Statim ac convaluit Martinus, cupido eum incessit, per literas compellandi Bernardum Monfalconium Benedictinum, Congreg. S. Mauri Presbyterum, virum eruditionis fama clarissimum. Inaudierat Martinus Monfalconium eo tempore summo studio viriumque contentione in vetusta incumbere monumenta, eorumque editionem parare. Cui rei colligere, & coacervare dicebatur, quicquid pristinae majestatis reliquiarum ubicumque terrarum superesset. Quam ob rem existimavit, se Monfalconio pergratum esse facturum, si quibus Hispaniensibus antiquitatibus institutum ejus juvaret. Itaque literas ad eum dedit, plenas humanitatis & officii, quibus adjunxit Theatri Saguntini accuratissime ab se delineati exemplar una cum ejusdem descriptione. Indicavit etiam Martinus, extorsisse se a Saguntinis publicum decretum, quo gravissima poena iis indicta, qui illud cumque igni ferrove violaverint: eaque de re exstare Epistolam suam ad Decuriones Saguntinos. Quam, si ad institutum a Monfalconio opus, vel

vel historicam narrationem, pertinere quoquo modo ille judicaverit, missurum se perlibenter una cum Decurionum responso satis liberali, pollicitus est. Misit etiam Monfalconio Amphitheatri Italicensis cum faciem superstitem, ab se etiam accurate delineatam, tum ichnographiam. Denique promisit se missurum alia haud illepida, si forte illa placerent. Monfalconius, ut Martini literas elegantia, eruditione, & humanitate plenissimas accepit, atque perlegit; ex ungue leonem agnovit: & candide confessus est, non putare se in Hispania esse virum tantae eruditionis, tam tersae Latinitatis, in antiquitate usque adeo peritum, quam Emmanuelem Martinum videret esse; ita ut etiam inter literatissimos Europae totius accenseri mereretur. Idque κολακείας procul a se dici, serio affirmavit. Subjunxit sibi peropportunum contingere, ut dum monumenta vetera ubique terrarum persequeretur, in Hispania, quod minime sperabat, sibi sese ultro offerret, vir omni exceptione major, qui monumenta nobilissima a tenebris ab se eruta, doctisque Notis illustrata, secum communicare vellet. Summa itaque cum voluptate accepit Theatri Saguntini delineatam ichnographiam & descriptionem eruditissimam. Cujus sane Diatribae magnum sibi futurum esse usum dixit in Theatrorum descriptione. Etsi enim non totam lucubrationibus suis inserere liceret; ne jam memorata repeterentur; ejus utique partes maximas se allaturum cum honorabili & nominis & eruditionis Emmanuelis Martini mentione pollicitus est. Postea tamen consilium mutavit, nec dedignatus est vir eruditissimus Dissertationem integram in Gallicam linguam vertere, & in utraque tum Gallica, tum Latina publicare. Vidit etiam libentissime Amphitheatri Italicae ichnographiam, simul & orthographiam: & utramque postea inter Amphitheatra locavit. Adjunxit, pergratum sibi futurum, si suam ad Saguntinos Epistolam, ipsorumque responsum ad se transmittere dignaretur, quae si non integra posset, compendio saltem in opere suo referre in animo habebat. Denique enixe rogavit, ut quaecumque ad manum haberet, secum communicaret. Perquam officiose id egit Martinus; nam literis postea datis Alonae v. Eidus Novembr. anni MDCCXVI. adjunxit epistolae ad Saguntinos, eorumque responsi exemplaria: sicut & basim statuae Isidis Puerperae, quam Hispali in Marchionis Tariphae aedibus accurate diligenterque deli-

delineandam curavit. Unaque misit ei basi adscriptam, & a se propria manu exaratam Inscriptionem lepidissimam. Misit etiam sex lapides praegrandes Roma olim advectos a Ferdinando Henricida Duce Alcalaeo, & a Pio V. Pontifice Maximo ei donatos. Quos fori Trajani esse reliquias ipse autumabat, Certe magnifici vastique alicujus aedificii fuisse partes, cum ex rerum in iis expressarum varietate ac dissimilitudine satis constabat, tum ex eorum extremitatibus minime invicem cohaerentibus. Erat in iis novae formae thensa, sive currus triumphalis, cum reliqua pompa; naviumque turritarum structura, ornatusque. Misit etiam lucernas aliquot aereas exquisitioris artificii, quae diligentiam fugerunt accuratissimorum virorum Petri Joannis Bellorii, & Fortunii Liceti. Eas depromserat ex Museo Ecelestae Principis, cui olim praefuerat. Quod Museum translatum deinde fuit ad Regiam Bibliothecam. Nonnihil etiam adnotavit de veteri Hispanorum vestitu: & nummum eo spectantem adjunxit, misitque.

97. Ingenti cum voluptate munera haec accipiebat Monfalconius, maxime turritas illas naves, quas ut saepe in veterum scriptis adhibitas a Graecis Romanisque legerat; ita nondum viderat in monumentis insculptas incisasve. Tabulae quoque illae Aegyptiorum numinum sibi gratissimae fuerunt. Quarum licet copiam penes se haberet, nullam sane ante illum diem similem, nec tam singulari inscriptione ornatam conspexerat.

98. Idem Monfalconius Diatribam illam in Saguntinum Theatrum, integram in ea operis parte, quae ad Theatra pertinet, edidit.

99. Forte eodem anno decimo sexto contigerat Carthagine nova, dum portus jussu Regis purgaretur, ut navis antiquae carina inveniretur, cum costis, sive lignis transversariis; prora itidem & puppi, asseribusque nonnullis clavis aereis compactis ac bitumine, sive asphalto quodam obductis; cui Severi Alexandri nummus affixus, tenacissime haerebat. Martinus amicis mandavit, ut praestantissimum illud fragmentum delineari juberent. Pervicax autem nostratium antiqua monumenta vastandi libido, compagem illam quae tot annorum pelagique insultus eluserat, ac in lucem tandem emerserat, facto adversus eam impetu dissolvit discerpsitque: ea scilicet fini,

ut clavos aereos Regi mitteret. Stupefacti enim homines nihili materiae novitate, visi sibi sunt egregium munus Regi concinnaturi, si caeteris disjectis divulsisque, gomphos tantum servarent; reliqua pro meris nugis habentes, & quisquiliis. Illas igitur reliquias, sive membra divulsa, peraccurate perque concinne delineata cum singularum partium nomenclatura ac dimensionibus Monfalconio misit Martinus, ut illa operis sui immortalis luce donata, posteritati transmitteret. Sperabat enim Martinus, in iis fortasse hodiernam naupegiam inventuram quod imitaretur: sin minus, certe, quod miraretur. Misit praeterea prominentis sculpturae prostypum quoddam antiquissimum, quod Hispali delineari jusserat in aedibus Ducis Alcalaei, referebatque triclinium, praestantissimum profecto monumentum, & auro contra erudito homini non carum. Nam licet jam olim a Petro Ciaconio Toletano, eruditissimo viro, persimile quiddam in lucem editum, quod Romae in hortis Montaltis asservabatur, ac postea recusum fuit in *Admirandis Romanarum Antiquitatum*; tamen si attente utrumque perpenderetur ac conferretur, erat profecto nonnihil inter ea discriminis, observante Martino.

100. Hic postea cum Romae esset, v. Eidus Januarias Anni MDCCXVIII. Parisios ad Monfalconium misit, paterae cujusdam fictilis, quae apud se erat exemplum quam accuratissime delineatum. Valde enim bella sibi visa fuit, nec minus digna quae a Monfalconio inter instrumenta sacrificalia recenseretur, uti re vera edita fuit postea in operis Supplemento. Misit praeterea fictilem quandam phialam lachrymis excipiendis, quae asservabatur apud Hieronymum Odamum Equitem Constantinianum Divi Georgii, juvenem antiquitatis omniumque elegantiarum studiosum, naturaeque pariter industriaeque artibus viro nobili dignis ornatissimum, Martinoque arcta admodum ac jucunda consuetudine conjunctissimum, qui tam pateram, quam phialam manu sua delineavit.

101. Haec minutatim paulloque diligentius connumerare visum est, ut posteritas agnoscat Emmanuelis Martini studium antiquitatis illustrandae.

102. Nunc rerum ordo postulat ut videamus, quomodo se habeat Martinus, quem Matriti reliquimus provocantem Monfalconium ad amicitiam: quorum illustris communicatio undecim annos duravit,

Mar-

Martino Monfalconium eruditis donis locupletante, & Monfalconio illa restituente orbi literario.

103. Elabente anno MDCCXVI. in Urbe Roma degebat Joachimus Alcarazius Valentinus, homo alienae laudis captator, suaeque nimis indulgens, gloriae avidus, & aucupator sollicitus, literis potius tinctus, quam imbutus, alioqui probus & modestus. Ille juvenis cum Matriti, cum officii, tum disciplinae causa, Martini domum frequentaret (ab eo enim imbuebatur linguae Graecae rudimentis) precibus ei extorsit Theatri Saguntini ab ipsomet Martino delineati exemplar, una cum ejusdem Martini descriptione, quam illi affixerat hortatu Cl. Viri Antonii Felicis Zondadarii; tunc quidem Legati Apostolici munere fungentis in Urbe Regia; postea autem in amplissimum purpuratorum Collegium cooptati, apud quem etiam exstabat, & quidem Martini manu scripta. Ille igitur, abjecta veteris amicitiae verecundia, totque Martini erga se meritis impacto calce; opus illud, a Martino exantlatum, Romae edidit anno MDCCXVI. cum levi tantum mentione Emmanuelis Martini: rem totam industriae suae tribuens; cum re vera, nec monumentum illud unquam vidisset; ac tametsi vidisset; in alieno foro (ut dicitur) litigasset: cum nihil ad illum pertinerent ejusmodi studia. Nec ullus adhuc ante Martinum fuisset, qui Theatrum illud fuisse, vel per somnium cogitasset. Neque edidit solummodo Alcarazius, sed Martini verba corrupit, mutavit, praecidit, ac misere laceravit: ut addidisse aliquid de suo videretur. Hoc cum rescisset Emmanuel Martinus; Mantuae novae in Carpetanis, postridie Nonas Aprileis, anno MDCCXVI. literas dedit ad Janum Vincentium Gravinam, veterem fidumque amicum suum, quibus enixe ab eo flagitavit, ut caussae suae patrocinium susciperet, ita ut homines intelligerent, Alcarazium esse furem & plagiarium Dissertationis illius *De Theatro Saguntino*. Caetera praesentiae, quam Martinus cogitabat, reliquit. Gravina literis acceptis scelus illud apud eruditos omnes arguere Neapoli, ubi forte erat: & XVIII. Kal. Sept. ejusdem anni ex eadem urbe rescripsit, se cum calor remiserit, Romam rediturum, ibique post solemnem clarigationem, judicium status instituturum, inque agenda Martini caussa, operam ab illo olim sibi egregie, atque constantissime navatam, abunde ei redditurum; injuriasque illius ultum iturum,

rum, non per amicos tantum, sed per praetoriam, uti vocabant, discipulorum suorum cohortem, per quam leoninam perduelli illi pellem, detracturum pollicitus, vulgato ubique vero illius libri auctore. Et profecto fidem suam egregie liberavit.

104. In hoc rerum statu decrevit tandem Martinus Regiam Urbem relinquere, & Alonam petere; inde Romam, ubi reliquum omne suae vitae tempus jucundissime transigere sperabat. Quod consilium Hispali jam ceperat, exequutionemque ejus animo agitabat, Hispaniensium rerum fastidio propellente eum. Igitur liberatus a podagrae molestia, Matrito Alonam profectus est, ineunte Majo.

105. Tunc Alonae degebat Philippus Bulipho Neapolitanus in Alonensi tractu Regii aerarii Praefectus vigilantissimus integerrimusque, Jurisconsultus gravissimus, qui in Neapolitano foro caussarum fuerat Patronus egregius, eruditissimi Bernardi Monfalconii in itinere Italico individuus comes, Graecae linguae non ignarus, Latinae callentissimus, historiae tum prophanae, tum sacrae peritissimus, maximeque dogmatum Christianorum. Quarum virtutum fundamentum prudentia & modestia singularis. Cum tam egregio viro Martinus amicitiam iniit arctissimam, & in ejus consuetudine, vitae suae jucunditatem, quandiu Alonae commoratus, reposuit.

106. Quod ad res domesticas attinet, erat sibi ancilla Africana conscribillata fronte, colore subfusco, gracilens, exsucta facie, genis adductis, aetate vergente, addicta tantum culinae, & rei pulmentariae, ac praefecta cacabis patinisque. Mulier Apiciana elegantia, & digna profecto lautiore penu. Sed tamen semper delectavit Martinum valde in mediocritate mundicies. Mulier itidem alia cui commissa cura rei domesticae, nihilo liberaliore facie; sed haud indiligens, bene morata, verecunda, officiique tenax. Ad haec puella quaedam impubes, ultro citroque commeando, mandatisque perferendis. Denique adolescens quidam, qui sibi, ut Aesopus erat suo domino, solus esse poterat familia. Nam lucubrationes Martini & emendate exscribebat, & scita satis elegantique forma. Nec enim Latine nesciebat. Idem a cyathis, a veste, a pedibus, ab epistolis. Si quando moeror eum invadebat, musicis etiam modulis ac concentibus animum ejus exhilarabat deliniebatque. Nam & fidibus didicerat, & cantillabat, & versiculos pangebat. Haec erat totius fami-

liae

liae Emmanuelis Martini summa: praeter quam habebat catellam, cui a colore rostri Μελαγκέγχιν nomen indidit, quasi *Nigrirostram* dixeris.

107. Quod ad domum attinet, ea quidem opportunissimo sibi loco sita erat. A sacra nimirum aede muro tantum interjecto diremta. Boreae Eurique flaribus praecipue obversa. Quo fiebat, ut ab aestu minus laboraret, blandiente utroque spiritu. Itaque Decano magnopere invidebatur ob aestivas commoditates. Universa domus interior summam habebat dignitatem. Pavimenta enim laterculis versicoloribus constrata erant mira concinnitate varietateque, tecta leniter convexa, ac nitidissimo tectorio obducta, in quorum umbilico sculpturae prominebant auro renidentes. Cubiculum a viae strepitu semotum, sepositumque, juxtaque aliud arctius servo accumbenti Libris eximius locus obrigerat; eo nitore atque elegantia, ut sacelli potius faciem referret, quam Bibliothecae. Itaque Martini contubernales habitabant basilice. Adjacebat museum, quasi dedita opera ad id exstructum exornatumque, ut cimelia reconderet adservaretque. Itaque numismatibus ac reliquae vetustae supellectili eum locum addixit. Scalae demum, atrium, podia pensilia in viam projecta, pro dignitate omnia. In summa habitabat laxe magnificeque. Illa tamen omnia nihili fecisset, ipsaque illa commoda omni interitu acerbiora duxisset, nisi prudentissimi doctissimique viri Philippi Buliphonis amicitiam conjunctionemque sibi obtulisset Divina Providentia. Ille animum in ea librorum inopia ac literarum solitudine aegrescentem suavissimis alloquiis erexit, atque sustentavit. Quo eximio ac singulari in Decanum Alonensem studio id effecit profecto, ut minus eum vitae lucisque taederet. Una ibant deambulatum, eruditas serebant quaestiunculas, plenis faucibus de rebus differebant ad philologiam spectantibus: imo potabant etiam. Sobrie tamen, atque ut decebat Sapientiae alumnos, qui praeter amoenas ambulatiunculas, hiberno tempore statis noctibus conveniebant, non tam laxandi, quam erudiendi animi caussa.

108. Verum haec omnia Martinum a proposito Romam proficiscendi amovere non potuerunt. In hunc finem omnia sua negoria celeriter expedivit, impedimentaque amovit. Primum omnium scripsit Josepho Speculo Episcopo Orcellensi, orans ut juberet Anasta-

sio Martino Parisiis degenti, ut aut in Ecclesia Alonensi resideret, Vicarii munere fungens; aut ab eo se abdicaret. Josephus Anastasius Martinus Episcopo respondit, se imperata facturum; Decano ipsi scripsit, iter suscepturum intra paucos dies; & paullo post, eundem fecit certiorem, sequenti die profecturum. Quo nuncio accepto, Decanus qui reliqua negotia jam expediverat, sarcinulis in navim conjectis, veste, libris, numismatis, secreto in navim conscendit Nonis Majis anni MDCCXVII. constantissimo proposito nunquam in Hispaniam redeundi, quoniam in ea literis quas deperibat, colendis fruendisque commoditatem nunquam invenerat idoneam.

109. Postridie Nonas Majas circa noctis conticinium e portu Alonensi solvit tranquillo immotoque mari. Sed paullo post Eurus coepit eum vexare: quicum viribus aucto per biduum conflictatus fuit, verberatis incassum undis: ut jam Martinum adversae navigationis taederet. Hinc cibi cupidissimum insomnia conficiebant. Itaque noctu surgere, nauticam pyxidem scrutari, rimari ventos, nauseae marisque jactationi minime obnoxius. Obtigerat illi in puppi cubiculum sane quam opportunum, quod clavi obserabatur. Itaque ejus reculae pulchre adservabantur: quod ei multum placebat: nam semper fuit nitoris & elegantiae cupidissimus. Unum erat sibi perquam molestum, mensa: quae sordida profecto atque illiberalis: ut sibi videretur inter Scythas potius, quam inter Anglos versari. Ergo tetro ciborum adspectu & illuvie ad id inediae redigebatur, ut buccellatum tantum vino intinctum reficiendis viribus adhiberet, vel Indicam potionem, Donec ineptissimo illo coquo Anglo procul amandato, rei patinariae Ligur praefectus fuit. Cujus tanta erat artis popinariae peritia, ut Navarchus ipse vel unctas patinas avidissime liguriret. VI. Eidus circiter primam vigiliam ventus ad Vulturnum recessit. Itaque ad Caesiam prora directa aliquanto commodius navigavit. V. Eidus Ebusum praetervectus fuit, ea insula ad dextram relicta. IV. Eidus densissima nebula navigantes obtexit, usque ad horam quartam: quo tempore pelagus nuper placidum, crispari coepit, Africo ingruente, ac dissipata caligine. Itaque Balearibus pone relictis, ante solis occasum Barcinonem praeternavigaverunt, senescente jam vento. Postera illucescente caligo iterum navigantibus diem abstulit. Sed hora quarta Auster illis auxilio

sio fuit, quo protrudente sinum Narbonensem ingressi sunt, Hispania multum valere jussa. Eidibus circa diluculum ante portum Massiliensem constiterunt, inter scopulos qui complexu suo stationem quandam efficiunt, visu profecto jucundissimam, navibusque tutissimam. Hora fere sexta, relicto Massiliensium portu, licet infestissimo Euro pervicacius reflante, connisi tamen sunt Angli navim in altum provehere, mirantibus Massiliensibus eorum audaciam. Adfuit tamen ausis fortuna: nam adolescente nocte, cum Eurus defecisset, praesto fuit Caurus, quo impellente, promontorium Massiliense feliciter flexerunt. XVI. Kalendas Junias in mari Ligustico diem contriverunt, inertissima tranquillitate detenti, velisque fluitantibus. Postera dies atra, & moerore plena. Incubuit enim vehementius Aquilo, quo acrius urgente, & in immensum tumente mari; foedissima tempestate correpti fuerunt. Plena omnia tumultu & exsangui pavore. Velum decumanum medium discissum, utrinque linteis volitantibus. Circa solis autem occasum, cum ventus posuisset, periculo quidem exemti fuerunt. Restabat tamen molestissima certaminis pars, jactatio nempe a tumore fluctuum, & inertia maris: quae navigantes perpetem illam noctem, & sequentem diem saevissime exercuit; ut nec stare, nec jacere, daretur, prae maris jactatione. Ea nocte ante portum Genuensem steterunt. Quem sequenti die ingressi sunt, saevissimo Euro repellente. Cum autem portus ille Euri flatibus maxime pateat, eoque naufragiis infamis, Gubernatorque praecedentis diei crapula adhuc madidus importuno loco ancoram jecisset, in ipso nimirum portus ostio; ea fluctuum saevitia laborare coeperunt, ut trium ancorarum funes abrupti fuerint; sola navigantes sustentante sacra ancora; in qua una salutis spes. Nec illis auxilio esse poterant reliquae naves, quae in ancoris stabant: propterea quod nondum nomina professi fuissent. Immo cum funem ad terram alligare vellent Angli, praesto fuit nonnemo ei rei praefectus, qui tribunitio veluti imperio intercessit. Sed inter has angustias Divinum auxilium periclitantibus affulsit. Repente enim atra nubes ac terribilis, quae urbi ac navi imminebat, eo impetu reflare coepit, ut Euri vim fregerit; navigantesque in tuto locaverit. Cui certe acceptum retulerunt quod incolumes terram tetigerunt. Quam Emmanuel Martinus deosculatus est circa horam nonam, fame confectus

fectus ac madore. Nam in ea navis colluctatione puppis fenestrae, crebro undarum assultu fractis repagulis, discussisque valvis patuerunt; admissoque pelago pene submersus fuit. Ergo undecima die quam Alona solutum est, Genuam appulit, incolumis quidem valensque. Ibi Musico dramati in theatro non semel interfuit. Ac sibi profecto videbatur in alium terrarum orbem esse delarus, quemadmodum ipse scripsit Buliphoni suo, literis quas Genuae dedit XXII. Kal. Junias. In ea urbe commoratus fuit undecim dies. Inde se contulit Liburnum, ubi sex dies mansit. Pertaesus navigationem, pedibus iter per Etruriam continuavit. Invisit Pisas, Florentiamque. Senis biduum commoratus fuit cum Cl. viro Alexandro Zondadario, Archiepiscopo Senensi amico suo perveteri. Denique sex dies insumsit ut justis itineribus Liburno perveniret Romam. Quam Urbem ingressus fuit III. Nonas Junias, tanto cum gaudio, ut tum demum novam, jucundissimamque vitam incipere sibi videretur.

110. Pridie quam Martinus ingrederetur Romam, Joachimus Alcarazius qui aspectum ejus sustinere minime audebat, excessit Urbe, & Venetias profugit. Inde trajecit in Bataviam, ubi furiis agitatus *Mitram Martini*, famosum carmen publicavit; & paullo postea moerore confectus decessit, pie, & Catholice, ut Christiana pietas credere jubet; nam in eo juvene nihil unquam non laudabile animadversum fuit, praeter nimiam gloriae cupiditatem, nimiumque sui amorem: quibus occoecatus, certamen adgredi ausus, infelix puer, cum Martino, Achille literario impar congressus.

111. Emmanueli Martino Urbem ingresso praesto fuerunt ad omne humanitatis genus veteres amici. Quibus minime cessit, neque in aliquo officio se vinci passus est, recentissimus amicus Caesar Laurentius Bulipho Philippi frater, qui ad primum Martini adventum, ei in domo, supellectile, veste, ac familia comparanda, multum commodi attulit.

112. Adfuit etiam Martino omni officiorum genere Janus Vincentius Gravina eruditae Jurisprudentiae lucidissima fax. Librum ille scripserat singularem *De Romano Imperio* ad Augustulum usque. Et jam absolutum habebat *De Romano Imperio Germanorum* opus alterum ex primi Libri principiis necessaria consequutione deductum, eaque

eaque arte atque cautione (prout sibi quidem videbatur) contextum, ut veritatis & partium offensionem (erat enim Europa sicuti nunc, partium Borboniarum Austriacarumque studiis divisa) una vitaret. Eam tamen editionem ad Martini adventum differre voluit, ejus consilio & opera, si qua esset necessaria, usurus. In illo opere Gravina contendebat probare, Imperatorem Carolum VI. cui ipse erat addictissimus, habere certum Imperii genus in caeteros Europae Reges, tanquam sibi subditos, sibique obnoxios. Martinus opere perlecto admonuit Gravinam, ut sibi consuleret, nescire illum, quid sera dies veheret, crebroque ei inculcavit Euripideum illud

Qui sibi sapiens non est, ne quicquam sapit.

Quo pacto deterruit hominem ab eo libro publicando.

113. At eodem tempore Martinum cupido incessit relinquendi aliquod ingenii monumentum sui. Cujus desiderio ut amicus ejus satisfaceret, Bibliopolas ac Typographos Oxonienses consuluit de Eustathio edendo. Quo frustra tentato, Monfalconio Martinus indicavit cupiditatem suam edendi Eustathii metaphrasim, vel Epistolarum volumen: habebat enim plurimas, quas ad eruditissimos Europae viros dederat, aut ab iis acceperat. Monfalconius ut proxenetae officio melius fungeretur, ante omnia voluit ut Martinus sibi recenseret, cujus generis esset Metaphrasis, cujus item Epistolae: num ad Historiam illius temporis essent opportunae, quam librorum nundinatores optare solent. Scire quoque voluit, qua mole futurum esset opus: denique, ut omnia minutatim describeret: promisitque se nihil non acturum, non modo ut votis ejus faceret satis, sed etiam ut laudi & famae ejus consuleret: quam inter amicitiae conditiones maximam esse putabat. Respondit Martinus Metaphrasim suam Eustathianam universum illud opus Latine exhibere: tam scilicet quae ad rem Grammaticam pertinent, quam Mythologica, Philologica, & Historica, nullo denique vocabulo praetermisso. Habere se in promtu duo volumina justae molis elegantissime emendatissimeque transcripta: in animo sibi esse, si Bibliopolae Parisienses operi edendo animum adjicerent, interea dum illis excudendis opera navaretur, curae sibi fore reliquam Iliadam expedire, consilio de Odyssea

in aliud tempus relicto. Ad Epistolas quod attinet, rescripsit, habere se ad ducentas, ut ad varios, ita varie scriptas, emendate tamen. Haec omnia frustra tentata, nam verbis hinc inde commutatis, nihil peractum fuit.

114. Dum haec agitarentur, Martinus literarum, literatorumque amantissimus, amicitias antiquas confirmare, novas sibi conciliare, musea frequentare. Homini autem gratiosissimo & celeberrimo omnia patebant.

115. Pomeridianas horas transigebat in Bibliopolio Corvi ad Paschini statuam. Eo enim conveniebant literatissimi homines, Janus Vincentius Gravina, vir amoenissimi ingenii, Abbas Adamus Cardinalis Imperialis Bibliothecarius, adolescens eruditus, auctor *Arcadiae illustratae*; aliique viri scriptorum laudibus clarissimi. Adeo autem ibi indulgebatur genio, ut saepe soleat dicere Decanus, se nusquam dulcius quam ibi vitam egisse. Cum aliquando in Corvi bibliopolio, in maximo eruditorum virorum coetu, super argumento quodam nec inepto, nec obvio Martinus accuratius dissereret; quidam ex illis, qui eum de facie non noverat (Abbas nimirum Baratta) *Peream*, inquit, *nisi tu es Alonensis Decanus. Ingenii tui praestantia prodit te.* Quo laudis genere fatebatur se maxime delectatum.

116. Per illa tempora Carthusiani Fratres habebant Romae celeberrimam numismatum antiquorum gemmarumque sculptarum collectionem, quae quadraginta mille unciis argenteis aestimabatur, totidemque, ut fertur, vendita fuit Carolo VI. Imperatori. Vix ulli patebat aditus ad tantum thesaurum. Nam ut pretiosior haberetur, eum Monachi quantum poterant, celabant. Sed simul ac Decanus Alonensis significavit, cupere se illum inspicere, omnia ei patefacta, praesente Coenobiarcha. Cujus indulgentiae benignitatisque statim apparuit consilium. Erat scilicet in illa collectione nummus maximi moduli circulo aereo inclusus, in cujus altera facie videbatur caput juvenis nudum: in adversa autem instrumenta sacrificalia, ut simpulum, aspergillus, praefericulum, secespita, lituus, dolabra Pontificalis, & albogalerus, sive apex. Litera nulla scripta erat. Contendebant Fratres caput illud esse M. Marcelli Augusti ex sorore filii, & ex adoptione sui: adeoque gloriabantur, numisma

misma illud singularissimum esse. Multis circuitionibus usi fuerunt, ut Decanum Alonensem pertraherent ad suam illam sententiam, optabantque ut eam confirmaret Dissertatione aliqua. Sed Decano in alia omnia eunte, pervicere nihil. Nam aperte dixit, declaravitque, caput illud non Marcelli, sed Augusti esse, cum annum ageret decimum octavum, sive vicesimum. Asseveravitque, nunquam se aliter scripturum locuturumve, atque animo sentiret suo. Cumque veritas soleat odium parere, Decani sermo aegre auditus fuit: adeoque ille nunquam eo redire voluit, fabellamque detulit ad M. Antonium Sabbatinum, Clementis XI. Pont. Max. & postea Imperatoris Caroli VI. Antiquarium, quem eruditi omnes, ut antiquariorum Principem, & antiquitatis oraculum in re nummaria venerabantur. Hic Decani constantiam laudavit, adjunxitque, se idem sentire, simul narrans, fratres jussisse numisma illud in aes incidere, & Parisios misisse eodem consilio; & inde simile responsum accepisse.

117. Cum egregio illo viro Martinus familiarissime vivebat, adeo ut illius museum, quoties vellet frequentaret. Nimirum habebat Sabbatinus locupletissimam antiquitatis penum, cui ornandae septuaginta annos acriter insudaverat, plurimaque quae in agro Romano, vel casus obtulit, vel sedulitas invenit, gazophylacii sui ornamento paraverat. Quin & ipse Sabbatinus jam octogenarius frequenter ad Decanum ibat, ut eum consuleret de multis rebus, quas se ignorare fatebatur. Scilicet in eo praxis erat major, quam eruditio: illam longo usu paraverat. Praeterea cum animadverteret Sabbatinus, quam praeclarus artifex Latinae linguae Decanus esset, non semel usus fuit ejus opera Latinis epistolis scribendis, ac nominatim illis, quas dedit Academiae & Urbi Bononiensi, consilium pandens, eis legandi pretiosissimam suam rei antiquariae Collectionem. Sed Sabbatinum antiquarium praestantissimum, nihil aeque in admirationem rapiebat, quam exquisitissima & mirabilis dispositio numismatum Decani Alonensis. Nimirum hic anno MDCCXVIII. Aprilem impendit Augustorum nummis in seriem digerendis, scrinio ad id prius elegantissime exasciato ac dedolato, laterculis quibusdam buxeis volitantibus, qui singula numismata exciperent cum eorum Inscriptionibus, adjecta Chronologia: tam novo & exquisito artificio,

ut eruditi fere omnes, qui in Urbe, & genio, & ingenio erant paullo elegantiore, feriem illam cum ingenti animi oblectatione plausuque spectaverint. Maxime Sabbatinus, qui miraculo rei attonitus, confessus fuit, se quadraginta jam annos simile inventum inquirere, neque ad illud usque tempus tale quidpiam praestare, aut videre potuisse.

118. Ex intentiore illa opera studioque in valetudinem oculorum incidit Decanus, qua gravissime vexatus, toto Majo domi se inlatebravit, & quidem in tenebris, quo luci, atque aeri, infensissimis sibi hostibus, intercluderetur aditus.

119. Ut meliuscule esse ei contigit, Praeneste cogitare coepit, mitioris puriorisque aurae usurus beneficio; unaque vetustissimi illius Fortunae templi ad insaniam usque magnificentissimi ruinas superstites lustraturus. Cumque Kalendis Junii summo mane eo se deportasset, Philippi V. Hispaniarum Regis Edictum, horis oppido paucis a Martini discessu promulgatum fuit, in quo continebatur, Hispanos omnes Urbe facessere, nulli fas esse, supplicem libellum porrigere, ambire, prensare, uno verbo: interdici iis Romana Curia. Allata fuerunt in album omnia nomina, distributae securitatis schedulae: indictum fuit, irent quo vellent. Qui maturius obtemperasset, e re sua fore. Contra nitentibus poenae gravissimae constitutae, perpetuum exsilium, bonorum publicatio, ignominia. Emmanuel Martinus, hoc nuncio accepto, confestim Caesari Laurentio Buliphoni negotium per literas dedit, ut suum absentis nomen profiteretur, ejusdem discessum, & discedendi caussam exponeret: simul ac vis morbi remitteret, e vestigio se affore. Interea Regis jussum exosculari, atque amplecti.

120. Ea cura expeditus ad Praenestina monumenta rimanda se convertit. Veteres reliquias annorum injuria foedas, ac pene obliteratas, altius contemplatus fuit. Exstat hodie pavimentum Musaico opere insigne artis miraculum, ac Sullano sceleri expiando par. Nullum superest toto terrarum orbe praestantius monumentum. Nimirum Sulla devicto & occiso Mario juniore, qui in Asylum illud confugerat, poenitentia tanti sceleris tactus, ut Fortunam sibi propitiaret, templum illud augustissimum amplitudine atque ornamentis ad stuporem usque nobilitavit. Pavimentum illud erat in abditissimo

ſimo Deae penetrali, ubi ſortes edebantur a loco dictae *Praeneſtinae*. Incredibili voluptate perfuſus ibi fuit Martinus, cum ubique appictum vidit ſigma illud falcatum, ſive lunata forma, quod circa Antoninorum tempora in Occidentem primum invectum critici aliqui cenſent; alii vero retrahunt ad Auguſti aevum. Quorum opiniones jugulari ſibi perſuaſit, illo intemeratae fidei teſtimonio, Plinii etiam auctoritate conſecrato.

121. Deinde inſpexit Antonini Auguſti Villam, quae etiam hodie viſitur in agro Praeneſtino, bona ſui parte ſuperſtes, domeſtico Antonini luctu nobilis. Amiſit enim in ea Annium Verum, quem triduo tantum luxiſſe, veterum monumentis proditum eſt.

122. Cum dies jam undecim Praeneſte egiſſet, ac magni ad dignitatem ſuam intereſſe arbitraretur, quamprimum ad Urbem redire; collectis ſarcinulis, eſſedo conductitio denuo Romam contendit. Quo pervenit pridie idus Junias, in ipſo diluculo, oculis adhuc lippientibus ob viam pulverulentam. Ut pulverem excuſſit, potione Indica languentem ſtomachum recreavit, ac modico ſomno artus refecit, ex nocturno itinere ac perpeti vigilia confectos. Continuo ad Aedes Regias, ut Cardinali Franciſco Aquavivae, tunc Hiſpaniarum Regis apud Pontificem Oratori, ſe ſiſteret. Statuerat ille ea ipſa die Albam longam Romuli Remique patriam proficiſci, eratque jam petaſatus penulatuſque. Iccirco ad colloquium non fuit admiſſus. Indictumque ſibi, ut Albam ad illum contenderet. Illo officio functus, in Urbe manſit uſque ad XII. Kal. Quintileis, cum ut ex oculorum languore confirmaret ſe paullulum, tum ut res domeſticas in tuto locaret. Praeſagiebat enim vehementer Roma ſe abfore uſque ad autumnum. Igitur expeditis rebus domeſticis, Tuſculano ſeceſſu uti viſum eſt, amoeniſſimo juxta ac ſaluberrimo. Leniendum quippe erat diuturnum Urbis deſiderium aliquo lenocinio. Ergo XII. Kalendas illo ſe contulit, vegeto quidem & valente corpore; niſi quod oculi tenelli adhuc ac delicatuli: ex crebra nimirum itatione, nocturno aere, ac pulveris injuria.

123. Eſt in Tuſculano Monte, qui hodiernae Urbi imminet, Marchionis Sacchetti luculentiſſimum praedium. In eo Villa ſita eſt, & loci amoenitate, & ſalubritate aeris, & ſtructurae elegantia, & ſupellectilis munditia, longe praeſtantiſſima. Eam vir humaniſſimus

(quem jam olim omnibus amoris officiis, ac singulari observantia prosequebatur) Martini villicationi, sive secessui addixerat. Tam opportuno igitur officio usus, eo se contulit: ubi omnibus corporis animique illecebris largiter perfusus, vitam quandam nactus sibi videbatur, beatam immortalemque. Quicquid pedibus premebat, veteris Tusculi reliquiae erant ac disjecta membra. Perstat adhuc, obdurata adversus annorum insultus constantia, aedificium quoddam nobile, ac, vel semirutum, majestatem quandam prae se ferens. Fama est eam fuisse M. Tullii Villam. Vulgo appellant *Ciceronis Scholas.* Illo Martinus animi caussa saepius accedebat, ac mira quadam voluptate perfusus, memoria ac recordatione tanti viri, pene exsultabat gaudio, sibique videbatur illum differentem audire, ac divinas illas Quaestiones Tusculanas recitantem. Adeo ut sibi interdum temperare nequiret (quemadmodum ipse scripsit ad Buliphonem suum ex ipsa Villa Tusculana) quin exclamaret: *Salve, Cicero, aeternum eloquentiae columen. Manes tuos invoco. Sic terram experiare levem, ades pacatus; nobisque divitis tui eloquii laticem instilla.* Eo insaniae rapiebat Martinum reverentia loci. Quem etiam nobilitant circumjacentia antiquitatis monumenta, ut templum Jovis Latialis, sepulcrum Furii Camilli, Villa M. Catonis. Si libebat spatiari, vel opacum frigus captare, quocumque se vertebat, jucundissimae patebant deambulationes, in immensum fere porrectae, densissimis ac procerissimis arboribus opertae aestivo aestui arcendo: quibus nihil illecebrosius excogitari poterat, praesertim torrente sole. Accedebat philomelarum, caeterarumque avium cantus, quibus aures perpetuo demulcebantur. Denique affluebat omnibus deliciis. Verecunde tamen iis fruebatur. Neque enim idcirco librorum curam abjecit: sed ruris hilaritatem & laxamenta, cum studiorum utilitate conjunxit. Legit enim D. Joannis Chrysostomi priora duo volumina, quae Monfalconius eorum eruditissimus concinnator & Scholiastes, sibi dono miserat. Nec deerant graviorum studorum diverticula, Bucolici Graeci & Latini, Catulli lepores, Ciceronis munditiae familiares. Scripsit etiam plus quam centum versus, quibus suae Arcae nomine peregrinationes suas elegantissime descripsit: cujus Elegiae continuationem in tempus distulit opportunius.

124. Ex oculorum interim morbo paullulum recreatus, ad v. Kal. Quin-

Quintileis Albam se contulit. Quo cum pervenisset illucescente die, ac matutinus sopor Cardinalis Aquavivae domum adhuc teneret; visum est interea donec expergiscerent, Urbem lustrare felicissimam, quae immortalem illam Aeneae progeniem, terrarum orbem subacturam, sinu suo fovit, ac stupendo naturae miraculo, Romulum genuit, aeternae Urbis conditorem. Urbe igitur ex sententia obita, domum revertit, Principem salutatum. Quo ille officio perhumaniter accepto, Martinoque ad colloquia admisso, omnia in eum contulit amoris singularis, honorisque testimonia; nam nec aviti splendoris magnitudo, nec dignitatis fastigium, nec commissi sibi ab Rege Catholico muneris gravitas, impedimento ullatenus fuerunt, quo minus lenitate sua uteretur adversus Martinum, eumque amplexaretur ac foveret, mensae tandem adhiberet. Statuerat Princeps ea ipsa die ad Urbem reverti. Itaque advesperascente jam sole, cum eum ad vehiculum Martinus & qui ibi aderant, adduxissent, fausta omnia precati, ad Sacchetti petorritum conversus Decanus una cum ejus domino (aderat enim Marchio prandioque interfuerat) eoque conscenso Tusculum versus iter arripuit, jusso auriga, ut quam lentissime currum traheret, cum ut amoenitate viae altius fruerentur, tum ut Sacchetto, poemata quaedam Thusca disertissime recitanti, ne rotae obstreperent, frangeretque impetum dicentis motus concitatior.

125. Tusculi manere constituit aliquot dies, in utrumque paratus, aut transigere ibi periculosissimum anni tempus, coeli enim intemperies reditum in Urbem intercludebat; aut Alonam repetere, si forte res non detumescerent, ubi primum observaret idoneam navigandi tempestatem; nam navigationem suscipere mari clauso periculosum erat. Cum autem hominum cogitationes perquam fallaces sint, utriusque consilii periculum fecit: nam ubi infestus aer defervere coepit, Romam rediit, & paullo post necessitate adactus, iter in Hispaniam arripuit.

126. Illud autem est admiratione dignum, quod Romam reversus, etsi tanto curarum aestu fluctuaret; tamen literarum consuetudinem non dimiserit: dies enim integros transigebat in museo Leonis Strozzii, Clementis XI. Infulati domestici. Quod museum insigne erat, meruitque ut Decanus illud describeret elegantissimo Epigrammate,

mate, quod multi viri eruditissimi transcripserunt; Dux autem Strozzius aureis literis exscriptum collocari jussit ad musei postes.

127. Nec diu in Urbe Martinus mansit, cum in ea permanere rerum publicarum status minime sineret. Tunc distraxit celebrem suam numismatum veterum collectionem, in qua vitae jucunditatem collocabat. Nimirum communicare illam cum aliis (qui praecipuus est studiosi laboris fructus) omnino desperabat; cum rediturus esset in patriam, ubi de aliis quam recentibus nummis, tractare, perinde est ac cum ratione insanire, ac ludibrio haberi. Mense igitur Octobri, post decem & octo menses quam in Urbe fuerat, valedixit Martinus Urbi terrarum dominae, ac jucunditati vitae; quam dolore oppressus finiisset, nisi Deus ei occurrisset praesentissimis auxiliis, & singularissimo favore.

128. Reditus in Hispaniam fuit improsper. Saevissimis enim tempestatibus vexatus, vix tandem litus tenuit ad Fanum Sancti Romuli. Unde piscatorio lembo denuo conscenso, ob terrestris itineris in eo tractu difficultates, Antibum appulit. Inde vero per Provinciam & Occitaniam Alonam remigravit post septem & sexaginta dies, quam Roma egressus fuerat. Impeditissimo quidem itinere, ob res jam tum ab bellum vergentes, & occupatos suspicione animos. Tamen etiam per senticeta & anfractus incolumis Alonam pervenit, Valentiae obiter salutato Mignana veteri amico, quem, ubi domi suae pedes fixit, ad se visendum invitavit suavissimis Hendecasyllabis, quos panxit IV. Eidus Decembreis An. MDCCXVIII. & Lectoris delectandi gratia subjiciuntur hic.

Mignana, o vetus integer sodalis,
Nostri deliciae, lepos, venustas;
Quem tot jam misere tuli per annos
Absentem tacita silere charta;
Si tibi igniculus vetusti amoris
Forte inter cineres adhuc superstes
Manet, nec perii omnis excidique;
Sive Turiacis aquis rigata
Prata, fertilis atque amoena campi,
Sive tu colis inclytam Saguntum,

Et

Et strata Annibalis furore tecta;
Linque Turiacis aquis rigata
Tu prata, atque fide inclytam Saguntum,
Nosque jam propera videre salvos.
Martinus variis freti periclis
Functus, jam patrios tenet penates,
Optatumque solum Illicis praealtae,
Nec tutus rabidas timet procellas.
Martinus vetus hospes atque ocellus,
Quem tu plus oculis tuis amabas,
Et dicta illepida inficetiasque
Laudare es solitus jocosque ineptos.
Ergo si incolumem videre amicum,
Amplectique cupis, mora rejecta,
Festina Jovis ocyor sagitta,
Mignana, o vetus integer sodalis,
Nostri deliciae, lepos, venustas.
Adstabunt Veneres, Cupidinesque,
Et crebri sonitum dabunt cachinni.

129. Alonam reversus, scripsit aliquas observationes in Aristophanis Comoedias, quem Auctorem ille ut Atticae venustatis principem semper veneratus est.

130. Paullo post, e Sardinia literas accepit, quibus enixe rogabatur, ut vendere vellet seriem numismatum Consularium, quae sibi supererat. Constabat ea quingentis & septendecim argenteis nummis diversi typi. Decanus Euclionem Plautinum imitari nolens, qui divitias suas absconditas habebat; non abnuit, & Andreas Bonitus, Neapolitanus, ex perantiqua nobilissimaque familia, & apud Regem Catholicum Chiliarcha, thesaurum illum abstulit.

131 Adhuc ei supererat series numismatum Graeciae, quae *Antiqua* vocatur. Series item numismatum Siciliae, quae Graeca etiam, sicut & magnae Graeciae. Quibus accedebant Hispaniae antiquae numismata topographica; & ejusdem nationis nummi quamplurimi cum characteribus incognitis propter priscae linguae ignorantiam. Quae omnia numismata ad septingenta, aut octingenta, numero

perveniebant: eaque vendidit Anglo cuidam taedio gazae infructiferae in eo tractu, ubi harum rerum admirator nemo prorsus; possessoresque ipsi ludibrio sunt ac despectui.

132. Sic Martinus renunciabat voluptatibus suis, & deliciosissimis illis studiorum fructibus, quos in ante acta vita perceperat. Quo factum fuit, ut in magnum incideret moerorem; & vitam miserabiliter abrupisset, nisi praesto ei fuisset Philippus Bulipho, vir prudens, doctus, eruditus, maximisque virtutibus ornatus. Is oppressum erexit, languentem refecit, ac semianimem recreavit. Quo factum fuit, ut Decanus paullatim rediret in consuetudinem librorum, quos habebat eximios, per omnem vitam paratos, ad animi profectum, & oblectamentum.

133. Interea dum Decanus animum confirmabat suum, literas accepit a Cardinale Francisco Aquaviva & Aragonio, quibus eum urgebat, ut cujusdam operis Dedicationem Romae sibi promissam quantocyus mitteret. Nimirum Jacobus Pizeus suam Decisionum Rotae Romanae Collectionem in lucem edebat. Primum volumen dedicaverat Philippo V. Hispaniarum Regi; secundum dedicandum Cardinali Julio Alberonio ad exitum perducebatur. Tertium destinatum erat Illustrissimo Cardinali Francisco Aquavivae. Hic Emmanuelem Martinum profectionem ab Urbe Roma maturantem postulavit, ut sub Jacobi Pizei nomine Prosphonesin conscriberet: & ut in ea aliquid de Aquavivarum gente diceretur; dedit ei duo volumina ad suae Familiae decus spectantia. Adjunxitque id sibi fore gratissimum. Cum Alonae igitur Decanus Urbis desiderio contabesceret, moestitiaque oppressus nec literam appingere auderet; contigit ut exacto anno, & volumine Aquavivae destinato absoluto, necesse fuerit Pizeo patrocinium quaerere in altero Moecenate, dilato Aquavivae obsequio in sequens volumen, donec Decanus mitteret Prosphonesin suam. Ab eo igitur Aquaviva per epistolas postulavit, ut fidem suam liberaret: id sibi fore gratissimum. Quamvis autem multi Romae illi rei suam operam pollicerentur, respondit Eminentissimus Purpuratus, se id officium ab uno Alonensi Decano desiderare. Si id obtineret (uti credebat) votis suis esse potiturum; sin autem; nullo sibi fore in pretio Pizei obsequium. Paruit tandem Decanus, & anno MDCCXIX. scripsit epistolam Prosphone-

phoneticam Jacobi Pizei nomine, eamque misit illustrissimo Principi, qui cum eam accepisset, prae gaudio exsiliens, e suo exiit conclavi, omnibusque iis qui officii caussa convenerant, Dedicationem ostendit, & clara voce dixit: *Se aeque aestimare Prosphonesin illam, ac purpuram qua induebatur.* Tam alto immortalitatis amore tangebatur.

134. Anno hujus saeculi vigesimo, cum initio cursus literarii, qui altero die post Divi Lucae festum incipit, Salmanticam ingressus fuisset Josephus Martinus, Emmanuelis frater consanguineus, Jurisprudentiae ediscendae gratia; tunc Gregorius Majansius, adolescens literarum amantissimus, cum de Emmanuelis Martini eruditione, & eloquentia plurima Valentiae accepisset ab Josepho Emmanuele Mignana, & Thoma Vincentio Tosca, viris sapientissimis; & aliquas ejusdem epistolas Salmanticae legisset sibi communicatas a doctissimo viro Josepho Borrullio Valentino, tunc Juris Civilis in Academia Salmanticensi Antecessore primario, nunc in Granatensi Curia Senatore litibus judicandis; opportunam nactus occasionem bene merendi de tam praeclaro viro, ejus fratrem Josephum adiit, liberaliterque ei pollicitus fuit omnem suam operam, diligentiam, pecuniam; denique quicquid posset, ac simul literas ei dedit ad Decanum, quibus eum ad amicitiam secum ineundam provocavit. Cumque ille accepisset, tum a Fratre suo nuncium praeclarissimorum officiorum, tum a Majansio literas benevolentia plenas; fratri suo jussit, ut Gregorii Majansii amicitiam coleret, & consuetudine ejus frueretur; a Majansio autem rogavit, ut fratrem suum, quem ultro amaret, arctius amplecteretur: quicquid doctrinae in illum conferret, se acceptum relaturum, maximamque a se initurum gratiam, si praeceptis, consiliis, monitisque suis eum adjuvaret atque promoveret. Ex eo tempore Gregorius Majansius, qui libris solum intentus, & paucissimis in ea Urbe cognitus (utpote cum Vincentio Mascarellio Societatis Jesu, Josepho Borrullio, Mathia Chafreone, Joanne Caprario, popularibus suis, cum Joanne Abarisqueta Societatis Jesu, Joanne Insula, Didaco Ferdinandezlo Cordubensi, Carolo Elizondo, Simone Balneario, Alphonso Quirosio, paucisque aliis lectissimis viris, solum communicans, umbratilem & solitariam agebat vitam) existimavit sibi non solum gloriosum, sed utilissimum fore, cum eruditionis principe consuetudinem habere literariam, ut & stilum exer-

ceret, & uberrimos doctrinae fructus ab eo perciperet. Nec summus vir conditionem respuit, cum consideraret adolescentem illum, qui a nullo praeclaro Magistro institutus ad haud aspernandam sermonis munditiam atque elegantiam pervenerat, posse ad aliquam eruditionis famam pervenire, cum & ingenium ei esset satis acutum, & studium erga literas ardens, & judicium pro aetate acre. Inde igitur natum celebre illud & pervulgatum Majansii cum Martino literarum commercium, & mutuus utriusque amor nunquam violatus.

135. Existimabat Martinus, parum se satisfacturum Majansii amori erga se eximio, nisi amicos illi conciliaret suos. Itaque Eidibus Januariis Anni MDCCXXII. significavit Majansio, rem illum patraturum sibi sane perutilem ac perhonestam, si in amicitiam suam pelliceret Philippum Buliphonem Regiis vectigalibus in Alonensi tractu Praefectum, eximium Jurisconsultum, Latini sermonis aequissimum aestimatorem, Graecaque etiam supellectili mediocriter instructum: quique juxta secum Majansium amaret. Adjunxit expeditum esse talem hominem sibi devincire, Majansio lacessente, ac se proxeneta. Cui rei officia sua pollicitus. Opportunam occasionem avidissime arripuit Gregorius Majansius. Philippo Buliphoni scripsit eum in amicitiam provocans, quam cum illo iniit arctissimam.

136. Post aliquot dies, Martino ac Buliphone jubentibus, literas dedit ad Gregorium Majansium Caesar Laurentius Bulipho, Philippi frater, Mantuae novae degens, vir humanissimus, & optimis artibus excultus, adjunxitque simul *Apasterosin* Martinianam recens editam in Urbe Regia. Nimirum Emmanuel Martinus volebat posteritati relinquere aliquod monumentum amoris, obsequii, observantiae erga Philippum Buliphonem, summum amicum suum. Itaque cum anno MDCCXXII. anniversario more accessisset ad Villam Popilianam sitam in Agro Alonensi, sextili mense continuavit absolvitque Tusculi olim inchoatam Elegiam, cui titulus Ἀπαστέρωσις, sive *In Astrum conversio*. In ea Arcam, vicennalium peregrinationum comitem, itinerum attritu ac vetustate fatiscentem quadam veluti consecratione inter Astra collocavit. Quam Elegiam ubi absolvit, misit Philippo Buliphoni. Hic statim transmisit ad fratrem suum ut eam publici juris faceret, siquidem Matriti erat satis idoneus typographus,

phus, recentes characteres, nitida charta, & Janus Interamnensis Ajalaeus, diligens emendator. Prodiit illa Elegia cum aliquot Epistolis argumentum ejus aliqua ex parte declarantibus, & cum elegantissima Praefatione Caesaris Laurentii Buliphonis, recensionem accurante Jano Interamnensi Ajalaeo, qui carmen praemisit lectu dignissimum in Auctoris laudem, ac praeterea Judicis Ecclesiastici jussu Elegiam approbavit; & ex decreto Regii Castellae Senatus, Cl. ejusdem Consiliarius Hieronymus Pardus, vir gravissimus, & eruditissimus. Irridebant insulsi nebulones consilium publicandi poemation, quod videbatur solum continere ineptam fictionem; ignari profecto Elegiam illam, nihil aliud esse quam Historiam Peregrinationum Decani Alonensis; Praefationem autem, recensum praecipuorum operum ejus, ut Hispanis animus crearetur ad illius patrocinium suscipiendum, sufficiendosque necessarios sumtus ad praeclarissimorum Operum publicationem. Quod cum attente considerasset Gregorius Majansius, *Apasterosews* artificium, eruditionem, elegantiamque admiratus, eam Elegia quadam celebravit, quam, quia plurimi fecit Emmanuel Martinus, visum est non importunum hic adjungere

Arca, pererratis toties terraque marique,
Arcanis Domini fida ministra tui:
Bis denas experta hiemes cum perpete motu
Restituens Domino credita quaeque tuo.
Post varios casus, post tot discrimina laetor
Esse ministerio praemia digna tuo.
Gratulor ereptam vitam formamque caducam,
Et superi jussam fornicis esse jubar.
Salve igitur, praeclare nitor, decus addite coelis.
Nostraque per lucem fac rata vota novam.
Invidiosa hominum jam noli mentibus esse.
Divitias tantas non aperire nefas.
Sunt tibi quae nolint Arpinis cedere chartis:
Quaeque tibi invidiam, Mantua clara, parent.
Per quas Varronis facilis jactura videri:
Atque iterum Latii lingua vigere queat.

Sunt quibus antiqui mactetur gloria saecli,
Aligeri reprimi possit & ira senis.
Queisque revelentur caussae momentaque rerum:
Nec non priscorum dogmata sancta virum.
Sunt quae Cecropiis scriptae videantur Athenis;
Illarum eloquium nec periisse sinant.
Et quibus Argivi cupiant cum gente togata
Cernere de lingua, Roma diserta, tua.
Istae divitiae, magis & pretiosa recondis
Siqua istis, pateant, nobilis Arca, rogo.
Sic tu sis posthac insueta luce coruscans,
Ipseque non tali Phosphorus igne micet.
Sic fratres Helenae tibi lucida sidera cedant,
Et Bereniceo vertice caesa coma.
Sic toto coelo non sit fulgentius astrum,
Quodque magis nitidum fundat ab arce jubar.
Sic coeli meliore plaga tibi sistere detur,
Unde oculis hominum suspiciare nitens.
Sic Domini semper videas adcrescere famam,
Dum sero superos augeat Indigetes.

137. Elabebatur annus vigesimus secundus, cum Cl. Josephus Octavius Bustanzius, vir excellentis judicii, omnibusque bonis artibus instructissimus, nunc Reipublicae Genuensi a Secretis apud Regem Catholicum, Genua Alonam appulit, ibique aliquod tempus commoratus fuit. Cum Decano Alonensi consuetudinem iniit familiarissimam arctissimamque, utriusque meritis validissime firmatam. Nam & Bustanzius semper suspexit illam Martini multiplicem rerum cognitionem cum eloquentia mirabili conjunctam; & vicissim Martinus semper adamavit egregiam illam Bustanzii indolem cum eximia prudentia copulatam.

138. Ineunte eodem anno vigesimo secundo, Illustrissimus Marchio Scipio Maffeius Veronensis, qui quam plurimis ingenii sui monumentis immortalem gloriam sibi peperit, literas dedit ad Decanum Alonensem, quibus in amicitiam illius recipi optavit. Aperuit ei consilium magnae Inscriptionum Sylloges publicandae, & Collectioni prae-

praemittendi *Criticam Lapidariam.* Opem igitur auxiliumque a Decano imploravit, plurima ab eo petens, nec vulgaria neque tralatitia. Quibus omnibus Emmanuel Martinus cumulatiſſime ſatisfecit: uſus praeterea liberalitate maxima: nam ei miſit Inſcriptiones quadringentas decem & octo: inter quas Valentinae, quas Decani juſſu fideliſſime deſcripſit Majanſius, & ad eum miſit menſe Decembri ejuſdem anni. Praeterea veluti mantiſſae loco Maſſeio miſit Martinus centum & ſexaginta numiſmata ad Hiſpaniam pertinentia. Quoum pars erat percuſa Latino charactere; reliqua, plus quam octua-
r inta ſcilicet, vetere Hiſpano, eruditis omnibus ignoto.

139. Annus viceſimus tertius memorabilis eſt nova amicitia excellentiſſimi Viri Antonii Judicis, Juvenatii Principis, qui cum noſcere vehementer cuperet Martini ſententiam de Inſcriptione quadam pervetuſta, quam ipſe inter cimelia ſua aſſervabat; ab eo accepit epiſtolam eruditiſſimam, Auctoris exquiſitam doctrinam, & pronum obſequium erga tam eruditum Principem, teſtantem. Qui quoties Martini ſcriptum aliquod videbat, continuo legere, deſcribere, diligenter cuſtodire, & apud omnes celebrare conſuevit.

140. Deinde magnum ſilentium conſequutum eſt. Etenim non ſibi tantum oculi caligare, ſed & palpebrae ignei cujuſdam humoris affluxu, moleſtiſſima quadam prurigine infeſtari coeperunt. Quod cum Bibliopola quidam Londinenſis reſciſſet, anno viceſimo ſexto ad eum venit; ſpecie quidem ut libros ejus videret; re autem, ut, ſi fieri poſſet, pretio ab illo extorqueret. Igitur iis diligenter inſpectis, animi ſententiam aperuit. Nec ſurdo dictum eſt, nec nolenti. Itaque tribus verbis tranſacta res fuit. Valde enim cupiebat Martinus libros diſtrahere, quorum nullus ſibi uſus, oculorum vitio. Neque ſubſidium ſibi ullum ab optice. Simul enim ſibi tenebrae oboriebantur. Ad haec cruciabatur animo in illa bonarum artium ſolitudine nondum ſibi licuiſſe perſonam mutam exuere, quam per tot annos ſuſtinuerat. Ut ne ſtudiorum ſuorum ratio ulterius ſibi fraudi eſſet. Denique (quod omnium caput erat) praeſagiebat fore, ſi libros reliquiſſet ſuperſtites, ut ſcombris piperique eſſent cuculli, thurique involucra praeberent, vilioribuſve uſibus deſervirent. Nam ſaepe in Hiſpania quo rarior eſt liber, eo deſpectior haberi ſolet. Itaque angore potius animi ac deſperatione, quam

ſponte

ſponte atque ex ſententia, inviſam ſupellectilem domo abegit, & in ea etiam Dioſcoridem plantis minio expreſſis ſpectabilem ſibi a Gregorio Majanſio dono miſſum: in quo Martinus ſingulis plantis nomen appinxerat Hiſpanum. Quae nomenclatura debuerat in Hiſpania manere, ut aliquando Dictionario Hiſpano-Latino valde imperfecto, ſuis in locis inſereretur. Praeterea Martinus imprudens tradidit aliquas Homeri Rhapſodias inter libros latentes, quas ipſe fecerat Latinas. Quo factum fuit, ut autographa ipſa perlata fuerint Londinum. Qua in Urbe titulo *Bibliothecae Martinianae* vendita fuit Decani Alonenſis Bibliotheca non admodum numeroſa, ſed in qua nullus liber erat deſpiciendus, plurimi vero exquiſitiſſimi rariſſimique, fere omnes nitidiſſimis characteribus excuſi, earumque editionum, quae maxime celebrantur. Semper enim fuit amantiſſimus non ſolum librorum, ſed optimorum. Adeoque eorum conſervationis nitoriſque amore ſcripſit leges ad *Bibliothecas* pertinentes, quas plurimi viri eruditi ſuis praefixere. Cumque eas legiſſet Cardinalis Alvarus Centigneus, vir maximi ingenii, ingeniorumque adeo aeſtimator acerrimus, non dubitavit ſcribere, *Gravinam ſi viveret, illas inſerturum eſſe inter leges* XII. *Tabularum.*

141. In eo mentis aeſtu, cum ſcilicet libros domo ejecit, ac ut ipſe dicebat, cum ſibi manus intulit, ac viſcera ſua diſcerpſit, Hendecaſyllabos panxit, quos, ut poſteritas admiretur oeſtrum illud prope inimitabile, viſum eſt adjungere.

Infauſtis avibus libri exarati,
Et chartae ſteriles, abite in ignem.
Quin vobis male ſit, probroſae, inertes.
Caſſae literae; in crucemque ſontes
Ite, triſte mihi atque inane nomen.
Tuque inviſa Minerva, diva fallax,
Gnavae pernicies bonaeque mentis,
Futilis Dea, numen inficetum,
Lethale illicium, faceſſe longe.
Noſtram deſine faſcinare mentem.
Odi teque, doloſque, abominorque.
Pellaces laqueos, laborioſas

Quis

Quis soles animas, potens nocendi,
In triste exitium vocare. Noctes
Insano studio, atque pertinaci,
Exhaustae, male collocatae, inanes,
Peristis penitusque funditusque.
Saevo numine lucubrata scripta,
Infaustis avibus libri exarati,
Et chartae steriles, abite in ignem.
Olim deliciae, quies, levamen
Languentis domini, & labore fessi:
At nunc quisquiliae, meraeque nugae;
Et gerrae illepidae, valete multum.
Sacrae Mulcibero flagrate chartae.
Absumat pluteosque codicesque
Vulcani rabies. Vorate cuncta.
Quae me intemperiae, furorque adegit,
Ut lustrare adytum, sacrumque repostumque
Auderem stolidus, sacrumque limen
Minervae? atque sacros movere postes?
Heu! me perdidit ingenI venustas.
Huc, huc, Bibliopola nundinator,
Tot volumina, sarcinas inertes,
Aufer hinc, apinasque naeniasque.
Evolvant quibus obsequentiorem,
Et laetam Superi dedere sortem.
Me Fortuna premitque conficitque
Atrox, lurida, tristis, invidensque.
Utque olim Citharoedus ille, vitam
Duxi ἀναχόρατος, silente fama,
Ignotus patriaeque civibusque.
Atque inglorius. O! satis superque
Vecorsque desipui. Valete prisca.
Nugarum satis atque ineptiarum.
Tintinnabula vana, barbarique
Stridores, Scythicae sonus loquelae,
Regnate incolumes vetante nullo.

Mirentur stolidique stipitesque
Rixosûm crepitacla morionum,
Inanesque sonos, nucesque cassas,
Et squalentis agri aspra senticeta.
Nos, quis contigit auribus Batavis
Verba fundere, verberare ventos
Incassum, & steriles arare campos;
Stertamus valide, atque utramque in aurem
Dormiamus. Iners premat supinum
Somnus, obstrepero sonante roncho.

142. Ex eo tempore Decanus valere jussit Minervam, nactus steriles literas, & ingratam patriam. Cepit etiam consilium mitigandi spiritus, celandi sapientiam supra caeteros, & unumquemque alloquendi pro singulorum captu. Tantum vero taedium scriptionis cepit, ut deinceps vix ad unum aut alterum literas dederit, praeterquam ad Gregorium Majansium, quocum literarium commercium intermisit nunquam. Itaque Majansius habet & diligentissime custodit omnes epistolas, quas ab eo accepit, Hispana lingua conscriptas, tam vividis sententiis, tanta gratia ac lepore, ut in eo genere nihil Hispana lingua habeat, neque disertius, neque elegantius: neque quicquam reperiri potest, quod tanti ingenii excellentiam aeque ob oculos ponat.

143. Anno hujus saeculi trigesimo, cum Illustrissimus Baro Jo. Theodoricus Schombergius totam Europam peragrasset, & cum eruditissimis viris cultissimae orbis partis communicasset, universa Hispania perlustrata, redire noluit Dresdam patriam suam insalutato Martino, Hispanorum eruditissimo, & Antiquariorum Principe. Extremo itaque mensis Maji Alonam adiit, v. Kal. Junias Decanum convenit; cum eo aliquot horas allocutus, tanti viri eruditionem & eloquentiam admiratus fuit, & summum virum magnopere amare coepit. Significavit ei Schombergius, velle se Valentiam videre Regni Metropolim, statimque Decanus ei dedit commendatitias literas ad Gregorium Majansium. Quibus acceptis adolescens officiosus omni quo potuit obsequiorum genere acerrimum illum ingeniorum aestimatorem, liberalissimumque literatorum Patronum sibi devinxit,

quan-

quantum potuit. Is Dresdam redux, de Republica literaria bene mereri cogitans, literas dedit ad Gregorium Majansium, per quas enixe petiit, ut a Decano Alonensi manuscripta omnia extorqueret, & ad se mitteret; eodemque tempore pollicitus fuit, curae sibi fore, ut ederentur Lipsiae. Mandatum illud suscepit Majansius, & cum Decano statim agere coepit. Renuebat hic manuscripta sua committere itineri mediterraneo periculorum pleno. Cum autem Majansius semel iterumque negotium urgeret, Decanusque jam solum praetexeret editiones Lipsienses, quae licet correctae esse soleant, plerumque tamen parum sunt nitidae causa chartae, similis emporeticae; pollicitus fuit Majansius non solum autographum salvum fore, sed editionem etiam futuram nitidissimam: sicque a Decano tandem obtinuit, ut manuscripta sua describi sineret, autographum apud se retineret. Fidei suae sponsorem locupletissimum Majansius adhibuit Cl. Schombergium, ad quem rem omnem detulit. Quo nuncio accepto Illustrissimus Baro, v. Eidus Sextiles anni MDCCXXXII. Emmanueli Martino scripsit, se in patriam reversum, eruditis viris percunctantibus, quinam potissimum viri apud Hispanos principatum in literis tenerent, in primis indicasse Emmanuelem Martinum, & quid scripsisset, quamque praeterea multa elaborata & ad editionem matura in manibus haberet, copiose explicuisse. Quo facto ajebat Schombergius, tantum omnes incessisse ardorem, etiam reliqua Martini scripta videndi, ut tanquam totius Germaniae literatae nomine, a se flagitaverint, provideret quantum posset, ne ea interciderent; posse enim facillimo negotio apud Lipsienses typis excusa, vel sic ab interitu vindicari. Idem addidit, se recepisse apud eos, omnem se operam impensurum, ut illud Emmanueli Martino persuaderet; propterea que id obnixe rogasse, tum per Majansium, tum per se ipsum. Denique promisit, se quantum in se esset, omnem curam adhibiturum, ut non modo q am correctissime, sed etiam elegantissimo typorum charactere, & in charta nitidissima excuderentur. Poterat enim Lipsiae, modo sumtibus non parceretur, tantae bonitatis charta, ut in ipso Belgio inveniri. Qua de re fidem Emmanueli Martino suam Illustrissimus Schombergius interposuit. Itaque rogavit, ut omnia Opera sua describi sineret, & descripta ad se transmitti pateretur. Horum enim quo plura, eo futura apud

eruditos homines gratiora. Martinus Schombergii literis acceptis, rescripsit se incredibili voluptate perfusum fuisse, cum literarum fautorem, suique famaeque suae amantissimum adeo in se propensum videret; considerare tamen frui se non posse tanti viri beneficio, propterea quod exscriptor idoneus inveniebatur nullus. Adjunxit ea quae ipse elucubraverat, inter lituras jacere ac saepe inextricabiles: ad haec aliquibus in locis a bibula charta literas exsuctas. Quae omnia Auctoris ope, imo & opera, maxime indigebant. Quibus difficultatibus interceptus, multa flammis se tradidisse dixit: quaeque supererant in idem fatum propendere. Quo igitur se verteret nescire, nisi quis bonus genius manum porrigeret laboranti. Se nequire tamen non mirari egregiae ejus indolis praestantiam, ac benevolentiae adversus se eximium testimonium: qui unius Majansii amori, etsi acerrimi judicii juvenis, tantum detulisset, ut eo impulsus in hominis exteri atque ignoti ornamenta & commoda, omnes amoris officiorumque copias effudisset: se omnem moturum lapidem, ut ei morem gereret. Forte adfuturum Deum aliquem ex machina.

144. In hanc sententiam scriptas literas Martinus oculorum vitio laborans Majansio misit, ab eo describendas obsignandasque. Quas cum legisset adolescens fidei suae tenacissimus cultor, dixit se non audere ejusmodi nuncium perferre ad Cl. Schombergium, cui spem prope certam manuscriptorum transmissionis fecerat. Et ne quam excusationem vir summus praetexeret, adjunxit Majansius, habere se amanuensem qui manuscripta illa paratus esset describere. Victus vir humanissimus, tum precibus amicissimi juvenis, tum desiderio obsequendi nobilissimo Baroni; rescripsit Majansio jam habere se descriptorem, viderique sibi, eum intra quadrimestre descripturum Epistolas omnes: has enim solum (caeteris Operibus suis silentio traditis) edi volebat Martinus, utpote ingenii sui praesentissimam imaginem. Quo nuncio accepto, de eo Majansius certiorem fecit Schombergium, Martinique literas ad eum misit. Sed paullo post, malo quodam genio obsistente, compertum est, exscriptorem illum, quem Martini amici tantopere laudaverant, nedum scribere, sed nec exscribere, imo nec legere scire. Quare iterum editionis spes inanes redditae. Urgente tamen Majansio ad importunitatem usque, statuit tandem Decanus Epistolas autographas ei mittere, & ejusdem curae

curae committere, ut quae vix legi possent, liturarum, aut bibulae chartae caussa, ipse describeret (neque enim alterius negotium erat) deinde singulas prout sibi videretur, ordinaret, ordinatasque in Libros distribueret, & postea mitteret ad Illustrissimum Baronem Joannem Theodoricum Schombergium. Quoniam vero Decanus laborabat hebetudine oculorum, & quicquid adsciscebat externae opis aversabantur, ac respuebant, nec aliquid operae auxiliive ab Optice mutuari licebat; ideo Majansio facultatem fecit urendi secandive quicquid ei videretur. Quo tamen jure adolescens ille uti noluit: sed, ut sunt scriptiones privatae, & variae, & de rebus forte publice silendis; verecunde ei proposuit, quae Lectores nonnullos nimis delicatos poterant offendere; Decanusque statuit quod e re sua visum est, relictis nonnullis, quae Majansius quadam veluti religione tactus, omittenda censebat. Epistolas illas Majansius tanta aviditate accepit, ut tribus diebus omnes perlegerit: deinde maximo labore quamplurimas descripsit; disposuit omnes ordine temporum; in duodecim libros distribuit; denique legit iterum; in adversaria referens quicquid ad Decani vitam videbatur conducere. Idem praestitit in Hispanis Epistolis, quas a viro habet eruditissimo. Quo factum est, ut ex dissipatis illis reliquiis, incorruptissimis tamen veritatis monumentis, hanc contexuerit Vitam, proprio adhibito judicio.

145. Dum haec omnia gererentur, Anno MDCCXXXI. Matriti decessit Josephus Anastasius Martinus, Decani Alonensis Vicarius: cui Pontificia facultate obtenta, subrogavit ille ornatissimum juvenem Franciscum de Hoyos, qui dignitate illa decoratus tres menses & dimidium, in Alonensi Ecclesia solum octo dies resedit, & e vita migravit. Huic substituit Decanus Thomam Fabianum, juvenem spectatissimis moribus, prudentem, & doctum, sectatoremque Gregorii Majansii. Elegit eum mense Novembri anni MDCCXXXII. & possessionem iniit XI. Kal. Aprileis anni MDCCXXXIII.

146. Rebus ita se habentibus, cum Epistolae ordinatae essent, praetermissis multis ad Martinum datis; casus incidit improvisus, qui spem earum editionis elusit. Nam res Poloniae turbari coeperunt; deinde bellum exarsit; & literarum commercio interdicto, spes Lipsiensis editionis evanuit. Saltem eam in longum tempus differri necesse erat, donec scilicet belli saevissima tempestas detumesce-

mescerct. Sed Deo Optimo Maximo providente factum est, ut Epistolae in Hispania publicatae sint, earum editionem accurante ipso Majansio, cujus diligentia multum profuit, ut possent typographi omnes Epistolas perlegere, ut variorum, ita varie, id est pessime interdum exaratas. Nimirum Majansius Matritum ut Regi esset a Bibliotheca accitus fuit; & forte contigit, ut Illustrissimus vir Josephus Octavius Bustanzius Reipublicae Genuensi a Secretis apud Regem Catholicum, duceret eum ad amplissimum virum Benjaminum Keene Regis Angliae Legatum cum plena potestate apud Hispaniarum Regem, virum omnibus Oratoris artibus instructum, & ad sanciendas pactiones, foedera, & reconciliationes Principum veluti natum: qui cum sit etiam liberalium studiorum cultor elegans, & admirator egregius; cum inter Majansii Epistolas legisset aliquas Emmanuelis Martini, dixit se harum lectione valde fuisse delectatum, ac desiderio accensum videndi alias. Quem nuncium cum ex Clarissimorum Bustanzii, & Majansii literis accepisset Martinus; e vestigio suarum Epistolarum autographum misit ad Illustrissimum Keene, qui ut thesaurus ille communis esset omnibus, jussit eum publicari, adjuncto ejusdem Decani Libro *De Animi Affectionibus*, quem a Greg. Majansio dono accepit. Nobilissimus autem Bustanzius voluit etiam publicari *Emmanuelis Martini Vitam*, quam ab ipso Majansio scriptam fuisse sciebat, hoc pacto consulens utriusque amici famae & gloriae.

147. Interea Decanus vitam agit Alonae curis ac sollicitudinibus vacuam, homine sapiente dignissimam, famae despectricem, veraeque immortalitatis tantum sectatricem; amicis bonisque omnibus pro ejus incolumitate apud Deum vota suscipientibus, & ea decennalibus, imo vicennalibus, ac tricennalibus, jucunde solvere optantibus.

148. Emmanuelis Martini statura justa est; capilli subcrispi canis nigrisque commixtis; frons ampla; supercilium canum sublatumque; oculi caesii, quales Minervae dixit esse Poetarum Princeps; nasus & os justae magnitudinis; color rubicundus; facies liberalis: incessus gravis: voluntas ad exsequutionem promta: ut facile agnoscas, in ejus corpore regnare bilem: quod ille magnum naturae bonum existi-

existimat, quoniam ea praediti, licet irasci faciles sint; idonei tamen sunt ad studia literarum.

149. Vexavit eum saepissime capitis dolor, studiosorum comes assiduus. Praeterea morbus qui Graecis Ἐφιάλτης, Latinis *Incubus* dicitur. Hoc tamen discrimine, quod ille solet esse nocturnus; hic pomeridianus. Quam ob caussam aliquot annos coactus fuit post prandium quiescere sedentem. Quo pacto caput habens erectum, eo morbo liberatus fuit. Aliquando solet infestari podagra.

150. Nitoris munditiaeque amantissimus est, & simul lautitiae. Adeo ut frequenter dicere soleat, se nullam aliam ob caussam divitias appetiturum, nisi ut eruditos homines apud se haberet accumbentes: ita ut ejus mensa Gymnasium esset amoenissimorum ingeniorum. Quod votum consentaneum est antiquorum moribus, testantibus Platone & Plutarcho in Symposiis, & Athenaeo in Dipnosophistis. Itaque cutem suam optime curat, mensam habens, etsi derepente accumbas, satis hospitalem. Aquae potor est avidissimus, vini parcus.

151. Corpus ejus robustissimum est: sed aestus molestiam aegre perfert. Ideoque urbano aestu adigente rusticari solet, animique recreandi caussa, ambulationibus utitur opacis amoenisque. Propterea illi nihil rure gratius, vel agresti simplicitate venustius.

152. Est in agro Alonensi Villa quaedam, loci amoenitate, salubritate aeris, situs opportunitate praestantissima. *Popiliana* dicitur: vulgo, *del Povil.* Ea est Martini anniversaria rusticatio. Cum eo se confert, quicquid serium ac triste, valere jubet; nisi quod aliquando opera rustica contemplatur, & imaginem prisci aevi. Ibi igitur abjectis urbanis tricis, sibi uni consulit, fruiturque commoditatibus omnibus, quas ad honestam voluptatem villa habet egregias.

153. Primum omnium est in ea areola quaedam ad solem occidentem obversa. Huic ab oriente aedificium imminet. Ab occasu autem procerissimae quaedam sorbi, in tabernaculi morem oppansae, umbram quidem efficiunt opacitate sua longe jucundissimam. Nec tamen sine molli aeris perflatu. Frondes enim aurae Zephyrive appulsu ac motatione leniter micantes, illecebroso quodam susurro aures demulcent: flatuque frigidiusculo cute perfricta, summa voluptate recreatur animus atque perfunditur. Praeterfluit rivulus, gratissimus

mus profecto, leni murmure labentis undae. Etsi non ille perennis ac jugis. Statis enim diebus tantum adlabitur, agrorum nimirum irrigationi. Quo fit, ut eo gratior ille adfluat quo exspectatior. Superne vitis expanditur, quae transversis perticis ridicisque suspensa, per easque laetissimis palmitibus flagellisque perrepens, soli torrenti intercluso aditu, universam aream obumbrat. A Meridie hortus excurrit, quem mites cicuresque plantae fructuum varietate atque praestantia adeo nobilitant, ut in eo Pomonam Vertumnumque versari, facile credideris. A Septentrionibus aperta omnia atque patentia; quo saluberrimus ille spiritus libere meet, seseque diffundat. Nec tamen oculis sua desunt illicia: procerae ac luxuriantes ficus maturescentibus fructibus onustae, amygdali, sycamini. Denique quocumque te vertas, amoena omnia, laeta, viridantia. Adde aviculарum lenocinia, philomelas, cardueles, regulos, modo cantillantes, modo procaci volatu atque petulco, quasi lascivientes ac ludibundas, se invicem petentes. Universam villae frontem vitis alia pensilis opacat: quam statuminum loco pilae quaedam sustinent, quae transversas trabes excipiunt, tanquam juga canterii. Videas illic pendentes botros, & mirabili naturae sollertia capreolis fultos serpere palmites. Qua deambulatione nihil jucundius fervente aestu: nihil opportunius amicorum congressibus. Illaepsae pilae horti frontem, quae e januae regione protenditur, tanquam pinnae quaedam coronant. Ut ne autem maceriae objectu horti prospectus adimatur; totum illud spatium quod ad villae angulos pertingit, decussatis arundinibus, quibusdam veluti clatris, sepitur & clauditur. Ad laevam est via publica, praeter ipsam villam hortique macerias. Quo fit, ut ultro citroque commeantium aspectus, animum loci amoenitate jam delinitum, nova afficiat voluptate atque oblectamento. Scatet quippe via praetereuntium frequentia. Ducit enim ab oppido ad suburbiolum quoddam. Medium spatium tenet villa. Cujus horti maceria, oppidi extremas aedes contigit. Quod oppidum si percurras, in novas incides voluptates, animique laxamenta. Non enim illud, ut fieri solet in vicos, angiportus, latioresque vias, ac plateas, dissectum est atque expansum; sed uno tractu secundum amnem porrectum; cujus utramque ripam aedificia occupant, relicta in medio via, novo quidem ac festivissimo conditu. Itaque domus quae orientale latus occupant,

cupant, ſingulos habent ad januam ponticulos, rivi trajectioni. Ad haec ſuas arbores exadverſum oppanſas, arcendo aeſtui. Identidem vero arboreta quaedam vitibus oblaqueata, continuam illam ſeriem interſecant, latiore ſpatio iis relicto; aedificiis aliquanto retractis. Qua ſtructurae novitate atque illecebra nihil eſſe poteſt jucundius. Dicas in iis arboretis Napeas, Dryadas, atque Hamadryadas ſuas exercere choreas ac laſcivire. Ita omnia laeta, hilara, amoena.

154. In hanc igitur villam excurrere ſolet Decanus ingruente aeſtu. Ibi cum ſole ſurgit: matutinam conficit deambulationem: ut puriſſimo illo ſpiritu recreatus, ſi quid ſupereſt heſternae ſordis, decoquat ac detergat. Domum reverſus, udam interulam exuit, ſiccam induit. Poſt id locorum, vel aliquid literarum leviter attingit, vel amicorum colloquiis vacat. Frequenter enim ad eum ventitant, cum e proximo oppido, tum e villis circumjectis. Omnia illic ad ſimplicis naturae praeſcriptum. Nemo palpo eum percellit, nemo ei os ſublinit, nemo ſutelas ſtruit, nemo fidem fallit. De re ruſtica multus ſermo. Magnum fore vini proventum, eximiam olivitatem. Quando vineas fodere oporteat, quando ablaqueare, quando depampinare, quando mergos ducere. Quo tempore ſit ſerendum, quo occandum, quo ſarriendum. Quid porca, quid lira, quid incilia. Uno verbo, garritur ad audientium captum palatumque. Adveſperaſcente die, & animi exhilarandi, & exercendi corporis, in aliquam villam divertit: quo majori voluptate perfundatur aſpectus novitate. A crepuſculo ore hiante auram captat, vel cum honeſtis colluſoribus noctem eximit, vel ſaltantes ruſticos ſpectat. Sic moleſtiſſimum anni tempus jucundiſſime tranſigit, innocentibus deliciis perfuſus, donec commodior anni tempeſtas in Urbem vocat. Sicque corporis ſui incolumitati proſpicit, a medicorum manibus praecavens, quorum ſemper fuit inimiciſſimus, ut Ferdinandus Nonnius Pincianus, Franciſcus Quevedus, aliique viri doctiſſimi. Unde cum Romae olim graviſſimo morbo laboraret, ipſe ſibi potionem medicam praeſcripſit; & licet Georgius Baglivius, medicus celeberrimus, Decanique amicus familiariſſimus, qui forte tunc aderat, praeſentiſſimum interitum illi denunciaret, ſi eam attingeret; tamen

 hauſit

hausit impavidus, admirante Baglivio & propositum tenax, & effectum prosperum.

155. Animi dotes, quibus Emmanuel Martinus praeditus est, praeclarissimae sunt. Ingenium acutissimum feracissimumque; memoria capacissima, unde sermonis illa amoenitas, quam tantopere praedicant, quotquot eum audiunt. Judicium acerrimum & severissimum. Quam ob caussam paucissima scripta ei placent. Maximorum scriptorum admirator egregius est, mediocrium parcus laudator; futilium insectator acerrimus. Accedit philosophica libertas: unde multorum in illum odium. Scilicet ferme evenire solet, ut aegre ferant literati alios prae se acutius cernere: & quod ipsi assequi non possunt, ingenii potius fastidio, quam alterius licet doctioris perspicientiae tribuunt. Hic tamen censor, non minus aliorum, quam sui ipsius est justissimus aestimator: ideoque adversus ea quae adolescens scripsit, inclementissimus fuit. Siquidem fere omnia quae scripsit in illa aetate, flammis commisit, cum pleraque eorum orbis literarius cum admiratione legere posset. Ex quo tamen aliquorum odium, quos admonere voluit, expertus est, viventium scripta recensere abstinuit. Unus Gregorius Majansius meruit, dictis ab eo castigari. Etenim cum illam critices viam, quam nunc plurimi tenent, per quam veterum Jurisconsultorum sententias potius corrumpunt, quam restituunt, arripere tentaret, non sine ingenii speciosa aliqua ostentatione; adolescentem ad meliora natum a periculosa via deterruit, & ad prudentioris critices usum adhortatus est: illius scilicet critices, qua sine studia omnia frustra suscipiuntur. Itaque adolescentulus verae gloriae cupidissimus, repressa ingenii licentia, tutiori via ad illustrandam Jurisprudentiam sese contulit: & critices sanioris usu eo progressus est, ut summus ille vir judicii longe praestantissimi non solum manipulatim in eum laudes contulerit eximias; sed & candide etiam confessus fuerit, quinquies se cum voluptate (ope licet collyriorum adjuvantium visum) legisse criticam illam Praefationem, quam Epistolis suis Majansius praemisit.

156. In convictu & familiaribus colloquiis, facetiis jocisque maxime delectatur salibusque; non quidem aculeatis illis ac vernilibus,

sed

ſed innocuis ac liberalibus, digniſque homine honeſto. Sermo illi amoenus, ſemperque vel urbanitate, vel joco, vel eruditione aliqua conditus. In reprehendendo ſeverus & acer, in admonendo mitis & placidus, in demerendo jucundus & comis, cum naturali quadam illecebra.

157. Ad literarum ſtudia quod attinet, ad ea Emmanuel Martinus videtur natus. Ideo hiemis amator, propterea quod eo tempore illis plus vacare poteſt.

158. Hiſpana, Etruſca, Latina, Graecaque lingua peritiſſime ſcribit loquiturque. Plurimas alias egregie callet. Adoleſcentulus magnus fuit admirator Juſti Lipſii, cujus vivido ingenio valde delectabatur. Deinde eum abjecit: & ut linguam Latinam ſibi familiarem redderet, Plauto atque Terentio; ut dicendi vim & majeſtatem compararet, Ciceroni impendit egregiam operam. Unde poſtea e propria natum experientia conſilium illud ad Gregorium Majanſium de vera imitandi ratione aliquid cupientem ſcire. *In epiſtolis ac familiari ſermone ob oculos tibi ſemper verſari debent Plautus atque Terentius, Latinae venuſtatis facile principes. Quos dum lego, peream niſi jocundiſſima quadam voluptate correptus, pene deficio. Quorum alter facetiis, ac ſale, jocorumque feſtivitate, caeteris mortalibus plurimum praeſtat; alter vero purae emendataeque dictionis ſuavitate, & caſtimonia. Illo, tanquam ad certiſſimam Cynoſuram, figendus obtutus. Indeque, tanquam e theſauris, Romani ſermonis depromendae divitiae.* Et paullo ante Quinctiliani judicium ſequens. *Quemnam igitur, inquies, mihi imitandum proponam? M. Tullium. Unus enim ille omnes Graeciae opes ad ſe tranſtulit. Vim Demoſthenis, copiam Platonis, jocunditatem Iſocratis. Ille terendus, ille nunquam aut vix e manibus dimittendus. Tumque valde te profeciſſe ſcias, quum Cicero valde placebit.* Praeſertim vero Martinus aſſidua Plauti lectione proprium ex eo ſibi ſtilum confecit, acutum, diſertum, expeditum, fortem, incitatum, gravem, vehementem, & gratiſſimae elegantiae plenum. Neque minorem dicendi facultatem in Graeca lingua aſſequutus eſt; ſimili etiam via, lectione ſcilicet aſſidua caſtigatiſſimorum ſcriptorum. Itaque Ariſtophanem non minoris fecit, quam Terentium. Qua de re exſtat ejuſdem teſtimonium luculentiſſimum pro-

fecto, in Epistola quadam ad Josephum Joachimum Lorgam, juvenem bonis artibus instructissimum, & Latinae linguae in Valentina Academia Professorem eximium. *Duos* (inquit) *ego in primis vetustos Scriptores oppido miror atque obstupesco, castissimae dictionis gloria nobilissimos. Aristophanem & Terentium. Utrumque fabularum scriptorem. Alterum Atticae venustatis facile principem, Romanae alterum. Tam ancipiti palma certantes, ut illum Graecum Terentium appellare soleam, hunc autem Aristophanem Latinum.*

159. Illud vero mirabilius quo paucioribus contigit. Cum in oratione soluta multum valeat Martinus, in stricta etiam validissimus ad stuporem usque. Nam & Epigrammata scribit lepidissima, Elegias tenerrimas, maximi spiritus Odas, Hendecasyllabos pares Catullianis, & carmina heroica, gravitate & majestate summa.

160. Sophismatum & nugamentorum hostis est infensissimus: adeoque Scholasticas ineptias frequentissime exagitat; quarum nomine nihil aliud intelligit, quam Dialecticorum captiones infructuosas; philosophastrorum frigidas liticulas; Theologorum in rebus parvi momenti disputatiunculas otiosas. Nam alioqui ipse est disputator egregius, Philosophus acutissimus, & eximius Theologus.

161. Adolescens deditissimus fuit Scepticorum sectae; summoque studio legit imbibitque Sex. Empirici, celeberrimi Pyrrhonii Hipotyposes. Cujus sectae studio adeo pertinaciter inhaesit, ut se eo divelli aegre pateretur. Et certe insanabile saluti suae inflixisset vulnus, nisi sapientissimus Cardinalis Aguirrius praescripsisset ei, ne in quinque horis a prandio proximis librum in manus sumeret. Quod si quando faciebat, severissime illum objurgabat, & e manibus ei eripiebat libros.

162. Antiquitatis studio per omnem vitam se penitus dedidit: cujus investigatione, & illustratione nihil habuit antiquius. Praecipue vero rei nummariae studium deperiit. Quod ipse existimat esse, non solum amoenissimum jucundissimumque, sed utilitatis etiam plenissimum. Certe ipse confitetur ei studio se debere multum. Quem fructum ut percipere posset, magnis tum sumtibus, tum peregrinationibus per xx. annos

annos collegit quotquot antiqua numiſmata invenire potuit. Itaque habuit ſeriem Regiam & Conſularem, a Romulo primo Romanorum Rege ad C. Caeſarem primum Romani Imperii aſſertorem. Quae ſeries conſtabat ſeptingentis numiſmatis, quam An. MDCCXXI. ſibi extorſit Andreas Bonitus, Eques Neapolitanus, Philippo Buliphone annitente pro cive ſuo. Habuit etiam ſeriem Imperialem integram, tam Imperii quod *altum* dicitur, incipiens a C. Caeſare, deſinenſque in Imperatorem Gallienum, Saloninam ejus uxorem, Saloninum ejus filium, & Licinium Valerianum Juniorem, a quo tempore incipit barbaries, omiſſa poteſtate tribunitia; quae temporum fidiſſima cuſtos; quam Imperii inferioris, a Gallieno ſcilicet ad Heraclium, ſub quo, & deinceps, licet facta, quae numiſmatis continentur, non ſint aeque memorabilia; tamen habentur in pretio nummi, qui ſunt alicujus rarioris Tyranni, aut ex illis Imperatoribus, qui paucos tantum dies, aut horas imperarunt, aut uxoris alicujus Imperatoris, cujus nulla fit mentio apud Hiſtoricos: hujuſmodi enim numiſmata cuſtodiri debent, ut monumenta pretioſiſſima. Praeterea habuit Graeca quingenta, Coloniarum quamplurima. Denique Hiſpana vetera CCC. Quae omnia cum aſſidue verſaret, legendo, ac meditando, id aſſequutus eſt, ut veluti ante oculos habeat antiquitatem omnem.

163. Singularem vero operam navavit veteri Alphabeto Hiſpano, eruditis omnibus incognito, reſtituendo, cujus ſpecimen quoddam efformavit. Quod coeptum, licet humanis viribus majus; tamen peperit Emmanueli Martino plurimas obſervationes minime vulgares, ejuſdem ingenium & eruditionem egregie teſtantes, & diligentiam multo illuſtriorem prae illa, quam reliqui omnes ante ipſum in eadem re praeſtiterunt. Nam licet eruditiſſimus vir Antonius Auguſtinus multum ſudaverit, ut eos characteres intelligeret; ſe omnem operam luſiſſe confeſſus eſt. Abrahamus Gorlaeus & Olaus Vvormius ea in re delirarunt. Quae Vincentius Joannes Laſtanoſa Oſcenſis ſcripſit de incognitis Hiſpaniae numiſmatis, futiliſſima ſunt: neque quiſquam eorum, quos in *Muſeo* ſuo Laſtanoſa laudavit, literam ullam intelligere potuit. Characteres illi ipſiſſimi ſunt, quibus utebantur Hiſpani, antequam in hanc Provinciam ingrederentur Carthaginienſes

enſes, Romanique, licet longo temporis ſpatio poſt eorum ingreſſum perſeverarint etiam. Tamen Emmanuel Martinus poſt diuturnam obſcuriſſimae rei meditationem, ſpecimen quoddam Alphabeticum formare tentavit; illamque ab ſe excogitatam Alphabeti formam Illuſtriſſimo Marchioni Scipioni Maffeio miſit, licet ei non omnino acquieſcens. Inſanum eſt, quantum in iis enodandis ſudaverit, quantum operae impenderit. Innumerabiles adhibuit collationes cum Alphabeto Phoenicio, Samaritano, Ionico. Sed omnia nequicquam. Copias quam maximas potuit abſtruſiſſimae rei eruendae. Inſignia veterum aliquot Urbium Hiſpaniae, Religionem, veterum oppidorum nomenclaturam, nummos bilingues, a quibus maximam ſibi opem pollicebatur: omnes denique nervos, & noctes perpeti lucubratione exhauſtas. Donec ſpe omni abjecta, animum deſpondit, manumque de tabula. Quo illum etiam compulit praeſentiſſimum quoddam inſomnium; ſive ſomnium illud fuerit, ſive viſio, quod verius ipſe putat. Etſi autem aliena ſomnia referre, iterum ſomniare videatur, & fortaſſe etiam putidiuſculum; tamen, cum Hippocrates, Lucianus, Dion Caſſius, aliique viri doctiſſimi ſua retulerint, eoſque Emmanuel Martinus imitatus fuerit; non ingratum erit, jucundiſſimam ejus narratiunculam hic intertexere iiſdem verbis quibus ille ſcripſit eam, literis ad Maffeium datis Alona III. Eidus Junias, An. MDCCXXIV. in hunc modum.

164. „ Cum ex continenti nocturni laboris agitatione feſſus, ſomno tandem me tradidiſſem; primo diluculo viſus mihi ſum per quietem, matronam quandam intueri auguſtiore forma, dextra librum tenentem, ſiniſtra expanſa cuniculum. Quo ego ſymbolo facile cognovi, eam ſpeciem quae ante oculos obverſabatur, Hiſpaniam noſtram repraeſentare. Conſtitit illa, ac ſevera oris majeſtate ad lenitatem compoſita, placido ac ſereno vultu, ita me alloquuta eſt. Martine, maximo me devinxiſti beneficio pertinaci iſto labore, opera, ſtudio, diligentia, in quae ad me exornandam, reſque noſtras illuſtrandas, tantopere incumbis. Quare ad officii noſtri rationem pertinere arbitrata ſum, tibi me ſiſtere: cum ut gratias tibi agam ob acre ac vegetum ſtudium, quod rebus noſtris impendis (quod certe per mihi gratum perque jocundum)

„ tum

„ tum ut conatibus tuis adſim, tibique manum porrigam, tot diffi-
„ cultatum anguſtiis circumvento. Sunt enim tantae rei expedien-
„ dae copiae tuae impares, vireſque imbecillae. En igitur hunc li-
„ brum. Mihique eum librum porrexit, quem dextra tenebat. Quem
„ cum accepiſſem alacriter, avideque utraque manu explicuiſſem; o-
„ culoſque in eum conjeciſſem, tanquam lecturus; librum arripuit:
„ iratoque ac torvo vultu: Inſanis, inquit. Non enim legitur hoc
„ volumen a fronte, ſed a tergo. Libroque clauſo indignabunda
„ diſparuit. Somnoque ego e veſtigio experrectus, mirari viſionis
„ ἐνέργειαν. Videbar enim non tam dormire, quam connivere; ip-
„ ſumque illuceſcentis diei jubar adſpicere. Erat enim jam diluculum,
„ albeſcebatque cubiculum. Tum moniti ambages, & obliqua verba per-
„ pendere; quae longe mihi videbantur obſcuriora, quam ipſius ne-
„ gotii a me ſuſcepti extricatio. In diverſa diſtrahebatur animus,
„ ipſaque fluctuabat cogitatio. Num id ſcilicet voluerit: characteres
„ illos ſiniſtrorſum legendos, more Hebraeorum, Phoenicum, Poe-
„ norum, Arabum. Nam ſi ſcriptum aliquod a tergo legeris, lite-
„ ris in contrarium verſis, a dextra in ſiniſtram eundum eſt. Num
„ autem indicare in animo habuerit, non mihi auxilium a libris pe-
„ tendum, quod mendis ſcateant, & chalcographorum σφάλμασι;
„ ſed ab ipſis metallis. Quae incorrupta ſunt antiquitatis monumenta.
„ Tam inopinata igitur ſeveriſſimi moniti acerbitate ſpes noſtrae cor-
„ ruerunt, ac veluti falce ancipiti praeciſae ſunt. Ad ulteriora in-
„ veſtiganda obtorpuit animus, ſubſidit alacritas, & quaedam moe-
„ roris umbra mentem obſedit. Itaque facem trado. Utinam ſis
„ me fortunatior,

——— *& Phyllida ſolus habeto.*

165. Hactenus vir maximus, qui hujuſmodi ſtudiis, profaniſque omnibus literis dimiſſis; aliquot anni ſunt, ex quo omnino ſe dedidit (dum oculi ſinebant) lectioni Librorum Sacrorum utriuſque Teſtamenti, incredibili fructu & voluptate.

166. Illud vero tam ardens & indefeſſum omnium literarum ſtudium omni vita impenſum, non ſolum retulit in eum finem, ut ex eis.

eis tantum voluptatem perciperet honestam; sed etiam in Hispaniae gloriam; quam summopere propagasset, nisi pessima temporum conditio sapientissimi viri consiliis invidisset. Nam ex quo Decani mens illustrari coepit antiquitatis cognitione, semper in animo habuit scribere *Hispaniam Antiquam*, imitari cupiens Philippum Cluverium, qui edidit *Germaniam Antiquam*, *Siciliam Antiquam*, et *Latium vetus*, eruditissima opera, quae Respublica literata aestimabit, Latinis dum manebit pretium literis. Simile consilium habuerat sub Philippo II. Hispaniarum Rege gloriosissimo, Petrus de Esquivel Complutensis, Mathematicarum Artium Professor in patria Academia, vir ingenii praestantissimi, eximiae doctrinae, singularisque industriae, qui Claudii Ptolemaei aemulus, magno conatu aggressus fuit Hispaniae Descriptionem exactissimam; atque ad eum finem invenit, & e ligno sibi confecit instrumenta, quibus praesens ipse altitudinem & latitudinem cujusque loci deprehenderet; & Rege liberalissimo sumtus faciente, diu longeque peregrinatus fuit; coeptum tamen opus absolvere non potuit, morte praereptus. Ejus tamen partis Descriptionem, quam absolverat, apud Regem reliquit, communicata prius inventione sua, ejusque explicandae modo, cum Cl. viro Didaco Guevara, quem a puero in Mathematicis instituerat, suaeque doctrinae & gloriae heredem esse volebat: prudentissimusque Rex jussit ei tradi omnia Squivelis adversaria, ut cum opus sibi videretur, de illis ad se referret. Affecta tamen omnia manserunt, & oblivioni tradita; nam Squivel velut alter Socrates, nunquam scripsit ea fini, ut scripta sua publicaret.

167. Tam praeclarum igitur consilium illustrandae Hispaniae Martinus adgredi cupiebat; & in eum finem collegit antiquas Inscriptiones, quae non essent in maxima Jani Gruteri Collectione, neque in Thomae Reinesii, Raphaelis Fabretti, aliorumque: adeo ut collegerit quadringentas & quatuordecim, quas misit eruditissimo Marchioni Scipioni Maffeio: quarum publicationem ab eo exspectat orbis literarius, multum debiturus Decani Alonensis diligentiae ac liberalitati. Qui cum vota sua desperaret ad optatum exitum perducere, opes illas minime invidit literatis viris. Et profecto consilium illud Martini absque Regia auctoritate & sumtibus confici non poterat. Erat enim

enim necessarium circulare Regis mandatum, ut in singulis locis, ubi opus esset, ministraretur Martino quicquid necessarium foret ad eam rem, ut mechanici, fossores, machinarii, aliique similes; peragrare universam Hispaniam, videre & examinare vetera monumenta, vestigia antiquitatis, secum ferre delineatorem peritissimum, & hujusmodi alia; quae sine regiis sumtibus fieri non poterant. Itaque Martini vota irrita fuerunt. Cujus rei ipse conqueritur in quam plurimis epistolis, ac sigillatim in iis, quas ad eruditissimum virum Bernardum Monfalconium Alonae dedit postridie Nonas Martias anni MDCCXVII. Nam cum Monfalconius videret tam stupendam antiquitatis notitiam cum mirabili Latinae Graecaeque linguae peritia conjunctam, vehementer eum exhortatus fuit, ut in antiquitates Hispanicas eruendas incumberet, explanandisque iis animum manumque adhiberet, & de opere typis edendo suo & Marchionis Villadariae nomine securum esse jussit. Cui viro eximio, egregioque antiquitatis illustratori, quid Martinus responderit, utile erit subjicere, ut intelligat posteritas Emmanuelem Martinum minime sibi defuisse; sed illustrandae Hispaniae voluntati pessima tempora obstitisse. *Quod mones* (inquit) *ut antiquitatibus Hispanicis eruendis explanandisque animum manumque admoveam, id ipsum est scilicet quod vel ab ipsa adolescentia in votis habui. Neque fateri detrectabo, me quondam ad eam rem exsequendam & spem & animos erexisse. Sed fregit acrem illum impetum malus quidam Hispaniae genius. Facultates enim nostrae exiguae, amicorum copiae infidae, procerum opes inertes. Eaeque temporum acerbitate attritae. Est autem res sumptuosa quam parabamus. Quo igitur viatico Hispaniam peragrabo? antiqua lustrabo rudera? neglectos scrutabor cineres? Nempe Regio. Id unum superest. Ac fortasse id impetraremus ab optimo Principe, si essent qui ejus auspicia sollicitarent. Sed vides nodum, in quo solvendo plus sit negotii quam in Gordiano. Ergo dormiamus in utramque, mi Monfalconi, & altum stertamus, quando ad id unum aliena ope non indigemus.*

168. Elucubravit Emmanuel Martinus Opera quamplurima, adolescens, juvenis, senex. Quorum Catalogus hic est,

169. *La Gigantomachia.* Poema Hispanum Ogdoadibus constans, divisum in 4. libros.

170. Comoediae quatuor, videlicet

Amar i no amar a un tiempo.
Que mas infierno que amor?
Tener de si mismo celos.
Ulysses i Penelope.

Quae omnes, postrema excepta, actae fuerunt in publicis Theatris magno audientium plausu.

171. *Soledad. En Valencia por Francisco Mestre*, Anno MDCLXXXII. in 4. In hac Sylva imitatus esse dicitur Sylvam primam nobilissimi Poetae Ludovici Gongorae exquisita eruditione, & affectata obscuritate celeberrimam.

172. *Amalthea Geographica.* Sive, *De rerum copia.* Opus Miscellaneum, in viginti Elegias divisum. Romae Typis Dominici Antonii Herculis, An. MDCLXXXVI. in 8. Hujus Operis argumenta indicavit ipse Auctor Epigrammate sequenti.

Conferta est variis *Elegeia prima* METALLIS:
Quo GEMMAE veniant axe, *Secunda* docet.
Tertia quas habitent profert ANIMALIA terras:
Provida percelebres *Quarta* que dicit AVES.
Quinta dedit varios diverso in litore PISCES:
Horrida SERPENTES sed tibi *Sexta* dabit.
Fertilis innumeris ornatur *Septima* PLANTIS:
Nobilis *Octavam* plurimus implet ODOR.
Nona peregrinis legitur spectabilis HERBIS:
Diversus *Decimam* FRUCTUS adimplet opus.
Undecima pingues *Elegia* carpite FRUCTUS:

Bissena

Bissena electo consita FLORE viget.
Utilis ARMORUM varios tulit *altera* ritus.
Fert INSECTORUM *Proxima Charta* genus.
Fert *Quinta & decima* pretioso munere VESTES:
Bisque octava suas ordine monstrat OPES.
Septima post decimam FLAMMAsque & FRIGORA dicit:
Bis nona & POTUS concinit, atque CIBOS.
Quae *Nona & decima* utilibus dat munera SAXIS:
Ordine non ullo *Postera* finit Opus.

173. *Sylva de Tyberis alluvione.* Romae, apud Joann. Jacob. Komarech, MDCLXXXVIII. in 4. Cum hanc Sylvam carminibus heroicis conscriptam Cardinali Josepho Saenzio Aguirrio obtulisset Auctor, tanti viri patrocinium sibi conciliavit; meruitque ejus & Bibliothecae praefici, & studia adjuvare.

174. *Ammonii Hermetis Versio De Similibus & differentibus Vocabulis, Notis & Commentariis illustrata*, *MSS.*

175. *Phlegontis Tralliani*, *Imperatoris Hadriani Liberti Historia Olympiadum*, Latinitate donata ab Emmanuele Martino. MSS. Hanc versionem Romae olim vidit, Matritique postea laudavit Caesar Laurentius Bulipho in elegantissima Praefatione ad Ἀπαςτέρωσιν Martinianam. Ipse flammis commisit An. MDCCXXVIII. magno famae suae detrimento, maximo eruditorum desiderio, atque dolore.

176. *Tractatus de Veterum Poculis*, ubi universa, quae ad veterum Pocula & Symposia spectant, discutiuntur, atque illustrantur. MSS.

177. *Etymologicon Magnum Latinae Linguae*, in quo non origines modo ac vera Romani sermonis initia, quasi e tenebris educuntur; sed quam plurima mysteria ad eam rem pertinentia.

178. Opera omnia superiora recensuit laudavitque Josephus Rodriguezius in *Bibliotheca Valentina.* E qua excerpsit sua *Monumenta*

Historica Academiae Valentinae ornatiſſimus vir Franciſcus Ortinus nuper vita functus, inter caetera culpandus, quod ſilentio praetermiſerit Emmanuelem Martinum, alioſque viros egregios adhuc ſuperſtites, cum tamen nonnullos amicos ſuos ſummis laudibus proſequutus ſit, ſuorum affectuum potius, quam aliorum meritorum, ſuſceptique argumenti memor: licet debiti aliquibus officii admonitus fuerit a Gregorio Majanſio in ſchediaſmatis pertinentibus ad Academiae Valentinae defenſionem.

179. Sed & plura alia Martini opera recenſenda ſunt, quae in Rodriguezii notitiam non pervenerunt. Quorum aliqua ſtricta oratione, caetera ſoluta ſunt. Stricta haec.

189. *Elegiarum Decas ad Camillam*, MSS. Gabriel Joannes Reginerius vir ingenioſiſſimus ſcripſit Epiſtolas ἐρωτικὰς Lycoridi cuidam, quas recitavit in congreſſu amicorum praeſente Martino. Qui mutuo illi tradidit librum ſuum *Elegiarum ad Camillam*, quem Reginerius laudibus ad coelum extulit ingenioſa epiſtola, & bene longa.

181. *Faſti Romani veteres* Elegiacis carminibus, MSS. Opus eruditiſſimum.

182. *Odarum Liber* mirabili oeſtro conſcriptus, MSS.

183. *Hendecaſyllabi* Catullianis ſimillimi, MSS.

184. *Verſio plurimorum Anthologiae Epigrammatum*, MSS. Paucula habet Gregorius Majanſius, quae cum ipſis exemplaribus procul dubio contendunt.

185. *Martialis Diſticha*, & *Epigrammata aliquot Graece expreſſa*. Ea impenſe laudavit Janus Interamnenſis Ajalaeus, Poeta egregius.

186. Ἀπαστέρωσις, ſive in Aſtrum Converſio. Elegia Emmanuele Martino, Decano Alonenſi, Auctore. In qua Arcam, itinerum attritu ac vetuſtate fatiſcentem, quadam veluti conſecratione inter Aſtra collocat, Clariſſimo viro J. U. D. Philippo Buliphoni, olim in Neapolitano foro cauſſarum Patrono, ac poſtmodum in Alonenſi tractu Regii Aerarii Praefecto vigilantiſſimo atque integerrimo (nuper vita functo) inſcripta. Acceſſerunt nonnullae eorundem Epiſtolae ad idem argumentum ſpectantes. Mantuae Carpetanorum, ex Typog. Nicolai Rodriguez Francos, An. MDCCXXII.

in

in 4. Praefationem praemisit Caesar Laurentius Bulipho oppido elegantissimam, & in ea recensuit praecipua scripta Emmanuelis Martini: cujus Elegia eruditissima est, & decies repetita, placebit. Ejusdem Epistolae, amoenissimae; Philippi Buliphonis, dignae ejus judicio; duae Jani Interamnensis Ajalaei, sicuti ejusdem Censoria, disertae. Hic editionem accuravit, praemisitque Carmen Phaleucium ab se olim conscriptum in Epistolarum laudem, in quo vir ingeniosissimus, quantus esset in eo carminis generē, planissime ostendit.

187. Scripta oratione soluta sunt sequentia.

188. *Notae in Theocriti Idyllia.* MSS. Has Martinus vocat delicias suas.

189. *Observationes in Aristophanis Comoedias.* MSS. Quae quanti fieri debeant, Auctoris erga Aristophanem amor satis indicat.

190. *Satyromastix.* Sive Notae Criticae in Q. Sectani decem priores Satyras. Legit relegitque hoc Opus Gregorius Majansius: & in eo admiratus est ingenium acutissimum, summamque Latinae linguae peritiam. Diligentissime illud apud se custodit, atque edere cogitat.

191. Περὶ Παθῶν Liber, sive *De Animi Affectionibus ad Stoicorum sententiam*, MSS. Quo etiam titulo libros suos donarunt Zenon Cittiaeus, Hecaton, Chrysippus, & Andronicus junior. Martini hoc opus affectum. Tamen illud Majansius Epistolarum editioni adjunxit. Alexander Zondadarius, Archiepiscopus Senensis, cum Matriti esset una cum fratre suo Antonio Felice Zondadario, tunc Legato Pontificio, nunc S. R. E. Cardinale dignissimo, Martino hanc Dissertationem legente, exsultabat prae gaudio; urgebatque eum, ut illam absolveret: nam cupiebat ipse sumtibus suis eam edere. Sed cum anno octavo evenisset dissensio aliqua de rebus ad Monarchiae jus pertinentibus inter Regem Catholicum & Summum Pontificem, illis ab Hispania excedere jussis, publicationis spes omnino evanuit.

192. *Observationes Politicae in Homerum.* Magnae prudentiae, & sapientiae opus.

193. *Volumen praegrande Variantium Lectionum*, quas ex collatione vetustorum codicum eruit.

194. *Eustathii Patriarchae Thessalonicensis, egregii illius Homeri Scholiastae,*

liastae, *Commentariorum in Homerum duo priora volumina in Latinam linguam conversa ab Emmanuele Martino*, cui Laurentius Zaccagna Bibliothecae Vaticanae Praefectus, & Graece peritissimus, opus illud vertendum commisit, idem suadentibus & adhortantibus eruditissimis viris Raphaele Fabretto, & Philippo Bonarrota. Hoc opus ipse Martinus existimavit immane, & pene supra humanas vires. Et tamen ad exitum feliciter perduxisset, nisi admonitus fuisset ab eruditissimo Monfalconio, opus illud jam ab alio viro docto absolutum fuisse, ac brevi edendum.

195. *Epistolarum Libri* XII. quae nunc prodeunt in lucem, easque tantum quisque laudabit, quantum sperabit se posse imitari.

196. Haec sunt, mi Lector, quae ex ipsius Emmanuelis Martini, Decani Alonensis Epistolis, tam ad me, quam ad alios datis, & ad me quidem lingua Latina, & Hispana, colligere potui. Quae postea quam diligenter excerpsi; uno veluti filo contexui, judicium tantum, ordinemque, stilique texturam convenientem addens; quo major fides historiae huic habeatur, utpote ab Auctore ipso profectae, & a me confectae. Plura profecto scires, si modestissimus vir hac in parte, prout aequum erat, non recusasset satisfacere voluntati meae. Ab eo primum per amicitiam rogavi, ut exemplo C. Caesaris, & M. Tullii Commentarios scriberet de rebus suis. Quorum ille tales conscripsit, ut nihil Latina lingua habeat, neque cordatius, neque elegantius. Hic postea quam ambitiosius a multis postulaverat, ut rerum ab se gestarum actarumque Historiam conscriberent; eorum moras pertaesus, denique scripsit ipse suum Consulatum Graece, ea elegantia, ut conturbaverit universam Graeciam. Quo factum, ut multi ex ea Natione, qui ei operi manus admoverant; ejus Syntagmatis praestantia deterriti, animum despondérint, eamque cogitationem abjecerint. Adjiciebam exemplum L. Cornelii Sullae Dictatoris, qui Commentaria, sive Ephemeridas reliquit, quibus universus vitae suae cursus continebatur. Item M. Aurelii Antonini cognomento Philosophi, qui libros scripsit de rebus suis, qui omnium manibus feruntur. Denique novissimum exemplum sapientissimi eruditissimique viri Petri Danielis Huetii, qui eorum qui de rebus ad se pertinentibus scripserunt, & exemplum facto imitatus est, & confecit

fecit etiam longum catalogum; multoque longiorem potuisset facere. Quorum plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt: nec id iis, qui bonae tantum conscientiae pretio ducti, citra fidem, aut obtrectationi fuit. Et sane ego nihil aliud cupiebam, contendebamque, quam ut simpliciss me exponeret res ipse suas, profectusque suos in literis, ac maxime, ut proficiendi modum posteritati patefaceret, ut vero Mercurio, studiorum ostendente viam ab se feliciter confectam, certius ea deinceps, commodius, utiliusque ab aliis iniri posset. Quod cum impetrare ab eo non potuissem ipsius modestia reluctante, neque, ut par erat, adjuvare vellet meam voluntatem propositumque de rebus suis scribendi; ego pro meo jure, quod ipse poteram, suscepi. Quamquam ne mihi odium, illique invidiam conflarem, de laudibus ejus non tam ea scripsi, quae debentur ei, quam quae & Lector fastidiosus, & modestissimi viri aures ferre possint. Hoc tamen a viro amicissimo impetrare potui, ut *Vitam* hanc editioni (vel si ipse nollet) paratam, ne gravaretur legere, ut si quid forte occurreret minus verum, aut ineleganter dictum,. deleret Quam cum ipse legisset, officium nostrum impense laudavit, stili ruditatem pro sua humanitate condonavit. Sufficiat igitur pauca haec delibasse, ut & virtutibus ejus debitus honor reddatur, & pius Lector occasionem habeat ab immortali Deo deprecandi, uti vitae cursum longiorem ei praestet, ut eo superstite, viva sit apud nos literarum gloria: quo & literarum vindicem exteris opponere possimus, & nostratibus exemplar imitandum proponere. Ego certe in meo museo habeo magni sapientissimique Jo. Ludovici Vivis, & Emmanuelis Martini, viri undequaque eruditissimi praestantissimique effigies; quas quoties intueor, vehementissime mihi animus accenditur ad sapientiam. Scilicet memoria tantorum virorum haec flamma mihi in pectore crescit, per quam ardeo cupiditate proxime accedendi quantum in me sit, ad eorum famam & gloriam nunquam intermorituram. At Emmanuel Martinus vivit adhuc. Ideo ergo invideamus ejus meritis ac felicitati? Ego nunquam invidebo: laudabo semper, pedibusque alacer ibo in C. Plinii sententiam, qua finem imponam Historiae meae. *An si inter eos* (inquit Plinius Epistola ad Euricium de Pompejo Saturnino loquens) *An si inter eos quos*

nunquam

nunquam vidimus, floruisset, non solum libros ejus, verum etiam imagine conquireremus: ejusdem nunc honor praesentis & gratia quasi satietate lans guescet? At hoc pravum malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire, complecti; nec laudare tantum, verum etiam amare contingit.

T. LUCRETIUS LIB. VI.

Inde videre licet, qualis jam vita sequatur.

EMMANUELIS

MARTINI

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI

EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

I. SATYRO-MASTIX PHILODEMO

S. & amorem nuncio.

Romam.

SAlve mi oculissime. Ad te advolant Notulae in Sectani Satyram una cum Poematio Thusco, veluti e plaustro in me jacto. Quid? times ne me ista deterreant? nugae. bono animo es. Haud aliter ea despicio, quam aquila thripas. Nihil enim aliud esse censeo praeter naenias, quibus jam jam morituri cantillant. Tu interim vale, & nos ama. Rullo nostro a me salutem. E Bibliotheca nostra XVI. Kal. Aprileis anno MDCXCIV.

II. J. VINCENTIUS GRAVINA EMMANUELI MARTINO *Hispano* *S. P. D.*

Romam.

DUm legerem Notas a te ad pessimos nebulonis illius nostri versus appositas, non solum, vir eruditissime, doctrina delectabar, quam coarguendis erroribus adhibuisti; sed & tua cavillandi urbanitate, ac facetiarum acumine rapiebar, & benevolentiam erga nos, atque honestatis tuendae, audaciaeque coercendae studium oppido quam admirabar. Nec enim impudentissimi scurrae deliria tanti fuissent, ut mererentur doctorum hominum iram, & stylum tuum nitidissimum ab illustranda vetustate, ac exponendis Originibus linguae Latinae ad pueriles ineptias exagitandas convertere deberent. Verum unde hostium ignobilitate pridem abducebaris, eo te tandem evocavit semidoctorum hominum plausus, quibus ea pestis in bonorum injuriam nutriebatur: ut non prius putaveris furores illos, quibus Urbs fere tota conflagrabat, repressum iri, quam perditos sycophantas, & insulsos poetastros suis telis confodisses, ac inauditam temeritatem, quae simpliciorum animis fraudem ferebat, & juventutem a recto cum vitae, tum orationis instituto detorquebat, patefacta jam stolidissimi Thrasonis ignorantia perdomuisses. Illud modo, vir clarissime, dolet, tua te doctrina nequisse uti tam parce, quin plus interdum susceperis, quam tibi esset a bonorum desiderio tributum ac denuntiatum, & dum barbarae dictionis vitia palam faceres, egisse tam serio, ut illinc oratione continuata, non raro ad abstrusiores eruditionis locos excurreris, & in mendis paulo nimium ponderandis, adducendisque bonorum scriptorum exemplis operam tam male locaveris, quam qui vilissimis centonibus pretiosissimam purpuram attexuerit. Age porro nunc, quando satis eos tuis aculeis confixisti; & quod intenderas, vulgares animos in fraudem inductos, & ad admirationem inquinatissimae dictionis erectos magnam partem ab errore liberasti; refer te tandem ad graviora studia, & invidos dimitte consumendos, atque obliguriendos livori suo. Te namque monitum velim hasce belluas a nobis miseriores non fore, quam sua sponte sunt: quippe proprio livore confecti, & alienis meritis exulcerati poenas dant injuriarum, antequam laeserint. Qui namque tam furiose ruunt, ut in optimos quosque immodica licentia verborum incurrant: hi cum summae libertatis compotes videantur, servi tamen sunt, & administri perturbationum, quarum turbine correpti eo tandem adhaerescunt, quo impotentis animi fluctibus ejiciuntur. Enimvero quos in nos liberiores vides, hos praedam,

& nexos

& nexos esse nostros puta: quoniam animos eorum pro arbitrio versamus, atque torquemus, &, cum libet, in aegritudinem, tristitiamque conjicimus, simulac ingenii robur, si quod habemus, aliquo patefaciamus exemplo: ut liqueat invidos alieni potius juris esse, quam sui; & quo magis eorum te misereat, bonorum meritis velut adspectu tortorum urgeri. Nimirum livor, & malevolentia tum procreatur maxime, cum in angustis animis, atque jejunis species alienae virtutis expanditur: contrahitur vero, & affligitur opinio sui. Etenim id genus homines eo usque praestantioribus plaudunt, & praecurrentibus favent quoad consequi posse confidunt; ubi vero spe ceciderint, eos quibuscum frustra contenderent, quo discrimen minus emineat, maledicentia premunt. Levis autem est, quae ab opibus, & novis honoribus conflatur invidia, prae ut illa quae a praestantiori doctrina suscitatur. Cum enim a caeteris animantibus mente, ac intelligentia distinguamur; quisquis in ingenii contentione cesserit, is e suo videtur humanitatis jure decedere, ac propriam quodammodo extenuare naturam. Scilicet animi tantum bona mortales jure mancipi, jureque optimo possidemus: externorum usus tantum apud nos est; proprietas, & arbitrium penes fortunam: unde cum ingenii vires in judicium veniunt, qui causa ceciderit, capite potius, quam bonis multatum putaveris, nec tam superatum dixeris quam extinctum. Tenuibus enim opulenti, opinione tantum antecellunt: sapientes vero stultis reapse praestant & natura. Sane, si mea fuerit optio, bonam mentem cum Croesi fortunis minime commutaverim. Stulti enim opibus, & copiis, quibus aliis arroganter, & superbe dominantur, ipsi miserrime serviunt: sapientes vero qui causarum nexum intelligentia, & intelligentiam voluntate sequuntur, cupiditates extra naturae finem effusas ad rationem revocantes, fortunam subigunt, & cum justitia per se convenientes, leges non dominas habent vitae, sed comites; neque magistras, sed consortes & socias consiliorum. Ita ut nullis praeterquam sapientibus liceat in libertatem vindicare sese: quandoquidem fortunam contemtu rerum humanarum eludunt, versisque virtutibus in morem congruunt legibus, non obtemperant. Convitiis autem & maledictis minime perturbantur, sed animo praesenti atque acri resistunt: tum quia quod attribuere improbi nequeunt calumniis frustra tentaverint: tum quia studiorum praemium non in judicio imperitorum, sed in ipsa sapientia situm est: tum denique quod aegre quis invidiam declinarit, nisi vel alios retexuerit, vel prorsus a virtute deflexerit, quorum alterum absurdum foret, alterum plane stultum. Quisquis autem pro rebus maximis, qualis gloria literarum est, invidiam subit, hunc optimum sane putes iniisse consilium. Aciem enim invidiae dies obtundit, & vestigia livoris aevum obliterat: laudem vero doctrinae posteritas alit, atque adeo ipsa conservat, & tuetur aeternitas. An autem hac tempestate, his moribus, in hac denique patientissima civitate, qua maledicentiae furor tam impune discurrit, tam

insolenter exultat, ut ne magistratibus quidem, & principibus temperet: homuncio sperassem nomen nostrum fore sacrosanctum: cum praesertim eos omnes habuerim infensos, qui laudem suam duxerant e vitiosa doctrina, cujus palmites luxuriantes recidimus, radices tenacius haerentes tentavimus: quod cum nobis esset apud indoctos, & improbos invidiosum, eo confidentius scelestissimi quique petitiones suas in nos conjecerunt, quo sperarunt aliquid in nobis oppugnandis habere populare. Hinc ut in Urbe discrimen bonorum & malorum antea celatum, deinceps extaret: statim ut rumor hujus dissensionis increpuit, nequam homines, & rudes bonarum literarum communicata fraude ad obtrectatores laudis nostrae, sive ad virtutis hostes transierunt: callidiores se integros servarunt: doctiores vero, & honestiores hoc omnes una fecerunt, ita ut dum pessimorum poetarum latratibus officinae, cauponae, atque gurgustia resonarent; ignorantia cum doctrina, impudentia cum verecundia, pravitas cum innocentia, & turpitudo cum honestate contenderet. Ad hoc enim facinus non iniqui tantum nostri, sed omnes honestatis, & religionis hostes invitati novitate sceleris exarserunt, cumque semidoctorum gregibus confusas vidimus reliquias superioris impietatis, cujus incendium in urbe semel atque iterum exortum prudentissimorum magistratuum oppressit auctoritas. Utinam sapientissimi Patres ne clementia in perniciem redundaret, scintillis quae supersunt extinctis, vitiorum faecem, & sentinam urbis exhausissent! Cum enim id genus homines nulla neque honestate, neque religione coerceantur; a scelere nunquam abhorrent, nec flagitium ullum, si sejunctum a periculo fuerit, abominantur: ac satis honestati datum arbitrantur, si fugiant in sceleribus nomen profiteri suum. Malorum enim sententia, honestum est quodcumque latet. Quapropter homines despectos, & proletarios, abjectissimosque mortalium, & Mysorum ultimos, antehac vel locatis operibus, vel juventutis illecebra, vel quaestu judiciario pastos: nunc videmus opibus, atque pecuniis abundare, ac in conviviis, in ludis, in nocturnis flagitiis tantum uno die profundere, quantum officinae parentum atque tabernae vix tota vita suppeditaverint. Quas copias undenam iis redundare crediderimus, nisi ex improbitatis patrimonio, & vectigalibus vitiorum, in quibus assidue cum lucro versantur, ac ex fraudibus, lenociniis, rapinis, & furtis. Quae tamdiu latere non possunt, ut non se tandem prodant, & suos auctores. Quod nuper in nefario illo latrone compertum est, qui cum a nobis divexandis, exasperandisque sodalium meorum animis, & concitandis in me scurris & poetastris, ad corrumpendas tabulas, & fraudandos haeredes, ac haereditates expilandas sese convertisset; dum praedam contraheret, sociisque rapinae partes describeret, ac in argentum signatum & factum pectore atque oculis & milvinis unguibus immineret: fuit in eo flagitio publice deprehensus. Nomen reticebo libens: flagrionis enim hujus crimina sunt nomine notiora, cum nisi

sceleri-

ſceleribus innotuiſſet, adhuc, ut natus eſt, eſſet obſcurus. Di illum perdant furem manifeſtarium, concordiae peſtem, flabellum diſſenſionum, labem & flammam honeſtatis, qui mendaciis ſuis impudentiſſimis tot hominum cariſſimorum voluntatem a me abalienavit, & quod a nobis impune non tulerit, hominem cum genere, tum literis clarum, ſtudioſiſſimum olim noſtri praeſtigiis ſuis abduxit, ac veterem familiaritatem mutuis officiis conſtitutam & confirmatam turpi machinatione diſſolvit: ut ſcurrarum ſomnia, & obſcoenam atque impiam paraſitorum dicacitatem viro ſane integerrimo, ac innocentiſſimo per ſummum facinus attribueret, atque in hanc fraudem non me modo, ſed Urbem totam fere conjiceret. Et tamen ut rapaciſſimi veteratoris ſingularem impudentiam admirere, cum eo crimine palam teneatur, etiam num in conſpectum hominum ſe committit, honeſtos coetus frequentat, agglutinat ſeſe veteribus amicis, prendit dexteras, immo tanquam alicujus egregii facinoris ſibi conſcius propudioſam faciem promit, miſcet ſales inſulſiſſimos, ac aſininis labiis diductis facit delicias, & riſum captat: cumque ora videat averſa, minime tamen veretur hominum faſtidium, ſed honeſtatem & pudorem proculcans adhuc in publica luce verſatur, nec videt miſer quae ſit omnium noſtrum indignatio frontis ſuae. Rectius igitur contemſeris quam inſecteris eos, quorum ſcelerata conſilia publica mulctavit infamia, quorumque mentes adeo furor obſtupefecit, ut nec alienam honeſtatem, nec propriam turpitudinem animadvertant. Utinam nobis in anguſtum orbem coactis idoneus aliquando campus aperiatur! Dî faxint ut gravis aliquis adverſarius mihi contingat. Nae ille nos, quiſquis mortalium ſit, inauſpicato tentaverit! Sentiet ille an lentum ſpiret praecordiis noſtris incluſus Tullius. Sentiet mehercule, ſentiet, quantuſcumque fuerit, cujus in ſe ſtilum hominis inflammaverit. Vale. Romae Non. Majis MDCLXXXXIV.

III. EMMANUEL MARTINUS J. VINCENTIO GRAVINAE *ſuo* S. D.

Romam.

NOn dubito, quin harum literarum novitate perculſus, e contumaci me ac veternoſo illo ſilentio tandem excitum, ſane quam admirere. Quod profecto minus tibi facere licebit, ubi intelligas, me hoc ſexennium incredibili moerore atque animi aegritudine pene contabuiſſe. Angebat enim me, cum doctiſſimi elegantiſſimique illius coetus noſtri memoria, quae mihi omnibus in locis occurſabat; tum etiam, haec ſordidiſſimorum

 inge-

ingeniorum colluvies, deſpectiſſimo inertium literarum ſtudio quam arctiſſime inhaerentium, ac altiſſima barbariei caligine obvolutorum. Prorſus, ut ſol excidiſſe mihi e mundo videretur. Has ego inter peſtes dum ingrederer, & inania obverſacula, in alium plane terrarum orbem videbar detruſus. Nec aliud erat hujus calamitatis levamen, praeter libros, quo me libentiſſime conferebam, quaſi ad tutiſſimum portum, in hac animi noſtri jactatione. Unde oriebatur, ut harum rerum taedio affectus, non modo a ſcribendo abhorreret animus; ſed & memet haberem exoſum. Excitavit tandem me pulcherrimum tuum *σύνταγμα de Ortu & Progreſſu Juris Civilis*, quo, ita ſalvus ſim, excogitari nihil poteſt elegantius, preſſius, doctius. Sane cum id legerem, viſus mihi ſum in Romanam commigraſſe Rempublicam. Ita me totum affatim Romanis undique ſaturaſti deliciis. Ita concinnam illam auguſtamque Imperii faciem, temporum injuria pene obliteratam, ſub aſpectum noſtrum reduxiſti. Quam venuſte, quam ſubtiliter in hos inveheris noſtri ſaeculi, non dicam jurisconſultos, ſed verborum nundinatores; patrimoniorum teredines, crumenimulgas, ac mera fori tintinnabula! Vereor tamen ne nihil profeceris in hac triſtiſſima Jurisprudentiae clade. Nec ideo tamen dicam, te operam & ſtudium male locaſſe. Quandoquidem non dubito fore, ut ſaltem apud doctos & ſanae mentis viros, hic liber tuus abſolutiſſimus & Romani ſanguinis plenus, in coelo meritiſſimo collocetur. Hoc profecto ſcias velim, in hac urbe noſtra maximum tibi virum hoc opere devinxiſſe, Petrum Borrullium, VIII. virum litibus judicandis; qui nomen tuum (quando ei aliud non licet) incredibili proſequitur ſtudio & obſervantia. Quid? obtundone aures tuas? atqui, ut te mihi facilem praebeas, per fortunas, mi Gravina, oro atque obſecro. Nequeo verbis temperare. ὁ γὰρ ἔρως ἀδόλεσχος· Jam pridem haveo ſcire, quid Arcades noſtri, quid horti Farneſiani, quid fiſtula illa tonſilis, quid noſtra illa platanus literata, quid denique συννομεῖς. Num illis Eumeli nomen exciderit, ac funditus obſoleverit; an vero aliquis adhuc amoris igniculus, & charitas mei. Tota res quo loco ſit, velim ad me ſcribas. Malegonellium noſtrum deceſſiſſe, per mihi fuit acerbum. Scis quam illum impendio amaverim. De Januario Capellaro, olim nobis omnibus officiis conjunctiſſimo, quid dicam? Nae ille vecors & ſtultus, cui illud non altiſſime inſedit: ſervire tempori. imo, qui in animum induxit, fore aliquando, ut opera & conſiliis ſuis inconſultiſſimis, Hiſpaniarum fortunam everteret. Hominis ſtuporem, & ἀμηχανίαν! De ejus tamen ſcriptis (quae medius-fidius elegantiſſima) velim ad me non nihil. Ecquid in lucem emiſerit: librorum praeſertim Philoſophicorum, oratione verſa, quorum unum mihi προσεφώνηκε. Nos in hac literariae exercitationis inopia toti ſumus in Euſtathio, tametſi deterremur (quidni fatear!) immenſa operis vaſtitate: apud noſtrates praeſertim, homines praepoſteros, apud quos nullus honos honeſtiſſimo huic ſtudio. Tibi cum Fa-

bretto

bretto nostro eam intercedere necessitudinem, quam ex libro tuo facile perspexi, tam mihi gratum est, quam quod gratissimum. Quem ego hominem singulari semper studio ac benevolentia prosequutus sum, cum ob ejus suavissimos mores, & ingenium come; tum etiam ob insignem eruditionem, ac mirabilem totius antiquitatis notitiam Vidi nuperas Inscriptiones suas, & in iis luculentissimum sui in me amoris testimonium. Alexandro Guidio, & Philino a me salutem. Da operam ut valeas. Valentiae Hedetanorum XV. Kal. Octobreis MDCCII.

IV. J. VINCENTIUS GRAVINA EMMANUELI MARTINO *suo* S. P. D.

Valentiam Hedetanorum.

EUgepae! tandem de quercu aliquid exsculpsimus! Sex post annos a te literas! Scilicet hac longa exspectatione indigebant, ut nobis essent gratiores! Legi eas coram Arcadum primoribus: quos illarum humanitas, & elegantia ita commovit, ut memoria desiderioque tui pene desiperent. Alphesibaeus vero noster ita exsultabat, ut nisi describendas, atque in scrinio asservandas dedissem, discidisset mihi penulam potius quam dimitteret. Quod de Arcadicarum rerum statu quaeris; scito nunc vere nos ad originem rediisse nostram, veteresque illos esse Pelasgos ab Arcadibus oriundos incertis regionibus & vagos. Ab hinc enim triennium nostris dissensionibus reliquimus Palatinam sedem: necdum alibi constitimus, ne spe repetendae illius excideremus. Quas libro meo tribuis laudes, crediderim fortasse veras, tua si mihi lima uti licuisset. Haud prorsus tamen operam perdidisse putavero, si eo labore aliquem tui similem, & praecipue Borullum jurisconsultum eximium demeruero. Dum tales faveant, latrent ad ravim usque, ac per me rumpantur licet Vulturii togati, & Curculiones forenses; in quos reliquis libellis jam irruissemus, nisi ad tuum quem sperabam adventum editionem distulissem. Sed videlicet isthic tibi permanendum est invito; quasi Pontificiam veniam quadriennio jam nobis etiam adnitentibus non impetrasses; aut Eustathio tuo vertendo locus in Urbe non esset. Atque utinam te adeo, ut scribis, vestratium studiorum pigeret, aut non tibi ubique locorum occurrat oblectatio literarum dum te circumferas. De communis amici calamitate satis tu quidem tuis in literis humaniter, & sapienter. Consulatus exstruebat miser & Dictaturas. Et tamen cui non monstri simile videatur Ciceronianus inter conjuratos? Philosophiam nimirum quam tantopere jactabat summis tantum labiis attigerat;

gerat; quippe qui Scholarum ineptiis nuper emerſus, nec bene dum excuſſus, non Graecis parum ſibi gratis, ſed Latinis tantum ſtuderet craſſae Minervae philoſophis; Socraticos vero noſtros prorſus valere juberet, ut non mirum ſi ſuis e ſtudiis κενὴς νεῖν σὺν ἐυδαιμονεῖν didiciſſet; neque illud eum pene penetraſſet non alio diſtare ſapientem a caeteris, niſi quod vulgus vi, & auctoritate, ſapiens vero ſuapte ſponte ac ratione legibus obſequatur. Scis ergo quoties dictis talibus hominem ſatis opinione ſua ſapientem exaſperarim. erat enim, ſi bene memineris, natura & morbo θηριώδης, & ad iram ſimul ac manſuetudinem aeque verſatilis. Scripta illius ne pereant multi curabimus. Et jam idem ipſe, tamquam in ſummo illo diſcrimine majores curae deeſſent; familiariſſimo ſuo ea de re per literas accuratiſſime, atque ut in tanta ſua tempeſtate tranquilliſſime conſcriptas multa mandavit extremo ante mortem die. Binas odarum ejus, & epiſtolam inter meos reperi faſciculos, quas diligens ſervo. Sed heu! quid his fuſius memorandis vulnus retractamus?

Tuae ut oſtendunt literae, nihil adhuc videris accepiſſe de Fabretti noſtri morte, viri optimi, ſaneque digniſſimi qui nunquam conſenuiſſet, neque enim absque acerba ſignificatione lacrymarum commemoraſſes hominem, cujus cum vita lumen etiam omne Romanae antiquitatis, & quod miſerius, priſci candoris, ac fidei ſimulacrum videmus exſtinctum. Ex poſtremo ejus Inſcriptionum volumine forſan intellexti quantopere me amaret, quantoque odio proſequeretur Latialem illam carminum peſtilentiam, quae illaeſis aliis auctorem unice putrefecit ſuum. Guidus noſter novem ante menſes Ticinum conceſſit rediturus proximo vere. Philinus tibi ſalutem plurimam, gaudetque te ſui memorem. Ad me vero ne tu poſthac literas absque certa ſpe reditus tui. Et quo te des libentius in viam, ſcito tranquillis rebus non modo rem literariam in hoc Archigymnaſio, ſed in Vaticano etiam typographiam a Summo Pontifice magnificentiſſime inſtauratum iri. Vale. Romae Nonis Dec. MDCCII.

V. EMMANUEL MARTINUS
J. VINCENTIO GRAVINAE *ſuo*
S. D.

Romam.

Diu eſt quum ad te ſcripturio, ſuadente illa veteri inter nos neceſſitudine, imo vero impellente. At neſcio qua vel ceſſationis illecebra captus, vel ſtudia tua interpellandi retractus reverentia, in ignaviſſimum illud ſilentium ſenſim devolvor, eo libentius, quod compertum profecto habeam,

habeam, nunquam me a te iri lacessitum. Quod fastune eveniat, an oblivione & incuria nostri, an vero animi remissione (quod certe mallem) non audeo dicere. Quod si tamen verum est, o socordiam, nisi mea major esset, singularem! Me autem plumbeum, qui hominem eximie ac naviter fastidiosum tam impotenter demereor atque depereo! Hactenus amori nostro φιλαιτίῳ. Nunc ad ea quae tibi non dubito fore jocundissima. Quaenam isthaec? dices. Josephum Regnoldum, Gallum, quicum magna mihi intercedit necessitudo, Syntagma tuum De Veterum Fabulis in Gallicum sermonem transferre. Quam rem tibi volo bene ac feliciter evenire. Arrisit nempe homini eleganti ac subactissimi judicii opusculum, quo nihil elucubrari potest nec doctius, nec politius. Tua igitur interest, mi Gravina, grati animi judicium promere adversus hominem, qui famae, gloriae, existimationi tuae consulit. Nullo enim officio devinci homines magis decet, quam eo, quo nobis ad immortalitatem via prosternitur. Nam si vitae incolumitas, & corpusculo huic allata salus inter maxima numerantur beneficia; quanto illud praeclarius, ubi quis serae nos posteritati ostendere conatur, fluidamque ac praetervolantem aetatis nostrae memoriam scriptorum perennitate non solum sistere, sed consecrare? Ergo ei te totum trade, & amplexare virum, quem ego novi prudentem, gravem, modestum, munditiarum Romani sermonis studiosum, antiquitatis callentem, &, quod caput est, tibi addictissimum, quique ad amicitiam tuam gradum facit quadam studiorum affinitate & consortione. Id si mihi indulseris, sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit. Quod ad me attinet, Hispalim cogito. Puta me petasatum. Non quidem illic manendi caussa, sed ad Bibliothecam, antiqua signa, & numismata illinc exportanda, quibus Museum nostrum fiat locupletius. Nisi tam procul abesses, scriberem tria illa verba: *Num quid vis?* Quandoquidem autem nunc tam longum id intervallum non patitur, spero saltem fore, ut aliquando te amplectar, meae deliciae. Quidni?

Ἔλπεσθαι χρὴ πάντ᾽ ἐπεὶ οὐκ ἔστ᾽ οὐδὲν ἄελπτον.

Ut scite ac vere Linus. Vale, & nos ama. Mantuae novae in Carpetanis, tertio Nonas Maji MDCCVI.

VI. J. VINCENTIUS GRAVINA

EMMANUELI MARTINO *suo*

S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

QUaeris cur ad te rarius? Possem excusationem petere abs te mutuam: num enim tu ad me crebrius? Vincerem te scribendo tamen, ac saepe literis provocarem, si quid aliud negotii tecum haberem, quam amandi tui: qui amor sicuti coram erat perjucundus; ita procul est sane permolestus: ac tum acerbus magis, cum arripio calamum. Dum enim scribo, impleor majori desiderio tui: impensius enim cogito te absentem, immo & diu absfuturum; a qua cogitatione mihi sane injucunda, ut quantum possum abstrahar, aegre me confero ad scribendum: ita fit, ut propter nimiam benevolentiam sim tibi minus officiosus. Cum haec accipies, puto te Hispali jam reversum, antiquis monumentis locupletatum, auctumque supellectili doctrinae, atque virtutis tuae. Ingenium, ac mores Regnoldi nostri, cujus pari tecum amore teneor, satis mihi patent ex ipsius humanissime, atque elegantissime ad me scriptis literis. Ex ejus meritis, de me tu meruisti plurimum, qui non ingenium tantum & doctrinam mihi praebuisti tuam; sed & tales amicos meam in laudem, & praesidium confers; nec quidquam habes in bonis tuis, nisi postquam illud mihi communicaveris. Quo magis excrucior te habere absentem. Ex iis, quae ad eum rescribo, cognosces, quanti faciam hoc a te munus, quantoque mihi honori ducam illius amicitiam, mihi perquam gloriosam, & propter hominis merita, & propter versionem, quam suscepit operis mei de antiquis fabulis. Te itaque per amicitiam nostram obsecro, & obtestor, ut ad ea, quae in illius obsequium meis in literis scripsi, addas auctoritatem, ac testimonium tuum, eique significes me longe plus quam verbis profiteor, gratum erga se animum exhibiturum. Dum haec scribo languore stomachi pene deficio. Qui morbus mihi est anniversarius: nam annis ab hinc sex nunquam non memor mei fuit in solstitio. Vale: ac mihi hac in ciborum nausea famem a Diis roga. Romae XIII. Kal. Jul. MDCCVI.

VII. EMMA-

VII. EMMANUEL MARTINUS JANO VINCENTIO GRAVINAE *Jurisconſulto* S. D.

Romam.

QUo minus te meis epiſtolis quam frequentiſſime ad ſcribendum laceſſam, cum locorum intervallo accidit, quo disjuncti ſumus; tum incertis vitae, inſtitutique noſtri rationibus, foedique ac luctuoſi hujus temporis miſeriis aerumnisque, quibus de jocunda coeleſtique illa animi tranquillitate vel prorſus ſumus dejecti, vel ſaltem quaſſati. Adde receſſum meum Hiſpalenſem, & negotia illa τετεϱιτηελκά, quae me ab aliis rebus omnibus avocarunt. Nunc autem, quoniam juvenis cujusdam inſolentia animique pravitas iſthic in famam atque exiſtimationem noſtram invaſit, quam non dubito tibi & adhuc fuiſſe, & fore poſtmodum pro tuo erga me ſtudio ac benevolentia, ſalute tua pene dixi, cariorem; iccirco viſum mihi eſt, inflictae mihi injuriae te certiorem facere; ut qua nos olim alacritate & conſtantia pro te, pro tua gloria, proque ornamentis virtutis tuae propugnavimus, ea tu pariter nobis conſulas, nosque tueare. Degit in iſta urbe Joachimus Alcarazius, Valentinus, homo invidus, alienae laudis obtrectator, plurimum ſibi arrogans, ſuorum ſtudiorum doctrinaeque ventoſus buccinator: quodque iis omnibus gravius, alienis ſcriptis inhians, quaeque aliunde expilavit pro ſuis venditans: inquinatus potius literis, quam imbutus. In aliquo tamen forſitan doctorum hominum pretio futurus, ſi hanc ſcabiem detergeret. Nam pudoris modeſtiaeque ſimulatam quandam ſpeciem prae ſe fert: quae larva ad inescandos animos (praeſertim incautos) plurimum valet. Hic igitur juvenis, cum in hac urbe, cum officii, tum diſciplinae cauſſa, domum meam ventitaret; precibus mihi extorſit Theatri cujusdam Saguntini, ſuperioribus annis a me ex oblivionis tenebris eruti ac delineati, exemplar, una cum Deſcriptione noſtra, quam illi affiximus hortatu clariſſimi viri Antonii Felicis Zondadarii, tunc quidem Legati Apoſtolici munere fungentis in hac urbe, nunc autem in ampliſſimum purpuratorum collegium cooptati: apud quem etiam extat, & quidem mea manu ſcriptum. Is igitur ipſe, abjecta veteris amicitiae verecundia, totque meis erga ſe meritis impacto calce; opus illud a me uno exanclatum, Romae edidit, cum levi tantum mentione noſtri: rem totam induſtriae ſuae tribuens. Cum re vera nec monumentum illud unquam viderit, ac tametſi vidiſſet, in alieno foro (ut dicitur) litigaſſet; cum nihil ad ſe pertineant ejusmodi ſtudia: nec ullus adhuc ante me fuerit, qui Thea-

Theatrum illud fuisse, vel per somnium cogitasset. Neque edidit solummodo, sed verba nostra corrupit, mutavit, praecidit, ac misere laceravit, ut addidisse aliquid de suo videretur. Huic ego te caussae patronum constituo. Tu fac, ut spei de te, de tuoque erga nos studio ac voluntate conceptae quam diligentissime respondeas; si ulla enim res est, quam a te faciendam petente me existimes, haec ea sit. Et quando ingrato homini benefaciendo, benefacta male locavimus, ac in pertusum dolium projecimus; sentiat profecto veterator iste, minime sibi profuisse Romanas latebras, quo minus & fur & plagiarius deprehenderetur: donec ego coram (ut spero) tibi cumulatissime satisfaciam. Vidi Arcadum nostrorum vitas. Di benefaciant Cresceinbenio, quem salvere a me jubebis, valebisque. Mantuae novae in Carpetanis, postridie Non. Aprileis MDCCXVI.

Cum Saturnino Langladio, Reginae medico, ac nostri temporis Podalirio, tibi aliquando necessitudinem intercessisse, ipse mihi saepius narravit. Hunc ego hominem cum doctrinae & amoeniorum literarum, tum modestiae morumque suavitatis, animi candoris, probitatis, fideique erga nos singularis caussa unice diligo, ab eoque mutuo amplector. Is igitur, extremam jam mihi epistolam tenenti superveniens diserte mandavit, ut verbis suis tibi salutem appingerem. Ab illo igitur etiam μάλα ὑγίαινε.

VIII. J. VINCENTIUS GRAVINA *Jurisconsultus* EMMANUELI MARTINO

S. P. D.

Mantuam novam in Carpetanis.

NEapolim venturus, cum prope currum conscenderem, inter amici manus forte occurrit mihi tuus, quem memoras de Theatro Saguntino liber, cujus tractationis eram cupidissimus, quod paucis ante mensibus meum edideram vernacule scriptum de Tragoedia opusculum, ubi non indiligenter neque parum curiose de veteri Theatro scripseram plurima, quorum ad investigationem ipsum me argumentum traxerat. Cum autem eum librum leviter ac celeriter ob festinationem meam evolverem, & in Hispania natum acciperem, mirabar alium ibi auctorem latere potuisse, quam te, cujus vix alium, alibi gentium, nedum in una natione, similem inventum iri autumem. Et quamquam ab acerrimo examine rerum antiquarum, & sermone, utcumque interpolato, acuto tamen ac satis culto tuum ingenium sub aliena persona latens, olfacerem, animo-

animoque praesagirem pene fraudem; omnem tamen suspicandi facultatem eripuit hominis frons, qui publica nominis sui professione, foetum tibi, per amicitiam subtractum, ut ais, publicis sibi typis asserere non dubitaverat: praecipue, quia eum hominem intellexeram tuum fuisse familiarem, & in disciplina versatum tua: ut si non pater, avus saltem, propter doctrinam, quam a te adhibitam suspicabar, ejus tu mihi operis viderere. Nunc cum postremae mihi vehementer exspectatae, temporumque calamitate a me diu procul abactae, literae tuae facinus tam immane nunciaverint, me honoris tui studio, ac nimia indignatione flagrantem vix Neapoli canicula retinet. Quam ob rem, dum hic erimus, arrepta undecumque occasione scelus hoc apud eruditos omnes arguemus; &, cum calor remiserit, Romam redeuntes, post solemnem clarigationem judicium status instituemus, inque agenda caussa tua, operam a te olim nobis egregie atque constantissime navatam, abunde tibi reddemus; injuriasque tuas ultum ibimus, non per amicos tantum, sed per praetoriam, quam vocant, discipulorum meorum cohortem. Qui juvenes sunt doctrinae tam selectae, tantique roboris, immo & acerbitatis, ut ab Arcadia vulgaris eruditionis, puerilisque poeseos fastidio secedentes, & in Quirinorum nomen, aliasque leges transeuntes, adversarios omnes nostros, & Arcadiam ipsam in parentem suum denuo recalcitrantem obtriverint, omnique prorsus honore literario spoliaverint: Crescinbenio nostro, cujus hominis candidi nunquam amicitiam abjecimus, frustra ingemente, frustraque tendente male sartas illas Arcadum vitas, & olentes poeticarum nugarum fasciculos. Per has igitur turmas Leoninam perduelli tuo pellem detrahemus, & vulgato ubique vero ejus libri auctore, quantum fide gratiaque valemus apud bonos, quantum auctoritate apud studiosos, id omne profecto convertemus ad caussam tuam. Tu, si Romam redieris, non amicum modo qualibet humana re cariorem, sed & animum mihi reddideris, & lucem libris meis, qui tua unice opera per novam impressionem typographicas labes exuerint. Vale. Neapoli XVIII. Kal. Septemb. MDCCXVI.

IX. EMMANUEL MARTINUS VINCENTIO GRAVINAE *Juris consultissimo* S. D.

Romam.

CUm postridie Nonas Apriles Mantua Carpetanorum ad te dedissem, e vestigio Alonam sum profectus, urbis regiae offuciis tricisque valere jussis. Vix Alonam sum ingressus, en tibi Philippus Bulipho, qui

de adventu noſtro gratulatum ad me venerat. Quo hominis officio nihil accidere mihi potuit jocundius. Jam enim rumores me pupugerant de ſingulari ejus ſtudiorum elegantia, doctrina, ingenio, humanitate, virtute, caeterisque animi ornamentis. Quare amplexatus ſum hominem arctius, eique me totum tradidi. Praeſertim ubi nunciavit, veterem inter vos intercedere uſum ac mutua officia. Ab eo didici te Neapolim diſceſſiſſe; ſolemneque tibi eſſe & anniverſarium eo per aeſtatem excurrere, excutiendi pulveris ſcholaſtici, levandique animi cauſſa. Vidi apud eum ſcripta tua immortalia. Quorum ego οὐδὲ τὸ ὄναρ quicquam audiveram. Id ego merui ſcilicet, qui te amavi perdite, qui ſumma te obſervantia colui; etſi nunquam tibi, niſi laceſſito, literas extorſi. O fidem, fidem! In ea tamen vel oblivione, vel faſtidio noſtri, nunquam te imitabor. Sed nominis tui gloriam, famam, dignitatem, ubique praedicabo, & acceſſione laudum mearum (ſi cujus ſunt momenti) ornare atque amplificare non deſinam. Caeſar Bulipho has tibi literas reddet. Nos interim inter cyathos & συμποτικὰ ἀστεϊσμάτα, non tam obſoniorum voluptate perfundimur, & patellariis ἡδοναῖς, quam ſuaviſſima oblectatione memoriae tui. Fac nos mutuo diligas, & vale. Eidib. Septembribus an. MDCCXVI. Alonae.

Superiorum literarum exemplum ad te mitto. Tu exiſtimationi noſtrae quam diligentiſſime conſule.

X. J. VINCENTIUS GRAVINA EMMANUELI MARTINO *Viro eruditiſſimo* S. P. D.

Alonam.

QUod aulae repudium miſeris, e ſapientia & dignitate factum eſt tua, & ex honore ſtudiorum: praeſertim vero ex animi mei ſententia, qui Romana in Curia tam diu, tamquam in ſeceſſu verſor. Morte enim miſeriorem vitam duco, quae in ſervitute, quantumvis honorifica, traducatur. Hoc autem turpius eſt regium famulitium, quam captivitas, quod haec injuria fortunae incurritur; illud ambitione ſuſcipitur, & errore mentis ab admiratione illorum, qui ſe in magna potentia praeſtare aliis putant: cum nihil prae aliis & tantis tumultibus auferant, quam perpetuum deſideriorum exordium, & poenitentiam praeteritorum, nec raro capitis periculum, & vitae jacturam, qualem paſſus eſt miſerrimus ille Princeps, cujus tu in comitatu eras: qui tamquam Africanus, aut Flaminius

nius alter, movendis reponendisque regnis natum se autumabat, quique proprio supplicio manes est ultus alienos. Ego vero suspiciosis illis temporibus, quibus Hispanam consilii maturitatem peregrinus impetus praecurrebat, & noxios juxta atque innoxios iisdem judiciis involvebat, a familiaritate mea tibi metuens, non sum ausus homo alienarum partium, vel literas ad te mittere, vel libros meos: quos tibi singulos jam diu sepositos habeo, daturus ad te statim cui mandaveris: ne mihi censeas longinquitatem temporis aut regionum ademisse memoriam tuorum in me meritorum, aut quicquam de amore in te meo summo detraxisse, teque jure induxisse ad implorandam in postremis tuis lepidissimis literis hominum fidem: quam rectius implorare perges in scelere plagiarii illius tui, de quo fusius in literis Neapoli ad te datis, quem post sermones a me dissipatos audio suppressisse opusculum illud, quod tuum erit justis vindiciis asserere auctori suo, per integrioris editionis lucem.

Amicitiam tibi cum Bulsonio meo isthic junctam esse vestra utriusque causa gaudeo: quamvis discrucior absens, quando animo praecipio sermones vestros, ac vix mecum habitare queam: praesertim cum in memoriam mihi redegeritis Langladdii suavissimi doctrinam, & humanitatem in colloquiis versatam vestris, pro quibus vel Athenas Atticas mutaverim, nedum horum temporum Romam.

Ex Bulifonii autem Latinis, a fratre suo, mihi perlectis literis, cognovi satis, quantum illius stylo familiaritas tua contulerit. Eum, si meo etiam nomine amaveris, majoris egomet precii mihi videbor. Libri nostri tributam abs te fortasse laudem mereantur, si ad praelum issent, rediissentque ab emendatione tua, cujus etiam nunc utilitatem acciperem a transalpinis, qui novam impressionem urgent, si quam primum hujus impressionis emendationem abs te acciperem.

A Bulifonio minore mecum communicandam curabo animadversionem, quam memoravit, nec sat verbis explicavit, tuam in meo *de Romano Imperio* Tractatu: quo opere nihil scripsi, quod ad publicas horum temporum controversias referat pluris, postquam alterum edidero, jam absolutum *de Romano Imperio Germanorum*, ex primi libri principiis necessaria consecutione deductum, eaque arte, atque cautione contextum, ut veritatis, & partium offensionem una vitemus. Quam editionem, nisi vana spe nos eluseris, ad adventum tuum differemus, nodosque omnes, quos forte proposueris, ex ejusdem operis, aut expressis, aut abditis sententiis soluturos confidimus. Vix enim quicquam in mentem, vel tuam acutissimam ceciderit, quod non aliqua particula, vel clausula occupatum inveniatur.

Tuum de Tragoediis meis judicium exspecto cupidissime: neque enim arbitror ad earum examen te Scholam consulturum Lopensem, & Calderonicam, aut inde scatentem Cornelianam Gallorum; sed Atticam, & Sophocleam

phocleam, qualem te decet eruditiſſimum Hiſpanorum: praeſtaret enim nullas attigiſſe literas, quam has peperiſſe noſtratium Theatrorum peſtes. Quem horum temporum furorem vehementer caſtigavimus, & rationibus atque exemplis veterum profligavimus in vernaculo tractatu de Tragoedia recenter edito, qui ſimul cum aliis ad te veniet. Tragoediis autem illis, ſi aliquam tibi attulimus voluptatem abſenti, longe majorem caperes praeſens, dum vivos ſub mortuorum perſona in ſcenam prodeuntes, & res praeſentes ſub veteribus latitantes videres, ut mos eſt hujusmodi poematum allegoricorum: quae mores aetatis ſuae nominibus carpunt alienis. Quo ſine ſapore, atque humanae vitae documento, quorſum poeſeos artis alioqui laborioſiſſimae ſtudium? Vale tu, & Buliſonius noſter plurimum. Romae Kal. Decemb. MDCCXVI.

XI. EMMANUEL MARTINUS JANO VINCENTIO GRAVINAE *amico ſuaviſſimo* S. D.

Romam.

QUod felix, fauſtum, fortunatumque ſit, mihi certum eſt proximo vere Romam repedare: quo nempe tempore ciconiae ad vos adventare ſolent. Gniphoni igitur noſtro negotium dedimus, ut domum aliquam mihi accuret; ſin autem, utar ſua. Quam vellem ut in tua vicinia! Neque enim fas eſſe duco ab eo vel paullulum disjungi, cui me literarum amor arctiſſime conjunxit. Quid ſi nos idem tectum reciperet! Sed haec coram videbimus. Animus eſt quam expeditiſſime navim conſcendere. Summa ſarcinularum noſtrarum, veſtis, libri, numiſmata. Alona ſolvemus ineunte Aprile. Tu, ſi nos amas, pro ſecunda navigatione Fortunae ἐπαναγώγῳ, Neptunoque ἐνοσιγαίῳ vota nuncupato. Et vale. III. Eidus Januarias MDCCXVII. Alonae.

XII. J. VINCENTIUS GRAVINA EMMANUELI MARTINO *Amico jucundiſſimo* S. P. D.

Alonam.

O Mihi nuncii beati! o bene bonoque alite navim, non Hiſpano mihi, ſed Colchico potius de littore ſolutam, quae te ad nos referet quolibet aureo vellere cariorem! Gniſonem, quamvis diu a me ſuarum partium

partium metu diremtum, satagam tandem convenire clanculum, ut secum quod tibi voluptati compendioque sit consulamus, tibique de domo aliqua mea in vicinia commodemus. Utinam per Regum odia sicut animum, ita & mensam, aedesque communicare, salvis capitibus nobis liceret, hominibus alioqui utroversum eamus, nullius certe discriminis. Quae Saturnalia! Quae Atticae noctes! Sed ista coram, & brevi, quamvis desiderio meo longum satis. Libri nostri, qui isthuc properabant, nunc hic te consultius exspectabunt: ac spero has ad te hoc anno literas dare postremas. Advola igitur ad nos confidenter, ac secundis Diis. Aeolo quippe, ac Neptuno bene litavi, mactavique

Nigram Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Vale. Romae Kal. Martiis MDCCXVII.

XIII. MARTINUS GRAVINAE *suo* S. D.

Romam.

ETsi de illa rusticatione nostra Mariana transactum fuerat, re postea consideratius perpensa, visum mihi est & rationibus nostris & temporum conditioni longe congruentius eam rem in aliud tempus rejicere. Qui enim exhilarari animus possit, ubi omnia suspicionis plena & infida? Quare id mihi consultius visum est. Scis autem δευτέρας φροντίδας esse σοφωτέρας. Ego certe, Gravina mi, tot actionum nostrarum ἐπόπτας valde expavesco, qui bonorum exitio imminent: quorum insidias cavere nostra interest maxime. Interea id intelligas velim, nihil esse mihi carius te ac Millino, quem a me salvere jubebis, valebisque. Ex Museo nostro. An. MDCCXVII.

XIV. GABRIEL JOANNES REGINERIUS *Doctissimo viro, Jucundissimo amico,* EMMANUELI MARTINO S. P. D.

Romam.

SAeviat nunc Domina mea, me ingeniumque meum, ingeniique mei labores, quicumque tandem illi sint, fastidiosa respuat. Eg leviter feram, tu enim probasti. Amavi equidem, atque ut verum ingenue plane-

planeque fatear, sic amavi, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius; quodque amantibus familiare, id etiam mihi usu contigit. Desideravi, timui, dolore modo, modo gaudio, saepe etiam simul affectus sum. Verum sive dolerem, sive laetarer; tacitus nunquam, nec laetatus sum, nec dolui. Erumpebat in verba dolor, vocesque ad querelas sponte inveniebat. E diverso, exsultans, gestiensque laetitia, vel invito me, lascivienti se prodebat effundebatque sermone. Omnes igitur amoris sollicitudines, omnem, quae in illo inest, vim angorum, omnes molestiarum varietates expertus sum: & quidquid expertus sum, id scriptis mandavi: sperabamque (ah miser! ah demens!) his scriptis, ut formosa Lycoris aliquando flecteretur, futurum esse. At illa flecti se nunquam passa est, nunquam obstinatum obduratumque posuit rigorem, nunquam, si non mollem atque facilem, saltem minus duram difficilemque se praebuit. Quid igitur? si illa crudelis, nonne sum ego hominum plane miserrimus? Essem sane nisi tu obstitisses. Tu irruenti in me fortunae opposuisti benevolentiam tuam. Tu rigorem sortis meae indulgentia in me tua correxisti. Tu vulnera calamitatis meae amoris in me tui suavitate sanasti. Mihi impertivisti quod Lycoride ipsa sit proprior potiorque voluptas. Impertivisti enim amoris atque judicii tui testimonia. Ah! non dissimulabo, non enim possum. Iis ipsis, quae forent mihi jucundissima, jucundius accidit judicium tuum. Nihil gratius accidere mihi unquam posse arbitrabar, quam ut Lycoridi grata acciderent quae scripseram. Fallebar. multo mihi gratius fuit, fuisse tibi. Ipsis nunc doloribus meis laetor: ipsis angoribus meis gratias ago, gratulorque: ipsa miseria factus sum felix, quod ad illa scribenda me impulerit, quae tibi arrisere. Verum quantis laudibus (quae tua est humanitas) in his quas ad me dedisti literis, haec scripta ornas! Quam ipse potius laudandus es, qui laudare tam diserte scis; immo dum ejusmodi laudibus scripta mea prosequeris, effecisti ut de hoc jure nunc laudari possint! Dum enim quasdam dicendi virtutes, si quae tamen in illis sunt, extollis; innumeras tu ex tuo deprompsisti, atque illis contulisti, inseruisti, affinxisti. Mihi jam ipse placeo: & quum a te probatus sim, nunc ipse mihi tandem probor. O magnam amoris industriam! non amplissimis modo laudibus me cumulasti; sed etiam ut illas meruisse viderer, omnibus laborasti modis, ac prope effecisti. Tanta contendisti facundia, ut facundum esse me legentibus quasi persuadeas. Fraudem profecto tibi tulit tuus in me amor. Sed istud ipsum mihi gratissimum in illo tantam esse vim, ut tuum post homines natos acerrimum judicium, perspicacissimumque acumen, impedire corrumpereque mea causa valuerit. Illas laudes tuo in me amori debere malo, quam ingenio meo. atque in damno meae gloriae tua indulgentia maxime laetor. Quanquam quid ad gloriam magis valeat, quam a te qui tantus sis in omni genere laudis, amari, non equidem intelligo. Verum jam nimis multa de me, atque de meis scriptis, id

est

est de nugis; cur non ad illa potius orationem omnem converto, quorum laudes complecti nulla orationis ubertas unquam possit. De tuis Elegiis loquor, quas tu dono mihi dedisti. O donum quod ingenium meum locupletavit! O donum, quod ut Reges dare possint, nimium vel cum gazis suis sunt inopes! O donum uno donatore mihi minus carum! Sed quum tam ingens donum hoc incommodo conjunxeris, ut nunquam gratiam tibi quantam debeo, quantam habeo, referre possim; saltem quodammodo referre conabor, referre me non posse testando. Saltem tuum donum a me intelligi ostendam: atque ut id assequar, pauca quaedam de Poesi leviter attingenda, atque parce delibanda, mihi videntur.

Poesis est genus quoddam orationis, sed quod plurimo discrimine a communi oratione diversum est atque disjunctum. Est alter sermo, sed nobilis, sed Regius, sed prope divinus; unde etiam Deorum sermo vocari meruit. Hinc sequitur eam esse Poeseos indolem, quae ab omni tum rerum, tum verborum humilitate atque vilitate, tanquam a labe ac sordibus, refugiat atque abhorreat; sed splendorem amet, magnificentiam affectet, ad majestatem adspiret.

Nam quemadmodum vestis Regia male induitur homini plebejo, & quemadmodum arenulae gemmarum loco aureis annulis inepte illigarentur; ita res humiles vilesque pessime Poesi induuntur. Nec profecto eam figurarum amoenitatem atque varietatem tot orationis lumina, tot verborum flores, tot tantaque omnis generis ornamenta, quibus gaudet Poesis, ad id fuisse inventa existimandum est, ut illis res humiles, plebejas, tritas, viles, circumdaremus atque illigaremus. Quibus id agitur, illi insolentem abjectionis Poesim, semper circumfluentem decore, in summa rerum dignitate atque altissimo fastigio versantem, e patrimonio splendoris in sordes dejiciunt, contaminant, deformant, vitiant, prosternunt, atque prostituunt: immo ipsi longissime a Poesi absunt: ita elumbes, ut humi semper repant; ita humiles, ut in luto demergantur; ita tenues, ut pulveri immixti remaneant. Haud nego tamen esse quando rebus humilibus in Poesi locus esse possit, scilicet quum exquisito ita modo dicuntur, ut amplius humiles non videantur. Verum si maximum in splendore majestateque consequenda studium, maximaque contentio ponenda; non minor etiam cura adhibenda est, ut tumoris species omnis atque suspicio quam longissime removeatur. Absit, inquam, illa non tam oratio, quam orationis spuma. Licet enim inania futiliaque ingenia falso simulacro, & umbra quadam majestatis mentita, occupet atque impleat; re vera tamen tam vanum nihil, ideoque nihil tam humile, tam exile pusillumque, quam tumor: atque ut rectissime medici nihil tam aridum, quam Hydropem asserunt; ita profecto nihil ventosa ac turgida oratione jejunius esse eadem ratio confirmat. Nec lateat, imo nec simuletur tenebris verborum, caligineque orationis majestas atque amplitudo; neque enim larvis majesta-

majeſtatis, ſed majeſtate; nec illa quae occulta & divinanda ſit; ſed quae cernatur, immo effulgeat, in oculos incurrat, aciem perſtringat, opus eſt. Oh! quam foedus error multorum mentes pravitate ſua imbuit, ut ab obſcuritate ipſa ſplendorem petant. Neſciunt videlicet illi, quemadmodum ea quae ad ſiderum vicinitatem magis attolluntur, eo clariora illuſtrioraque evadunt; ita etiam altiſſima quaeque ſenſa ſumma perſpicuitate eſſe perfundenda, ſed profecto, ut rectiſſime Quintilianus, dum ſtultis videri volunt eruditi, eruditis ſtulti videntur.

Quantum ad caetera attinet, Poeſis integra plenaque magis libertate partim frui; partim arctioribus legibus aſtringi, quam ſoluta oratio mihi videtur.. Libertas maxima ad audendum, cum in rebus, tum in verbis. Quin etiam ut in adoleſcentibus quaedam vitia juvenili impetu atque nimio ardoris aeſtu erumpentia placent ac jucunde blandiuntur, quae in viris, cum ille aeſtus maturitate aetatis temperatus deſervuit, maxime improbarentur; ita in Poeſi, vel ipſa quaedam vitia arrident, quae in ſoluta oratione vix eſſent ferenda. Imitetur itaque Poeſis juventutem, exultet, laſciviat, luxuriet liberius; immo aliquantulum audacius proterviuſque: id ipſum erit lepidius atque feſtivius: aſtrictior vero illa eſt, & numerorum ratione, & quod illi (ut jam dixi) omni rerum verborumque humilitate interdictum eſt; maxime vero quod in mediocritate illi conſiſtere non licet; ſed ut altiſſimum bonitatis cacumen obtineat, ut perfecta ſit, neceſſitas illi impoſita eſt.

Haec de Poeſi univerſe. In Elegis vero adamanda eſt praecipue venuſtas, qua totum carmen affatim eſt imbuendum. Elaborandum in perſpicuitate & munditie, & puro quaſi quodam atque candido genere dictionis, illigandi plurimi exquiſitique lepores. Ita ſit mollis, tenera, flexibilis; immo, ut ita dicam, liquida oratio, ut fluere videatur; cultus non infucatus, non ambitioſus, non immodicus; ſed ingenuus, ſed naturalis, ſed pudicus adſit; integris ſententiis, ut Tullii verbis loquar, veris, novis, ſine pigmentis fucoque puerili, quaſi quibuſdam ingenii luminibus reſpergatur, decoretur eloquentiae figuris, depingatur verborum floribus, nectarea quadam ſuavitate condiatur, & ſit quaſi delibuta. Tota floreſcat, tota niteat, tota pruriat, laſciviat, demulceat, deliniat, atque titillet: intempeſtiva gravitate nunquam rigeſcat, abſit illa auſteritas, duritas, & quaſi moeſtitia; illa ſolitudo ſtrigoſae, gracilis, jejunae, aridae orationis veneribus leporibuſque deſertae atque relictae. Feſtiva verba, urbana, concinna ſint, leniter leviterque conjuncta atque coagmentata. Non per ſalebras atque anfractus detorqueantur invitae coactaeque ſententiae: ſed molliſſimo orationis tractu faciles deducantur, & quaſi ſponte oriantur inter verborum flores, atque in hac quaſi ſermonis amoenitate. Tota denique effluat oratio in blanditias, laſcivia atque deliciis quaſi liquefacta.

Quod vero ſummum eſt in eloquentia, ac idem maxime arduum, quod illam-

illam rerum omnium Reginam conſtituit, animoſque hominum illius ſervos; quod vi ipſa vehementius eſt, affectuum pertractatio multa variaque eſt adhibenda.

Tunc ſane concutiendus eſt totus, inflammandus, commovenduſque noſter animus, ut illos ingentes affectuum motus ciere poſſimus; qui modo ſint pari oratione redditi, ſuſtineri non poſſunt; ſed tranſverſos rapiunt auditores atque lectores, & ſibi eripiunt. Vehemens, acris, incitata, ardens, &, ut ita dicam, rapida tunc ruat oratio. Curſu atque impetu ſuo quidquid ipſi reſiſtit, impellat, frangat, diſſipet, comminuat; quidquid cedit, abripiat, ſecumque vehat, ac ferat. In animos auditorum flammas vibret, inſerat illis noſtros affectus, infigat cogitationes, nihil in illa ſit otioſum, tota ſit actuoſa, creſcat in ſingula verba; nec mora ſit, nec requies, donec ſe dent penitus auditores; inſtet, urgeat, premat, percutiat, proturbet, atque proſternat. Languidis & frigidis animis admoveat quaſi quaſdam faces verborum, & quaſi ſtimulis fodiat. Animi noſtri illos comburamus incendio. Dicam equidem, & quoniam haec jam dixi, reliqua non tacebo, ut impoſitis ponderibus lanx deprimitur, ita evidentia domatur animus: ac quemadmodum quae ad ignem concipiendum ſunt apta, ſi ignem admoveris, inflammantur: ſic animi hominum, qui ad affectus ſuſcipiendos ſunt facti, ſi vocibus quaſi concluſa affectuum ſemina illis inſeras, affectu ſtatim exardeſcunt. Intercedit enim humanos inter animos quaedam non modo arcta neceſſitudo, ſed etiam naturae cognatio atque ſimilitudo: qua ſit ut quemadmodum inter corpora morborum, ita inter animos fiat quaedam affectuum contagio. Hinc eſt nempe quod dolenti condolemus, quod alterius hilaritate exhilaramur, & quod ad amantem amandum proclivitatem quandam experimur. Itaque quum lacrymatur, ut ita dicam ipſa oratio, quum verba gemunt, quum omnes voces, doloris ejulatus videntur, quum denique non tam nos, quam dolor ipſe loquitur; alterutrum profecto neceſſe eſt, aut ad miſerationem tandem evincatur puellae mens, aut mente omnino illa careat. Quum vero tota imbuta eſt amore oratio, quum tota amore flagrat, tota amorem ſpirat: quum omnem amoris vim, omnes amoris ſenſus, omnes dulcedines, deſideria omnia, omnia denique, ut ita dicam, lineamenta expreſſa effictaque prae ſe fert; aut ſe ipſam non amet puella, aut etiam amet, qui illam tam bene amat, neceſſe eſt.

Sed jam brevius, atque plenius tamen, & quidquid dixi, & quidquid omiſi, complectar; ut omni venuſtate ornata, omnibus virtutibus inſtructa, omnibus numeris abſoluta ſit elegia, nihil aliud opus eſt, niſi ut tuis ſit ſimilis.

Ita profecto, nam (proh Jupiter!) quam egregie omnes Poeſeos virtutes complexus es non modo, ſed etiam ampliaſti. Quantus ſententiarum ſplendor! quae novitas! quae ſuavitas! quae verba! quam electa! quam vivi-

da! quam apta! qui concentus numerorum! quam plenus! quam dulcis! quam ſonans! quae totius orationis dignitas, venuſtas, lepos, concinnitas, facilitas, atque felicitas! Qui denique, & quam varii, & quam acres, vehementeſque affectuum motus! Ah! te alloqui Virgilianis verbis jam licet: *Nunc ſcis quid ſit amor:* nunc enim in tuis elegis expreſſum illum, illiuſque omnia lineamenta ad ſummam uſque ſimilitudinem praeciſa; immo illum ipſum vivum, ſpirantem, ardentemque vidi. Sed quid dico vidi? immo expertus ſum. Neſcio quid elegis tuis in poenam comprecer, ita legentem me atque relegentem incendio impleverunt. O ingenioſorum verborum vim atque efficacitatem! O diſertae orationis prope faſcinationem! Non legebam modo, ſed legendo aeſtuabam, tecum arſi, tecum dolui, penetrabat ſe in animum meum verbis tuis indutus amor: timui timores tuos, ſollicitudinibus tuis vexatus ſum: ſpes tua etiam ſublevabat me, deſideria tua animo comitavi, vix ipſas tenui lacrymas, vix ſuſpiria. Ita ſunt actuoſa verba tua, ita rebus ipſis proxima; ut in omnes ſenſus tuos traherent me atque traducerent. At omnes tui ſenſus quam illi amatorii, vel quum iram prae te fers, ira tua prae ſe fert amorem; in medio irae impetu amorem oſtendis, amorem tibi concilias: illa exardeſcit amore, illa amorem demeretur. Quum vero ad miſerationem deflectis orationis impetum atque inclinas; tantam dulcedinem tanta vi conjungis; ut animum duplici ſimul modo labefactes, domes, atque expugnes, illum ſolvis, illum liquefacis, illum cogis quaſi ad deliquia. Ita ad vivum oſtendis dolorem tuum; ut doloris tui ſenſum auditorum animis infligas atque inuras; illos angoris cruciatuſque tui eloquenti effigie ſic angis atque torques; ut non modo tui miſereri cogantur, ſed quodammodo miſerandi ipſi fiant, pari eodemque dolore cruciati: ut inquam illi, ut deſiſtas, ut ipſis parcas, ut ipſorum miſerearis, ultro efflagitent. Quum videris vero precibus uti, tunc maxime vi agis atque cogis. Quando enim tam diſertis precibus negare aliquid licet, niſi tunc ſolum quum illae non audiuntur? Poſtremo, quum abis ad jocos & ludibunda, atque prurienti exſultas oratione; quum amoris deſcribis ſuavitates; ipſum mehercule lectorem facis beatum: ita intimis ejus ſenſibus voluptates illas omnes inſtillas, infundis, atque ingeris blandorum verborum quodam quaſi canali. Interea quam facilis fluit oratio, quam apto verborum ambitu circumſcriptioneque ſententias amplecteris atque concludis, ut ſaepe illae, ſed ſemper feſtive, in ſua verba redeuntes atque ſe retorquentes iiſdem deſinant a quibus coepere. Verum non ab omnibus intelligitur, quam difficilis ſit haec facilitas, atque quanto artificio artificium occultetur: experiantur, & intelligent. Mirum etiam quanta laevitate vincturas commiſſuraſque ſententiarum elaboraſti, expoliviſti, atque complanaſti. Ita ſunt annexae inter ſe, ut una ex altera pendeat, ſurgatque, ut altera alteram generet, ut antecedens ſenſim ſine ſenſu animum lectoris in ſubſequentem effundat. Haec res potiſſimum

tiſſimum in arte dicendi perfectam conſummatamque induſtriam arguit. Hoc in primis magni tum Oratores, tum Poetae ſecernuntur a mediocribus: in quo denique exiſtit id artificii, ardore animi ſplendoreque orationis conjunctum; in illo profecto elucet omnis ſummae eloquentiae magnitudo. Magnum enim eſſe ingenium oportet, atque ipſa quam tractat materie majus, ut hanc omnem ſententiarum copiam atque varietatem, quaſi unum quid, & una vi, atque una conſenſione conſtrictum, cogitatione amplectatur, oratione diffundat. Si caeteras, quae ſunt innumerae, Elegiarum tuarum virtutes perſequi velim; jam exclamationibus uti neceſſe fiet, neceſſe dicere. O dulcedinem orationis! O mollitudinem! O delicias! O incendiaria carmina! O carmina demulcentia! O gratiis ipſis gratiora! O quae illecebris omnibus ſuis, blanditiis, deliciis irroraſſe, condiviſſe, perfudiſſe Venerem; immo in quae Venerem ipſam ſe reſolviſſe, atque transfudiſſe totam exiſtimes. O carmina ipſa, qua fruentur immortalitate digniſſima! Nec enim illa ſubducet unquam fugitiva oblivio. Dum erunt formoſae, dum amabunt, dum amabuntur, tu celebraberis, aderit ingenium tuum ultimae remotiſſimaeque poſteritati. Te leget illa, te colet, te mirabitur. Te unum doctiſſimum, te ingenioſiſſimum, te ſuaviſſimum praedicabit. Nos quibus ingenio tuo, tua eruditione, tua ſuavitate frui datum fuerit; dicet beatos: beatiſſimam vero Camillam quam amaveris. O puella omnium feliciſſima, modo felicitatem tuam intelligas, modo ſis ingenioſa, modo ſuaviſſimi Emmanuelis carminum ſuavitatem percipias. Tibine illud tam elegans ingenium cogitationes ſuas impendit? Tene eximius ille animus, quam unam coleret, praecipue elegit? Tene dilexit magnus ille Emmanuel? Tibi ſuſpiria, tibi vota, tibi lacrymas fudit? Ah! procumbant aliis reges, ſceptra, diademata illarum pedibus ſupponant, atque ſubſternant, purpuram, gemmas, aurum, regna, ſe ipſos in munus illis congerant: nunquam illis tantum dabunt quantum Emmanuel tibi. Tibi ingenium ſuum, Tibi ſe, Tibi famam aeternam dedit. Quam multi extitere Heroes? Quam multi Principes? Quam multi Duces fortiſſimi, qui nunquam tam celebres erunt, quam genae, quam oculi, quam labella tua? Sciet poſteritas, quam ingenioſe micabant Camillae ocelli, quam ſuaviter illa iraſcebatur; ſuavius tamen iram deponebat. Sciet, ah! ſciet, qualis fuerit illius riſus, quae blanditiae. Sciet, inquam, & laudabit.

Verum futurae illius gloriae anticipatam quandam dulcedinem jam delibare potes, o Vir doctiſſime, laudibus quibus te cumulant illi qui laudibus maxime ſunt digni, quod ſimilitudo ingenii, ſtudiorum, atque virtutis, jucundiſſima tecum amicitia conjunxit. Tacebo illos, quos alibi nominavi, ut aliorum mentionem nunc faciam.

Illum dico Malagonellum, cujus animus ſupra minas, & ſupra promiſſa fortunae elatus, ſupra humana poſitus eſt, ingenium animo par, orationes

nes ingenio dignae. Equidem tanto ſplendore illae fulgent, tanta magnificentia aſſurgunt, tanta opulentia funduntur; ut a plebe vulgoque orationum omnium longe ſummotae, grandius aliquid ac generoſius, ac prope divinum ſpirent. Tot & tanta lumina, atque tam improviſa, undique vibrant; ut non minus quam fulgura, quae ſubito rumpunt tenebras, aciem perſtringant; ſententiae tam crebrae, & tam denſae, quam clarae atque nobiles. Vel minima demum quaeque exquiſitiſſima. O dignum hominem, cui quod ſummum in rebus humanis eſt, indulſiſſent ſuperi! Plus dicam: O dignum, cui ejuſmodi ingenium indulſerint!

Illum etiam dico τὸν μακαριστότατον Myronem, acerrimo exquiſitiſſimoque cujus judicio nihil aliud par fortaſſe invenire poſſis; praeter ejuſdem eruditionem, quae non modo tanta in Latinis, ſed etiam in Graecis exiſtit, ut Athenae ipſae (cum Cicerone loquar) non fuerint illo magis Atticae. Ita in intima optimorum auctorum ſenſa animo penitus ſe immittit; ut ſibi ipſi non fuerint magis conſcii, quam ipſis ille. Sed quid mirum, ſi illos ita intelligit, ut ſe ipſi, quum ille ſcribat quoque ut ipſi. Illius vero judicium hujuſmodi eſt, ut idem profecto ac unum ſit in bonis literis illi probari, ac eſſe probandum; illi improbari, atque improbandum eſſe.

Illos quoque adjungo, duo Hetruſcae Poeſeos clariſſima lumina, Alexandrum Guidium, atque Joannem Antonium Magnanium, quorum alter grande quiddam atque ſublime ſonans, Pindaricorum ſpirituum plenus, ſplendidiſſimis ſententiis verſibusque maxime numeroſis, ad ſummum Poeſeos faſtigium generoſe feliciterque contendit.

Alter vero totus elegans, totus venuſtus, preſſum magis dicendi genus amat atque perſequitur; verum ita egregie, ut non facilius ſit rerum naturae res gignere, quam illi deſcribere; immo ut non tam deſcribat, quam oſtendat; ut naturam in illius ſcriptis non minus videre nobis videamur, quam quum ipſam intuemur. Ut denique quum illum audimus, ſi ita loqui fas eſt, auribus videamus.

Favebunt certe laudibus tuis omnes, qui laudibus ſunt digni; ſed qui, & quorum ſcripta pariter deſpectui faſtidioque obnoxia ſunt, illi ad carmina tua ſoli faſtidient. Extat enim, atque ſemper extitit, ſed effuſiſſima copia nunc extat genus quoddam hominum, generis humani dedecus, alienis meritis anxium atque dolens, propriis carens; quorum perverſiſſima indoles omnium vitiorum ſeminibus nata; quorumque parvum ingenium pravo animo conjunctum eſt. Hi quum ne ad minimam quidem laudem prorepere ipſi valeant; alienas carpere attereréque, & aliorum gloriae detrahendo vanam cujusdam gloriolae effigiem comparare ſibi conantur; ita demum famae inſerere poſſe nomina ſua exiſtimantes aliisque ſuccreſcere; ſi juſtiſſimam aliorum famam injuſtiſſime petulantiſſimeque laeſerint. Illi in ſcriptis noſtris reprehendendis, exagitandis, inſectandis, ſunt aſſidui. Quam merito, poſteritas viderit: tam merito certe quam nos iſtorum ſcripta

pta laudibus prosequemur. Itane igitur scripta nostra ferri non posse, ubique in triviis, id est in castris suis, vociferabunt; nos vero patientissime illorum scripta feremus? ex ineptiarum congerie, portentosorum troporum acervo, fatuitatum colluvione, unice collecta, compacta, concreta, atque conflata. Scripta, inquam, quae sic a grassante insania tota occupantur, ut in eis saniori sententiae nullus relinquatur locus; ut ipsa quantacumque sunt, nihil aliud sint quam deliria frigidis epithetis diffluentia, ridiculis horrentia antithetis, impudentibus metaphoris tumentia. Adeone saxei aut plumbei sumus? Adeone omnes veteris Reipublicae spirituscum ipsa perdidimus? Adeone Asiaticae factae sunt aures nostrae; ut tam pestiferum, tam corruptum, tam ignavum, tam infucatum, tam meretricium, tam lutulentum dicendi genus, protinus non refugiant, non abhorreant, non execrentur? Poemata ut plurimum isti lucubrant; sed, proh hominum fidem! Quodnam est illorum poematum, non dicam elegans, non dicam non invenustum, non dicam, quod ferri possit; sed non ultra fidem insanum? Quaenam est in illis inventio? Nonne eum apud Poesim locum obtinet, quem in rerum natura monstra? Dispositio vero atque elocutio nonne (quod turpissimum est, quo nihil pejus fingi potest) inventioni similis? Nonne in illis Poematibus exultabunde efferentis se, atque arrogantissime jactantis dementiae excussa ratione, immo rationi petulanti loquacitate insultantis, excursus longissimos ubique cernere licet. In omnem materiam furibunda debacchatur, omnia, atque omni amisso delectu, attingit atque invadit, & quidquid attigerit, foedat atque corrumpit. Sive facies alicujus regionis describenda est, sive affectus in voces solvendus, sive enthymema quoddam stringendum; fient quidem omnia, sed praepostere, sed insane. Descriptionem non rerum naturae, sed febricitantium somniis accommodatam audies; audies voces non affectus indices, sed dementiae; audies enthymemata digna ratiocinio furiosorum; audies denique nugas, ineptias, somnia, deliramenta, in putidissima oratione, quasi in foetidissimo luto demersa. Equidem quum id cum animo meo magis ac magis revolvo, ad tam incogitanter perverseque scribendum ea, quae ipsis a natura suppetit summa stultitia satis esse mihi non videtur; accessio quaedam fieri debet ebrietatis; atque non vulgaris quidem illius, sed longissimis intemperantissimisque perpotationibus collectae. Nisi enim vaporibus aestuantis vini furiata intus mens fuerit, & quasi praeceps e rationis sede dejecta; sic in immensum insanire illi non licet. Itaque, ut opinor, cum immania pocula, immaniori aviditate helluones isti atque gurgites siccarunt; tunc animo pariter corporeque profligati atque jacentes; sensibus, memoria, mente destituti, cum vino turpissimos illos versus evomunt simul, foetidissimasque coactant orationes nauseae plenissimas; quas postea inter patinas immundasque ciborum reliquias oscitantes exarant. Inde scilicet, ex hac, inquam, foeda impurorum

rum crapula, vinolentis ebriorum vomitibus, lutulentissimis pecudum sordibus atque coeno, existunt praeclara illa scripta, originis suae caligine atque turpitudine squallentia; & non minus, quam auctores ipsi amentiae, vini, somni, stupri plena. At ipsi tamen (o lepidissimos facetissimosque asinos!) se solos esse jactant, qui amatorie sciant scribere: quod quidem ego illis non negarem, si amatorie scribere esset idem ac insane. Verum non ita se res habet. Et qui ita se posset habere, qui, inquam, illa amatoria essent? quae adeo sunt insana, ut humana amplius haberi non possint. Non modo illos amatorie scribere nego; sed nego amore omnino affici: aestu quodam perditae libidinis inflammari, pruritu lasciviae incitari, amentiae oestro corripi posse non nego. Res est paucorum hominum amare. Verus enim germanusque amor ex certo animi sensu constat, conjuncto quodam spirituum animalium motu, qui nisi a generosis, fervidis, praestantibusque viris suscipi nunquam potest. Quapropter cum illo homunculorum genere, in illis vaecordibus, illud nescio quid, illud, inquam, foetidissimum coenum, quod loco animi inest, vim amoris complecti nequeat; haec qua affici cernuntur perturbatio, hic quo illorum animus subvertitur convelliturque tumultus; non tam amor, quam amoris species quaedam deformis, degener, imperfecta, corrupta, spuria, abortiva haberi debet. Unde licet maxime stupendus sit illorum stupor, minime tamen stupendum est, si pessime de amore scribunt, quum pessime sentiant. Si conceptum penitus praecordiis amoris aestum inflammatis, pariterque flagrantibus verbis, in lucem emittere, &, ut ita dicam, parturire opus est; illi effutiunt metaphoras. Si saevientis doloris vim atque acerbitatem in verba transfundere, si varietatem sollicitudinum, atque molestiarum tristi, afflicta, & prope dolenti oratione effingere atque reddere; illi effutiunt metaphoras. Si crudelis Dominae obstinatam rigiditatem mollibus, blandis, suavibus adhibitis precibus, quasi admotis fomentis liquefacere; illi effutiunt metaphoras. O putiditatem fatuam! O fatuitatem stupendam! O stuporem incredibilem! Tunc se magnifice loquutos putant, quum insane; tunc acute, quum inepte; tunc venuste, quum putide. Tumore cujusdam translationis sublimati ex hoc quasi quodam majestatis fastigio caeteros prae se despiciunt. Tunc demum scripsisse juvat, quum qui intelligat neminem reperiunt; quum ne ipsi quidem. Verum nolo sibi tam valde placeant vilissimi atque inquinatissimi animi, non pecudibus modo, sed saxis ipsis magis indocti, atque solum ad insaniendum acres: nolo sibi magni videantur suis tumefacti sordibus. Frangere feroces illorum spiritus, illorum deprimere superbiam, stultam illorum loquacitatem comprimere, stolidissimos illos hominum, vel potius non homines demonstrare nunc volo. Sordet illis Terentius, sordet Virgilius, sordet Ovidius: praeclara omnia sordent ingenia. Ah! quam felices nos ipsos quoque, qui illis sordeamus: multo enim laudabilius existimo

mo inter eos esse, qui ab illis vituperantur, quam qui laudantur: qui enim ab illis laudantur, nisi illorum similes, id est, omnibus ineptiis ineptientes, omni fatuitate obstupefacti, omni stupore perculsi. Attamen scire vellem, quae illos tantae incitant intemperiae, quae tanta tenet vecordia, qui exagitat furor; ut de ejusmodi scriptis judicium ferre audeant homines ipsi nullius judicii. Si enim vel aliquantula judicandi facultate vigerent: non modo qui de aliis existimarent judicarentque ineptos, sed maximo malo se dignos judicarent. Ingeniosa scripta ad ingeniosos dumtaxat, vel saltem ad homines tantum pertinent: ideoque minime ad istos, ab istis non probantur. Quid mirum! Mirum contra si probarentur. Illis nihil aliud probatur, nisi quod improbandum est, nisi quod pravissimum, stolidissimum, pessimum est: nisi sibi ipsi. Atque sane ita sit. Aequum enim est quum nullae aliae poenae illorum flagitio pares inveniri possint, illa quae maxima est plectantur: relinquantur sibi, in poenam sibi ipsi placeant. Nihil turpius, nihil pejus, nihil detestabilius illis placere unquam potest. Volutentur semper in foetidissimo coeno, id est, in suis quasi cogitationibus; sordibus, veneno, pure delectentur, id est, animo suo. Quid illis cum literis? cum doctrinis? cum eloquentia? Stupore obductus illorum animus ad sensum verae eloquentiae obduruit & obtorpuit, atque quasi callum duxit. Quid juvant obcaecatas mentes, vel clarissima eloquentiae lumina? Nullo modo afficere possunt rusticos, stupidos, &, ut ita dicam, quadrupedes animos, venustae ac tersae orationis lepores, atque veneres: sed praeterlabuntur celeriter atque effugiunt. Ingenio acuto, subtili, acri, vivido, celeri, atque agili, opus est, quod fugientes & quasi fulgura tantum perstringentes intercipiat. Non illis qui toti adsunt abdomini suo, toti in ventre demersi, sepulti jacent, cogitare nesciunt; tanquam mens illorum omnis, atque omnis sensus his partibus contineatur atque definiatur, in quas natura sordes omnes compulit atque conjecit. At heu! quam male illis comparatum est, quorum vel minima peccata sunt ipsa turpissima? Istis Reipublicae literariae latronibus, sicariis, furciferis, seu, o! quo potius nomine illos appellem ut digne? illis, inquam, non solum sordent, quos modo dixi antiquitatis, seu potius naturae ipsius lumina; verum etiam illorum scripta, ac sanctissimam perpetuoque omnium saeculorum cultu consecratam famam, caeco quodam atque efferato rabiei impetu, effusissimaque petulantia invadunt. Quid aliud, obsecro, est omnem funditus antiquitatis venerationem, commune doctorum, saeculorumque judicium, rationem denique ipsam violare, excutere, projicere? Nonne id est malevolos omnes malevolentia vincere? Nonne omnes indoctos, hebetes, stolidos, stoliditate superare? Omnium denique errorum turpitudinem, unius erroris immanitate complecti. O tenebrae! o labes! o sordes! o nefaria capita! o importuna prodigia! o execranda averruncandaque portenta, ex omnium ineptiarum colluvie, ex omni insaniae

genere, ex malevolentiae, livoris, obtrectationis, immanitate omni, atque importunitate, concreta atque conflata! Siccine ipsi quum non errores modo, sed erroribus contexta opera edant, quum omnes illorum sententiae, sordes purgamentaque ingenii merito vocari possint; audent de aliis loqui? immo audent omnino loqui? Audent palam, in luceque versari? Audent vivere? quum solum ad calumnias vocem emittant, ad horrorem doctorum importunissimum ostendant vultum, ad infamiam denique saeculi aetatisque nostrae vitam agant? Illos eloquentia, quacum acerrimum bellum latratibus suis gerunt; illos doctrina, quam extinguere inscitia sua conantur; illos ingenia quibus infestissimus est immanis illorum stupor; illos, inquam, solos suos corruptores, vexatores, carnifices declarant, atque testantur. Ipsa, ipsa mediusfidius, quae plurima in hac Urbe supersunt antiquitatis monumenta, insurgere in illos indignata quodammodo mihi videntur. At ipsi tamen (o portentum inauditae impudentiae atque immensi furoris!) Poetas se confidenter admodum profitentur, & Poetas eximios; quum ne quidem sint homines. Quae enim pecudes, si homines illi? Quae belluae, quae monstra, qui stipites nominabuntur? Magnus sit oportet Poetae animus, magnum ingenium, magna vis, magnus impetus, magnus ardor, magna eruditio, magnaque doctrina. Non humilitas istorum ingenii, non languor, atque debilitas animi, non angustiae eruditionis, non tenuitas virium, non egestas doctrinae, tanto, tam excellenti, tam difficili munere fungi potest. Quae cum ita sint, non aliter nobis audiendae sunt insanae istorum voces, quam ventorum murmura, quam canum latratus; & ut aliquid illis affinius dicam, quam ventris crepitus. Immo, quid loquor? summa cum voluptate nobis sunt audiendae. Neque enim ex marmore, vel aere, aut pretiosa magis si placet materia fictae erectaeque statuae, non triumphales licet, marcescentes tamen laureae amplissima clarissimaque sunt monumenta virtutis, sed invidiae gemitus, improborum calumniae, stultorum convicia, certissima illius longeque maxima testimonia existunt. Verum jam reprimam me. Intelligo enim istorum improbitatis odio longius me abductum, quam illorum abjectio concedere debuit. Tu, Vir clarissime, feras, quaeso, si elatus indignatione, non meo sed bonarum artium, sed eloquentiae, sed Poeseos nomine plura dixi in furiosissimos ineptissimosque nebulones. Nam jure hujus culpae, si modo culpa est, partem aliquam in te transfundere possem. Olim vel vitia orationis, modo portenta non essent, facilitate mea ferebantur: nunc elegi tui leporum copia ita affatim me explevere, ita delicatum me fecerunt, tantum nunc est stomachi mei fastidium, ut nisi omnibus coloribus depicta, omnibus numeris expolita, omni elaborata artis industria, ex intimo artificio deprompta; uno verbo, nisi tuae similis accidat ad aures meas oratio, protinus exclamem: ferri non potest. Quamquam multo acrius urget me alter metus, ne scilicet pauca dixerim.

dixerim. Quae enim tanta potest existere vis ardorque animi? Quae tanta gravitas copiaque verborum? Qui tam acer atque vehemens orationis impetus; ut atrocitatem indignitatemque tanti flagitii assequi; ut, inquam, pro bonis literis, quantum in istis fuit, nefarie, impie, sacrilege contrucidatis, extinctis, deletis satis dolere, satis queri, satis contendere possit? Multam igitur, ut opinor, mihi dabis veniam, si id non praestiti quod praestari omnino non potest; sed non id solum, aliud multo majus atque multo magis te rogo: quod si impetravero, tam gratum erit mihi, quam quod gratissimum. Te rogo nempe, & etiam atque etiam rogo, ut si me vis beatum, tanta benevolentia me complectaris, plus dicere non possum, quanto amore ego observantiaque te prosequor. Vale. Romae Kal. Sextilibus MDCXCIV.

XV. EMMANUEL MARTINUS JOANNI GABRIELI REGINERIO *suavissimo* *S. D.*

Romam.

UBi sunt qui dicunt, amorem absentia de viribus suis remittere, & languescere? Sane id ego multo secus expertus sum. Non modo enim illud ipsum vestigium pressi, in quo me discedentem conspexisti; sed gradum etiam feci ad studium & benevolentiam erga te nostri. Quippe obversabatur ante oculos gratissima illa humanitatis, officii, doctrinae tuae facies. Unde fiebat, ut non modo impotentissimo tui desiderio flagrarem, verum etiam quam immanissime torquerer. Ubi vero gentis nostrae subibat imago, quae humaniores has literas, quarum nos studio honestissime ducimur, contemptui habet atque ludibrio; ita animi angore, atque aegritudine contabescebam, ut mirum profecto videatur, me ex tanta malorum colluvie emergere incolumem potuisse. Quo rerum taedio, obstinatoque moerore effectum est, ut non solum a scribendo abhorreret animus, verum etiam (jurato mihi crede) pigeret me mei. Cujus rei certe gravissimum erit illud testimonium, quod te per literas conveniendi tamdiu nulla me cura tetigerit. Quod eo videtur incredibilius, quo te arctiore amoris & necessitudinis vinculo amplexus sum. Cave enim putes, quicquam mihi te vel charius unquam fuisse, vel jocundius. Imo fore. Nunc igitur, senescentis hujus aegritudinis remissione aliquantisper animo relaxato; visum tandem mihi est, non solum ad te scribere; sed ea scribere, quae tibi jucunda perfore, non solum spero, sed etiam perspectum habeo. Scito ergo, me in hac Urbe, cum versarer in Bibliotheca satis instructa illustrissimi, simulque eruditissimi viri Josephi Castelvinii, hu-

jus Urbis quondam Praetoris, nunc vero Regi a Consiliis in supremo Aragoniae Dicasterio, incidisse in volumen quoddam manu exaratum, in quo erant Poemata cujusdam Ferdinandi Ruizii Villegatis, Burgensis, qui sesquisaeculo abhinc vixit, audivitque Ludovicum Vivem nostrum, quem sine peculiari laude nunquam dimittam. Continet id volumen Eclogas quinque, quarum inscriptiones: *Marianna*, *Crotale*, *Pan*, *Civice*, & *Vives:* in qua scilicet erepti sibi magistri manibus, argutissimisque singultibus, elegantissimisque ejulatibus parentat. Praeterea, *de Nuptiis Philippi II. & Isabellae* libros III. quorum postremus est *de lusu Taurorum & Cannarum.* Item *Exultationem* in celeberrima Victoria Navali Joannis Austriaci ad Naupactum. *Sphaeram Mundi. Aesopi Fabellas.* Omnia hexametris expressa. Continet praeterea *Cibdelomastigem* elegiaco versu: in quo Poemate auctor, Cibdelum quemdam, qui eum maledictis lacessebat, falsisque criminationibus in invidiam atque odium vocabat; diris, & execrationibus devovet: exemplo Callimachi, & Ovidii. Denique *Farraginem variorum.* De quo opere equidem universe ita sentio. Nihil esse prorsus quod magis referat divinum illud Maronis ἀγχίνοον. Ita enim exprimit imaginem prisci aevi, ut, nisi auctoris nomen prohiberet, aetatis aureae prolem quam meritissimo judicarem. Dictio in eo tersa, pura, elegans, castigata. Numeri sonori, teretes. Sententiae perspicuae, novae, vividae, torosae. Inventio mirabilis. Fluit sane Poeta magnificus sine tumore; elatus sine fastu, sine abjectione verecundus, diligens sine morosa περιεργείᾳ. Denique (nisi ego insanio) a Virgilio secundus; propior tamen primo, quam caeteris, ut verbis utar Afri Domitii. Cum haec tamen ita sint, quis credat, nusquam gentium horum scriptorum extare memoriam? Altissimum de hoc auctore silentium apud omnes. Quin etiam civibus suis Ferdinandi ingenium penitus ignotum. Fati contumeliam! Quando autem in hominem incidit non invidum suae gloriae; curae mihi erit, ut sentiat se de nobis optime meruisse, atque opera & studio nostro gratiam sibi relatam. Utinam tam expedita, & accurata apud nos typographia, quam apud vos Gallos! Iterum utinam! Melius profecto redivivi nostri Poetae ἀναστάσει consuleretur. Verumtamen. Complectere me, Regineri jucundissime. Cedo osculum. Jam enim licet sine parricidii suspicione. Illuxit tandem post hominum memoriam auspicatissimum tempus, quo duo illi populi, orbis terrarum victores, qui intensissimis odiis in mutuam perniciem conjuraverant, arctissimo tandem sempiterni foederis vinculo coaluerunt. Publicae igitur, & privatae fidei caussa, ut me ames, per fidem oro atque obsecro. Amabo te. Epistolam bene longam. Gravinae nostro XV. Kal. literas dedi. Da operam, ut valeas. Valentiae Hedetanorum XI. Kal. Octobreis MDCCII.

EMMA-

EMMANUELIS MARTINI

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI

EPISTOLARUM

LIBER II.

I. EMMANUEL MIGNANA EMMANUELI MARTINO *S. D.*

Alonam.

SCulpsit a me tandem Latinas pervicacia tua. Est amplius nihil merito quod mihi succenseas, cum ita me sistam obnoxium tibi. Jam voti compos es. Ero quoque, si valetudinem tuam quam diligenter curabis. Ave. Tam paucis? inquis. Satis me tibi fecisse puto, vel si paucioribus. Ave iterum. Idibus Novembris An. MDCXCIX.

II. EM-

II. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI MIGNANAE εὖ διάγειν.

CAlamum arripuisti? jam vir es. Macte igitur studio: ac socordiam illam, animique torporem, quo nostratia ingenia, pestilenti otio afflata, vel hebescunt, vel siderantur, Dis bene juvantibus, procul amove. Cave sis, amabo, ut ne ex istarum pecudum vel consuetudine vel contagione sordidum aliquid contrahas, neve eorum rubigine confricatus, scaber fias. Di me perduint, si eorum ingenia pluris facio, *quam ancillam meam quae latrinam lavat*, ut cum Comico loquar. Credis me iratum esse? gerrae, gerrae. Si haec mihi bilem in nasum consciscerent, jam olim essem τῶν μαινομένων μανικώτατος. Quod ad nostra attinet castra, conclamata sunt vasa, ac sarcinulae nostrae non tantum collectae, verum etiam bona ex parte ad Urbem transmissae. caeterae quae supersunt (quod felix faustumque fiet) propediem mittentur, atque ego quantocyus iter arripiam. Tu interea quo me amore prosequeris, amare pergito, atque esto φιλέλλην. Vale salute mea salus salubrior. Data Alone, XVII. Kalendas Decembreis, An. Θεανθρωπίας MDCXCIX.

III. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI MIGNANAE *salutem & amorem.*

Saguntum.

DI te pessume mactent manum constupratricem. Quid hoc? frons tibi caperat? erige sis supercilium, & audi nebulonis nequissimi atque impudentissimi immane facinus. Scito penum nostram librariam examini Praepositi cujusdam (melius dicerem, togati cantherii) esse commissam. Quid deinde? prae furore insanio. Jussit quorundam auctorum opera sibi adferri, quae (ut ipse ajebat) expurgatione indigerent. Qui non facerem? Exposui hostiam. At tricarnifex ille jugulo tenus calamum immisit. Credin' res esse ponderis quas delevit? apage: scrupi, quisquiliae, ac merae nugae: excellentium nempe virorum encomia. Vix a lacrymis tempero. Quid plura? Pulcherrima honestissimaque illa Virgo Amstelaedamensis stuprum passa est, conspurcata est, ac denique maculosior facta, quam

quam ſit nutricis pallium, ut eſt vetus verbum. In qua urbe vivimus, Di immortales? Ubinam gentium ſumus? Aeterna illuſtrium virorum monumenta arbitrio larvae bonarum literarum rudis? Di literarum vindices, abolete hoc facinus. Zavalio noſtro a me ſalutem. Vale, & me deperi. Valentiae Hedetanorum, XIV. Kalend. Januarias, Anno MDCXCIX.

IV. EMMANUEL MARTINUS
EMMANUELI MIGNANAE *amico integerrimo*
S. D.

Saguntum.

TUne ille? Per Deum Fidium ut vix te novi. O venuſtam Epiſtolam! o lepidam! o ſalſam! bis ſalſam! Per ego te Deos oro, & noſtram amicitiam, uti hanc viam teneas: & heus tu! cave ſis ne ab illa exorbites. Novi equidem inertes fucos qui te circum bombilant, quibus ſi aurem commodaveris, actum de te eſt. Spero tamen fore, ni me fallit, ut haec monita noſtra quam arctiſſime teneas. Novi indolem ſuopte ingenio ad ſapientiae irritamenta proclivem & pronam, ingenium liberale, mentem defaecatam & ſudam, animum a tabida hac contagione immunem, atque ab hocce coeno, in quo haerent noſtrates, exemtum & liberum. Et tu corium nobis macerandum? jocone, an ſerio? Si nos ludis, immerito meo id facis. Equidem de te nihil tale verebor. Sin autem veritatis indagandae ſtudio interrogas, e re noſtra eſt rei propoſitae ſatisfacere.

Primum omnium miraris *τὸ equidem* a Sectano poſitum (ut tibi videtur) haud bene morato more. Falſus es grammaticorum praeceptiunculis, quibus ſi adhaeſeris, nihilo plus proficias, quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias. Quid enim illae ſunt niſi affaniae, ac tricae purae putae? Igitur ſcito, non principi tantummodo perſonae iſtuc verbi adhaereſcere, verum & alteri, verum & tertiae. Nec in verſa tantum oratione, ſed etiam in prorſa. Ad tuumne palatum Tullius? ſane credo. En ipſe ad Attic. *Sic ages igitur: equidem id erit proximum Clodiae.* Porcius Cato apud Salluſtium in Catilinario: *Quare vanum equidem hoc conſilium eſt.* Vin' teſtem utroque antiquiorem? en Plautum *Menaech. Act.* 2. *Sc.* 3. ME. *Quicum haec mulier loquitur?* ER. *equidem tecum.* Recentioremne? habeto Perſium Sat. 1.

Per me equidem ſint omnia protinus alb.

Apud eundem in media perſona, Sat. 5.

Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies.

Illud haud nescio, ab *ego* & *quidem* conflatum esse *equidem*, arrisisse non nemini. Servius ad illud 1. Aeneid.

equidem per litora certos
Dimittam.

Equidem, inquit, *in Virgilio*, *ego quidem ubique significat: Sed in aliis & pro quidem tantum ponitur.* Favent Glossae veteres, nam interpretantur: *equidem* ἐγὼ μὲν. At nullus dubito dici *equidem*, quasi *& quidem.* Sic *etenim*, *& enim: etiam*, *& jam: etsi*, *& si*: rejicitur autem altera litera συνδέσμου *&*, cum euphoniae, tum syllabae corripiendae gratia, ut metro consulatur. Quod si producta prima usquam indigent Poetae, tum integre scribunt. Terentius in *Heautontimorumeno*, omnium quae sub coelo sunt Latinissima Fabula. Act. 3. Sc. 2.

Et quidem hercle forma luculenta.

Et Act. 4. Sc. 5.

Et quidem jubebit posci.

Viden' τὸ *equidem?* Audi Priscianum sexto decimo exeunte: *Sciendum quod quidam* equidem *conjunctionem compositam esse existimant ab* ego *&* quidem: *sed errant. Simplex enim est. Et hoc maxime ex ipsa quoque constructione orationis possumus intelligere. Nam*, equidem facio, equidem facis, equidem facit, *dicimus.* Porro si τὸ *equidem* valet *ego quidem*; ineptissime Caesar ϖελοσολογεῖ apud Sallustium in Catilinario, ibi: *Equidem ego sic existumo, P. C. omnis cruciatus, &c.* Et ipse Sallustius in 1. de Ordin. Republica. *Equidem ego cuncta imperia, &c.* p. 541. & p. 559. & 564. Cave, sodes, ut ne id cogites. Terentius quoque in illa omnium mundissima, ut ipse profitetur in Prologo: *Id equidem ego, si tu neges, certo scio.*

In tuam sententiam traxit grammaticorum agmen obstinatum illud dicendi genus apud divinum vatem, apud quem octies & vicies ita positum reperitur.

Principem syllabam verbi *pono* producendam adseris. quidni? Dummodo tamen illa transactum tempus non attingat. Si enim attigerit, confestim corripitur. Eclog. 3.

Orphea-

Orpheaque in medio posuit, sylvasque sequentes.

Existumo te oculos collimasse ad illud Sectani,

Ergo age, testiculis positis, &c.

Recte hercle ille, & ritu probo. Divinus vates 2. Agriculturae:

Arboribus positis secto via limite quadret.

Alibi toto opere. Nam quid ego te obruam testimoniorum plaustris? Egomet in Fastis, mense Julio:

Quinctilis primum, positus quod in ordine quinctus,
Dictus erat, numerum significante sono.

Imo si penitissimam hujus verbi naturam scrutari velimus, ubique fore corripiendum. Est enim πόνος: quod & *facere*, & *laborare* significat. Praecipuus sane labor in rebus loco suo statuendis; ut in exstruendis aedibus. Id Latini cum animadvertissent, *ponti* ἀπὸ τοῦ πόνου nomen indiderunt. a πόνος, altera vocali rejecta, *pons*: sic a μόνος, *mons*: a μένος, *mens*: a γένος, *gens*: a γάλανος, *glans*.

Scribere quae feros placeat legisse nepotes.

probum est, & e mediis Romanae Urbis praecordiis. Asinius in Amphitruone, Act. 1. Sc. 1.

Apage, non placet me hoc noctis esse: coenavi modo.

Placet me esse, ut *placet nepotes legisse*. Dormitas Emmanuel? Erige sis mentem, atque in antiquorum te confer penetralia. Excute grammaticorum bojas, perfringe repagula. Ego vero in Eustathio totus sum. Immane est, quam me delectet ille omnigenae eruditionis promus condus. Di faxint, ut prospera valetudo vires suppetat. labor enim improbus. Heus tu, de Tulliano lexico ne hilum? Quaenam segnis haec taciturnitas, & vecors silentium? Pigetne te promissi? Ego vero non tacebo, qui sciam Amyclas hoc morbo periisse. Vel librum transmittito, vel ad Fidei Candidae te deferam. Vilarius ille βιβλιοκρίτης (ride si sapis) verba dat, libros retinet. Quam aram teneam nescio. Di illum eradicent, bonarum

 lite-

literarum labem. Barſerius noſter jubet te. Ego vero Zevalium, & quidem plenis faucibus: nam illum, ita me Deus, medullitus ardeo. Vale pugilice. Valentiae Hedetanorum, VII. Id. Majas MDCC.

V. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI MIGNANAE *ſalutem mittit.*

Saguntum.

QUam ipſe vix habet. Equidem a nonnullis diebus, neſcio quo maligno ſidere, incommoda valde utor valetudine. Nam & ad omnia faſtidio, & moleſta afficior corporis laſſitudine, & κεφαλαλγία ſaepe infeſtor. Denique neſcio quam aegritudinem aegreſco: namque & taedet me mei, & molem hanc animo noſtro circumjectam aegerrime traho. Dicamne hanc animi contractionem, an vero corporis languorem? fortaſſean utrumque. Ergo ſi me amas, ſi me ſalvum cupis, ad me quantocyus advola; ut tuis ſaltem colloquiis recreatus, animus denuo revireſcat atque repullulet. Nam caetera mihi gaudia, ita me Di, κωμικὸς χρυσός. Tuas literas nuperrime ad me datas, quibus efferam verbis? nae illae Venere ipſa venuſtiores. quo ſeſamo? quo papavere! papae. Coelo me beaſti tam grato mihi munere. Iterum atque iterum rogo te, ut animum deficientem hac aquula erigas, atque confirmes. Libri noſtri adhuc ſub Carnifice. Laſcivit ille in aliena ſtudia, diſcerpit, exenterat, deturpat, dilaniat. Proh Deum atque hominum! Saevit ille impune in mea viſcera: nec fas gemitum emittere. Salve a Barſerio tuo. Zavalius noſter fac ut me redamet. Vale. Valentiae Hedetanorum, VII. Kalend. Junias, An. MDCC.

VI. EMMANUEL MIGNANA EMMANUELEM MARTINUM *ſalvere jubet.*

Valentiam Hedetanorum.

AD te meum advolat epiſtolium, unaque amoris in te monumentum ac pignus: pirorum ſcilicet quaſillum. Te etiam atque etiam rogo pro tua in me benevolentia ſingulari, meaque item in te ſumma, ut non tam

tam munusculum hoc leviſſimum, quam mittentis animum perſpicias. Vale mi Rex. IIV. Kalend. Sextileis, An. MDCC. Sagunti.

VII. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI MIGNANAE

S. D.

Saguntum.

DEoſculatus ſum tuas literas ſane mellitulas, lepidulas, facetulas, Venere ipſa venuſtiores. merum mel. Sed heus tu, vin' profectionem meam totis habenis jam praecipitem, Hippomenis more, pirorum jactu intercipere, ac remorari? At fallam benevolentiae atque amoris tui artes, quando ita mei oblitus es, ut Saguntinis delinitus ac ineſcatus deliciis, Emmanuelis tui nomen faſtidio jam tibi fuerit & ludibrio. Feram hanc adverſae fortunae calamitatem animo obdurato & forti, atque hoc amoris noſtri naufragium libens ſubibo. Interea me ſtudiorum ac virtutis tuae cultorem intelligas velim. & fore nominis tui buccinatorem. Perendie abitus meus. Vale gratiſſimum mihi caput. Valentiae Hedetanorum, XIII. Kal. Auguſti, An. MDCC.

VIII. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI MIGNANAE

S. D.

Saguntum.

DE reditu noſtro ad Edetanos bene eſt ut gratuleris: ſed habeo quod doleas: ſquallorem nempe & mentis illuviem, quae ex patriae ruſticitate atque hebetudine in animum, licet obſtantem, irrepſit. Et tu a me literas, quem tam alta obſedit caligo? quique plus habet fuliginis, quam Vulcani barba? Excutiendus mihi prius eſt ſtupor iſte, ac ſordes detergendae. Quandoquidem autem ineptiarum mearum non te piget, illud ſcito, tam vocem *parvitas*, quam *mediocritas*, & Romanas eſſe & Tullianas. Quum enim Valerium & Paterculum naſo ſuſpendimus, non verba ipſa explodimus atque accuſamus, ſed uſum, quo perperam a nativa ſignificatione detorquentur. Viden' ut τὸ *parvitas mea* oleat cucullos? *Vin-*

Vincula quae cerni non possent propter parvitatem, dixit Tullius in de Univers. *mediocritatem ingenii* in 2. Philippica & alibi saepe usus est hoc verbo.

Bis a me per literas petiisti, quidnam sit apud Hirtium Lib. 3. de Bell. Civ. X. *Sacrati viri.* At ego mehercule Hirtium nihil de Bello Civili scripsisse, tam habeo perspectum, quam me esse marem. Tres circumferuntur libelli Hirtii nomine insigniti, nempe: *De Bello Alexandrino*, *de Bello Africano*, *ac de Bello Hispaniensi.* Verum enim vero horum ipsorum incertus est auctor; nam, ut ait Suetonius, *alii Oppium putant*, *alii Hirtium.* Ego certe quolibet pignore contendam non esse unius parentis prolem. Hispaniensis quidem belli dictio a reliquis δὶς διὰ πασῶν distat; nam ejus stylus & horridus est, & hirtus, & (ut verbo absolvam) barbarus. Africi vero non inter illos tantum eminet, sed inter pleraque Romana scripta: ita tersa in eo, & ad Comicum morem pura dictio: simplex, cohaerens, & candida narratio: nihil in eo quaesiti coloris aut fuci: sed totus ad imaginem prisci aevi. Alexandrini stylus inter utrumque, Hispaniensis melior, deterior Africi. Sed de hoc jam diu est quum longam dissertationem scribere institui: nam, ut verum fatear, ira subit, quoties bellum Hispaniense prisco illi aevo, deliciarum parenti, tributum audio. Sed haec ὡς ἐν παρέργῳ. Nullus dubito te pro Caesare Hirtium advocasse: quod mentis peregrinatione evenire assolet. At ubinam gentium sunt verba illa abs te adducta: *a Capua X. sacrati viri?* Nam in loco illo, ad quem tu digitum intendisti, haud ita legitur, sed: *M. Sacrativirum Capua.* integrum locum transscribam: *Duobus his unius diei praeliis Caesar desideravit milites MCCCCLX. & notos equites R. Felginatem Tuticanum Gallum, Senatoris filium, C. Felginatem Placentia, A. Gravium Puteolis, M. Sacrativirum Capua, Tribunos militum & Centuriones XXX.* Habes igitur M. Sacrativirum ita dictum, ut Cornelius Asina, Tremellius Scropha. Quid? nunquamne audisti Bellum illud Sacrovirianum a Cornelio traditum *lib.* 3. *Annalium*, Julio Sacroviro fautore & principe? Atqui Paterculus tuus etiam meminit *lib.* 2. *Rom. Hist.* Quid ergo dicam? te veteres illos supine atque oscitanter legere? apage has nugas.

Nonnulla sunt quae abs te scire aveo. At, heus tu! cave sis ne animo infenso me id facere, in animum inducas; sed ita me Di, ut doctior fiam. Primum est, cur in epistolarum ἀσπασμῷ ejus ad quem scribis nomen nomini tuo praeponis, refragante totius antiquitatis consensu, cum apud Graecos, tum apud Latinos. & quidem optimo consilio. Simulac enim literae nobis traditae sunt, nihil animum aeque exstimulat, quam mittentis notitia. Iccirco mature ac prudenter consultum est, ut quod in oculos primum legentis incurrat, nomen sit illius, a quo datae sunt literae. Porro quid illud est in fine Epistolae XVI. Kal. Sextileis ad me datae: *Barserio salve? Salve a me Barseri*, vel, *salveat a me Barserius*, dixissent Comici, & quidem Latinissime. aliter si ostenderis erue mihi hunc oculum.

Tua

Tua reſponſa, quae quaſi e tripode reddita, a me venerantur, verba ſunt ex eadem Epiſtola. At quo auctore? Videris mihi Appulejum ſiſtere Metamorph. XI. *Phoebi ſoror, quae praeclaris nunc veneraris delubris Epheſi.* Sed ab homine extero linguae Latinae auctoritatem quaerere, inſanire eſt: praeſertim vero a ſcurra in verbis procaciter luxuriante. Quod ſi Horatius dixit Sat. 2. lib. 2.

Ac venerata Ceres ut culmo ſurgeret alto.

Et Maro 3. *Aeneid.*

curſusque dabit venerata ſecundos.

Id rectum eſt in participiis tantum, juxta mentem Budaei, Jul. Scaligeri, & Lud. Cerdae: quo modo intelligendus eſt A. Gellius *lib.* 15. *cap.* 13. quod ideo fit, quia veteribus in uſu fuerunt activa quoque, ut eſt apud Plautum Truculento Act. 2. Sc. 5.

Date mihi huc Stactam atque ignem in aram,
Ut venerem Lucinam meam.

Quod ad noviſſimam adtinet epiſtolam, nonnulla in ea ſunt quae immane eſt quantum me torqueant. Illud in primis eſt quod ſcribis: *Deinde te Valentiam ſalvum perveniſſe, librosque e Batavia accepiſſe; iccirco meae partes eſſe exiſtimavi tibi iterum atque iterum gratulari.* Videtur mihi inconcinna oratio. Dixiſſem ego: *Deinde quod Valentiam ſalvus perveneris, quodque libros e Batavia acceperis; iccirco mearum partium eſſe exiſtimavi, &c.* Sed forſitan illa ipſa recta erunt, niſi quod ego obtuſo ſum animo ac plumbeo.

Illa porro inferius ſcripta: *Hunc noſtrum (triſte quidem) ad plures, in ore eſt omni populo, illum cum haeredem inſtituiſſet*, quid ſibi velint, nondum ariolatus ſum. Salebroſa mehercule ſunt, & hiſpida. Verbum mihi perquam moleſtum in aures impegiſti, circa finem ejusdem Epiſtolae. Illud ſcilicet *nullibi*, quod nusquam gentium reperitur.

Habes igitur, mi Emmanuel, ingenui amoris teſtimonium ac pignus, quod identidem abs te exſpecto.

Quod de Auſtriaci nominis interitu ſubjungis, nec novum eſt, nec mirandum, ſiquidem, ut ſapienter Simonides:

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι μένει χρῆμ' ἔμπεδον αἰεί.

omnia fatorum vertigine rotantur, & in ſummis ludit petulanter fortuna.

Sed

Sed in hac malorum ſtrue atque congerie, inſperatum nobis emerſit ſolatium. Quis enim in tanta Hiſpaniarum caligine tantum ſidus nobis affulſurum ſperaret? Verum tandem ex animi penetralibus vocem emittere liceat. Nos beatos! optata fungimur ſalute. Spero fore ut fruamur principe domi militiaeque inclyto, quique literas jam diu exſulantes & profugas, veluti reſtituat poſtliminio.

Thereſiae noſtrae a me ſalutem, non quidem chartaceam illam Plautinam. Verum ex cordis adyto, ac intimo receſſu. Vale, & ad me quantocyus veni, nam Batavi noſtri jam pridem te exſpectant. Valentiae Hedetanorum, XI. Kal. Decemb. MDCC.

IX. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

S. P. D.

Valentiam Hedetanorum.

EAm animi aegritudinem, a te poſtquam abceſſi miſer contraxi, ut omnem voluptatem, quam apud te diverſatus ceperam, tui deſiderium omnino interverterit. Iccirco ſatis explicare non poſſum, an majori ſit mihi oblectamento tuis ſuaviſſimis frui colloquiis, facetiiſque, quam moleſtiae ac dolori iiſdem eſſe fruſtratum. Namque adeo me mei taedet, ut vel ad noſtra ſtudia, quae in rebus adverſis perfugii loco habeo, non me recipere, ſed aegre trahi videar. At quam aberrationem ab hiſce moleſtiis inveniam in tanto ſquallore bonorum ſtudiorum, aut quomodo hunc ego poſſim abſtergere dolorem haud teneo. Nam qui dudum tot Muſarum deliciis affluebam, modo in hiſce latens Sagunti ruinis; licet egregius ille Cimbrorum, Teutonumque debellator mihi homunculo eſſe poſſit exemplo in Karthaginienſibus qui aliquando delituit; nullum tamen praeter communem mihi cum hac Urbe calamitatem occurrit levamentum. Enimvero Saguntum ego aſpiciens, haec me etiam intuens alter alteri certe poſſumus eſſe ſolatio. Tu igitur ſi me ſalvum cupis, ſedulam dabis operam, ut tecum vivere poſſim. Id perfice, mi Emmanuel, in te enim omnis ſpes eſt, qua ut potero me ſuſtentabo. Si vero res procedit parum; indubie, niſi quid Dii reſpiciunt, emoriar. Nihil eſt quod te pluribus, tua enim juſſa me valde urgent. Ill. Joannem Caſtelvinium ſalvere jubeo, illum profecto multum merito ſuo amo. Tum Petro Borrullio meis verbis ſalutem plurimam. Turreſius noſter ut valeat fac ſciam, etſi nullus dubito, ni Fulicae valeant, ipſum nequaquam valere ſaltem poſſe animo. Nobis denique, qui te amamus, erit gratum, & amabo te, ſi das operam

ram

ram ut valeas. Sagunti. ἐννάτῃ μεσοῦντος μηνὸς μαιμακτηριοῦ ἐνιαυτοῦ α χιλίων ψ′ β.

X. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE *suo* *S. D.*

Saguntum.

VIden' te in rebus Graeciae incerta adhuc librare vestigia, ac veluti caligine circumfusa, huc illuc impingere? Relege, sis, literarum tuarum proxime ad me scriptarum πρωτότυπον, ac in temporis notatione tot fere lapsus reperies, quot verba. Incumbe igitur in id studium velis (ut dicitur) & remis, si tibi literarum amor cordi est. Nos aequo vultu respicit Dea Salus. Eustathius vehementer nos exercet. Res tuas curabo diligenter. Castelvinius & Borrullius te salvere jubent. Turresius abiit εἰς πάνυχας. Vale. Valentiae Hedetanorum. δευτέρᾳ φθίνοντος μηνὸς μαιμακτηριῶνος τῷ ἔτει αψϛ.

XI. EMMANUEL MIGNANA EMMANUELI MARTINO *S. P. D.*

Valentiam Hedetanorum.

TUas literas & libenter legi, & ex illis intellexi, & didici nostra studia permagnae tibi curae fuisse, & quod omnium est mihi gratissimum, te nactum esse censorem sine fuco, sine ambagibus, & ut uno bolo dicam, ipso Catone severiorem: quae quidem, ita me Di, immane est quam sint mihi cordi, atque delectent. Sed hoc unum me male habet, te minus recte quam se res habet, de me cogitasse: nempe ut caverem in animum inducere tua in me officia animo infenso proficisci. Quid? arbitraris me aliquid ἀλαζονείας Hispanae contraxisse? tota erras via, mi Emmanuel; immo aliud videre videor, scilicet, ingenui amoris, ut ais, testimonium, ac pignus, & quandam tui amoris in me superabundantiam, cui nunquam me posse satisfacere puto. Satis enim doleo nullam mihi facultatem dari tibi obsequendi. Sed quid te pluribus pergam obtundere? jam nolli indo-

lem. Quod reliquum est, ut quam primum memet ex his emergam tricis, quibus nunc plus satis impedior, & otiosus totum me serio optimis lectionibus dedam. Iccirco Saguntum, ubi proprii juris ero, reverti cogito, ibique, si Dis placet, ab hac scabie convalescam. Sed ut caetera, quae meae partes videntur, attingam: sic habeto, me non ire inficias, forte alias res agentem pro Caesare Hirtium posuisse. Verum enim vero quod subsequitur ita, ut dixi, esse in nostro Codice nihil est quod dubites. Quapropter totum locum, ut est, in medium proferam: *Duobus unius diei praeliis Caesaris desiderati sunt milites nongenti, & sexaginta, & noti equites Ro. quadringenti, & Tucitanus Gallus Senatoris filius, & a Placentia centum, & a Puteolis centum, & a Capua decem Sacrati viri, & decem Tribuni militum, & Centuriones triginta duo.* Quid ergo cum haec legeret, qui minus quam ego esset stupidus, intelligeret, praesertim cum tot parasangis a vera lectione distent, ut etiam Glauco hebetior cognoscere posset. Viden' me injuria a te vapulare? Cave iterum hoc facias inconsulto, ne te iniquum appellem judicem. In epistolae ἀσπασμῷ Tironem suum risit Tullius, & tu me tyronem. Gaudeo (cave sis me in stomacho ridere existimes) dicam tamen, quamvis non te praeterit, Sulpitium Verulanum virum in hac arte peritissimum modestiae gratia solitum fuisse ejus ad quem scribebat nomen suo nomini praeponere, ut videre est apud Ascensium: *Clarissimo viro Falconi Sinibaldo Patricio Romano, &c.* item Erasmum Rot. & alios. Fateor tamen nullum veterum, quod sciam, ita fecisse Quapropter ut tibi morem geram, libenter secus faciam, ac feci; maximum enim mihi est quod a te audierim, quam quod alii omnes dixerint. Orationem illam mutilam, tua pace dicam, me apud Tullium legisse: vereor tamen ne locus sit corruptus, sed si quid, ne quid tuae sententiae tutius adhaereo. *Barserio salve*, facinus est animadvertendum, & ita me, puero trimo indignum. Haud secus *τὸ nullibi*, quae quidem vel apud alterum me legi, vel ut ne mentiar, e proprio cerebro, veluti Minerva e Jovis, prodiere. *Illum nostrum, &c.* quod duriusculum tibi videtur, scito me Tullianum morem imitari voluisse, qui labentem & prope extinctum Reip. statum multis calamitatibus oppressum deflens, ad familiares minus quam assolet aperte scribit, subjungens: *Nosti caetera: difficile est loqui, &c.* quae quidem vix percipi possunt. Nunc restat illud Appulejanum *venerari* desumtum παθητικῶς. Heus tu nimium mihi videris θρηχίνειν; nam proh Deum, atque hominum! credin' me esse Oedipum? vel nescis cellae, & cuculli, quid praestent? & qua rubigine nostri ordinis homines hebetentur? Spero tamen fore, ut has sordes, Dis bene juvantibus, abstergere, uti institui, & expurgare valeam, praesertim si in hocce Herculeo labore suppetias mihi tuleris. Interea pro tua singulari prudentia velim perpendas me esse hominem, & illud vulgatissimum Philip. 12. *Cujusvis est ho-*

minis

minis errare, & quod Erasmus Rot. in Epistola ad Guillielmum, & alia sexcenta tibi notissima loca. Hactenus; nam caetera belle.

Denique si animus est Romam mittere, ut libri, quorum jam diu miro desiderio exaestuo, ad me perveniant: a te peto pro tua summa in me benevolentia ocyter facias. Novum Testamentum scilicet Graece. Cur, inquies, hoc expetis? primum propter sermonis facilitatem, ut monet Gretzerus: deinde non te latet illum Trajani institutorem scriptum reliquisse, libros Latinos legere, quorum jam in Graecis historias, & argumenta noverat, sibi magno fuisse adjumento ad genuinam, & naturalem verborum linguae Latinae significationem ediscendam. His omnibus tamen tuum judicium praeponam. Dari mihi etiam obviam exopto Titum Livium, & Polybium, & Lucretium, necnon Plauti Comoedias cum Notis Variorum: & si aliquis tibi Graecus libellus videtur mihi usui fore, illum etiam adjunges. Facies igitur, mi Emmanuel, si me amas: atque hoc unum sic habeto, si hanc rem a te impetraro, Deorum me vitam adeptum esse. Scis profecto illud Ἀρύει ὕδωρ κηκινῷ ὁ ἄνευ βίβλου μανθάνων.

Quum dabitur facultas, te visam. Satis est mehercule, quod doleo caruisse fructu jucundissimae consuetudinis tuae, qui tandiu ab illa absfui: haec tamen molestia, quantum potest, sententiarum Graecarum, quibus omnia primitiva comprehenduntur, ut ait Schrevelius, lectione, thematumque investigatione haud aegre fertur: atque in dies plus plusque hac dulcedine captus, salebrosam hanc viam, quam libenter arripui libentissime insisto. Ille amicus noster suavissimus βιβλιοκαπήλης quid egerit sciam. Tibi a Theresia tua salutem, non quidem illam chartaceam, quam inquis, nec ex cordis adyto tantum, ac intimo recessu, verum ex hepatis: probe enim nosti quanti semper te fecerit. Barserio salutem meis verbis plurimam, & tu, dulcissimum decus meum, vale, & me deperi. Ex Edetano, VII. Kalendas Decembreis, MDCC.

XII. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO *amicissimo* εὐπραγεῖν.

Valentiam Hedetanorum.

ETsi nihil pene quod ad te scriberem praeter mei in te amoris significationem habebam; tamen ad utriusque nostrum benivolentiam veluti renovandam meas ad te literas mittere operae pretium esse duxi: quod profecto saepius facerem, ni vererer multitudine literarum tibi obstrepere, molestioremque esse. Nunc vero quoniam meus πρεσβύτης Valentiam pro-

proficiſcitur, non potui nihil ei literarum dare: & praeſertim quod ſecundum meum abitum, ut valeas, atque quid agas ignorem. Scis nimirum quo te amore proſequar, tum propter egregias animi tui dotes, tum etiam quod multis de me nominibus ſis bene meritus, & maxime quod immanes mihi & honoris, & doctrinae acceſſiones attulerit tua erga me voluntas: quod quidem ſupervacaneum eſt commemorare, quandoquidem tuum eſt dubio procul quod aliquo eſſe numero videar. Noſtrum jam noſti animum apertum plane, ac ſimplicem: iccirco haud verebor me aſſentatoris parteis ſuſcepiſſe exiſtimes. Quod ad noſtra attinet ſtudia, ſcito *Saguntineida* illam putidam in ſpongia haerere, meque totum eſſe in Livio, apud quem Scriptorem quam plura, quae in medio curſu me remorantur, invenio: illud in primis in I. Dec. Lib. VIII. *Signum ſeptem pedes altum*, *&c.* Hic etiam Henrico Glareano viro alioqui erudito, ac diligenti aqua haeret; ait enim ſe id avere ſcire. Apud eundem Scriptorem, nec non apud Silium hoc verbum *gaeſa* in numero multitudinis ſaepe legi: nullus ambigo teli eſſe genus, ſed cujusnam magnitudinis, vel in quem uſum parabatur, hauddum aſſequutus ſum. Quocirca a te peto, quaeſoque, ut, ſi animi ingenui eſt cui multum debeam, plus ei velle debere, tuam de his ſententiam feras. Denique, ſi nos amas, ad me ut libeat. Cura interim ut valeas, hoc mihi gratius facere nihil potes. Sagunti, VII. Id. Apr. MDCCII.

XIII. EMMANUEL MARTINUS
EMMANUELI MIGNANAE *ſuaviſſimo* ὑγιαίνειν.

Saguntum.

QUod aquula ſolet animo defectis, hoc mihi tuae literae. Exhilaraſti me tam luculento tui in me amoris teſtimonio. immo beaſti. Dicam ingenue, nihil mihi in hac luce contingere gratius potuit, quam tuae erga me benevolentiae ſignificatio. Equidem me jam diu hariolabar e tui amoris faſtigio deturbatum dejectumque. Torquebat animum inconſulta illa ac male tuta libertas, qua Poematis tui momenta penſavi, diſcuſſi, exhauſi. Ac tametſi humaniſſimae indolis tuae ſubibat imago, verebar nihilo minus ne ingenii tui ſubolem pluris feciſſes, quam mei cenſuram & monita. Saepe enim recentis prolis amor tranſverſa egit ingenia, ac illos ipſos recti monitores, quibus ſe devinctos fateri magnopere debuiſſent, plus quam Vatiniano odio proſequuntur. At tu quam integre! quam pro tua dignitate! Ego quidem ſtylum exerceo; & tu mihi gratias. Spongiam adhibeo; & tu mihi gratias. Quas ego tibi pro ſingulari hac tua humanitate?

tate? Unum id intelligas velim, me, quicquid fecero, augendae ac propagandae famae tuae id facere.

Rem mihi nuncias omnium gratiſſimam, dum te Livio totum incumbere ſcribis. Laudo inſtitutum: &, ſi modo impulſore indiges, talem me cogita. Viget enim in eo ſcriptore nativus quidam Latinae venuſtatis flos, ac ſermonis caſtimonia. Spirat in eo quaedam eloquentiae anima. Dictio terſa, fluens, ſine ſtrepitu, ſine verborum fuco, aut lenocinio. Lactea quadam ubertate dicendi lectores perfundens. Rerum togae, rerum ſagi egregie peritus. Hiſtorica in eo verecundia mirabilis, & veritatis amor ſempiternus. De quo merito dixerim, Populum Romanum hujus unius ingenium par imperio ſuo habuiſſe. Pereat Caligatus ille morio, qui ſacroſancto huic capiti verboſitatis ac negligentiae crimen impegit. Macte igitur animo, noſtratium corcule, confer te in abdita haec penetralia animo obſtinato atque immoto adverſus haec gentis noſtrae obverſacula, & garrientes umbras, ſaeculi hujus propudia. adverſus quos ſi lacertos exſeras, aut bellum indicas, perinde eſt ac ſi cum larvis lucteris.

Aves ſcire quid ſibi velint apud hunc auctorem verba illa ex VIII. *Si is homo qui devotus eſt, moritur, probè factum videri: ni moritur, tum ſignum ſeptem pedes altum, aut majus, in terram defodi, & piaculum hoſtia caedi.* Quorum verborum ſententia mihi certe obvia. Ait Livius licere Conſuli, Dictatori, & Praetori, cum legiones hoſtium devoverent, non utique ſe, ſed quem vellent ex legione Romana ſcripta civem devovere. Subjungit deinde verbis ipſis priſco ſacrorum ritu traditis nuncupatisque, ſi forte eveniſſet uti miles ille, qui pro ſuorum clade averruncanda mortem oppetiiſſet, proelio ſupereſſet; tum quidem ſignum vel effigiem ejus, qui devotus fuerat, in terram defodiendam & hoſtiam caedendam, ut mortem ejus defoſſione imaginis & hoſtiae caede repraeſentarent, atque umbratili illa & ſimulata morte ſibi Deos propitiarent. Signum autem illud ideo ſeptem pedes altum confici priſca religione jubebatur, quoniam ea perfectiſſima humani corporis ſtatura cenſeretur. Et hic eſt (ni me fallit) horum verborum genuinus ſenſus. Salebroſius mihi videtur quod ibidem ſubjungitur: *& piaculum hoſtia caedi.* pro quo in libris manu exaratis: *piaculum hoſtiam caedi.* propius veritati. Lego: *piaculo hoſtiam caedi.* id eſt, *ad piaculum.*

Gaeſum, vel *Geſum*, telum eſt re ac nomine peregrinum. Athenaeus Lib. VI. ab Hiſpanis Romanos accepiſſe tradit: παρὰ Σαμνίτων θυρεῶ χρῆσιν, παρὰ δ' Ἰβήρων γαίσων. Celtis forſitan erepta primo bello Punico, quos in Poenorum caſtris ſtipendia feciſſe, auctor eſt Appianus *Libycis.* Sed magis arridet a Gallis petiiſſe. forte in obſidione Capitolii. Nonius: *Geſa, tela Galliarum.* Servius ad VII. Aeneid. *Pilum proprie eſt haſta Romana, ut gaeſa Gallorum, Sariſſae Macedonum.* Virgilius in 8. divini operis, de Gallis:

duo quiſque Alpina coruſcant
Gaeſa manu.

Conditor Belli Punici in I.

parmaeque relatae
Hispana de gente rudes, Alpinaque gaesa.

Claudianus in II. de Laud. Stiliconis.

Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque gaesa tenens.

Viden' triplicem Galliam? Comatam, Torquatam, Gaesatam? Propertius de Virdomaro Rege Gallo, Lib. 4. Eleg. XI.

Nobilis e rectis fundere gaesa rotis.

Ergo telum. Statius Papinius Macedonibus quoque tribuit II. Achilleidos:

didici quo Paeones arma rotatu,
Quo Macetae sua gaesa citent.

Probat vox ipsa: nam apud Gallos (teste Servio ad VIII. Aeneid.) viri fortes *gaesi* dicti. Quin & ab eadem origine esse puto quod Galli milites conductitios *gaesatas* appellarunt, ut est apud Polybium lib. 2. cap. 21. At quale hoc telum, vel in quos usus? Suidas: Γαῖσοι, ὅπλον, ἢ κόντος μακρόθεν κεντῶν, ἢ Κοῦντος Κρίτων ἔγραψεν ἐν τοῖς Γετικοῖς. Vides telum esse *eminus feriens.* *Contum* vertit Bibliorum interpres Judith c. 9. ἤλπισαν ἐν ἀσπίδι, καὶ γαίσῳ, καὶ τόξῳ. Totum fuisse ferreum Hesychius tradit γαισὸς, ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον *missile soliferreum* Ideo forsitan grave dictum Festo: *Gaesum, grave jaculum.* An legendum apud Gellium L. 10. c. 25. *Soliferrea gæsa?* Non credo. Nam tela quaedam *solliferrea* quoque dicta, teste Festo, quod essent tota ferrea. Nam lingua Osca *sollum* totum denotabat. ὅλον. Legendum igitur ibi interpunctione media: *Hasta, pilum, phalarica, semiphalarica, soliferrea, gaesa, lancea, spari, rumices, trifaces, tragulæ, &c.* Moderatius Pollux δόρυ πολυσίδηρον. *hasta longe ferrata.* Accinit Diodorus, ubi de armatura Gallorum: *Gladii eorum non sunt minores aliorum hastis, hastæ ferrum habent majus aliorum gladiis.* Si tamen de gaesis haec intelligenda, ut arbitror. Vides telum non quidem ὁλοσίδηρον, sed πολυσίδηρον, quicquid obblaterent Grammatici: quod tale fuisse oportebat, ut expeditius in hostem torqueretur. praesertim cum bina gaesa singulis tribuantur. Varro apud Festum: *Qui gladiis cincti, sine scuto, cum binis gaesis essent.* Itemque Pausanias in Attic. γαιὸς (lege γαισὸς) ὁλοσίδηρον δόρυ. Profecto soliferreae hastae, quae Oppiani sunt σιγύνοι εὐρυκάρηνοι, graviores erant, quam ut missilium instar haberentur. Quod de gaesis nefas esset dubitare, ut ex Propertio patet:

Nobilis e rectis fundere gaesa rotis.

Itemque

Itemque ex Caesare 3. de Bello Gall. *Lapides gaesaque in vallum conjicere.* Seneca Hippol.

gaesa jaculari manu.

Eustathius in Iliad. β. γαῖος & γαῖον pro jaculo agnoscit ex solido ferro. Corrigendum γαισὸς & γαισόν. Simile mendum apud Pausaniam in *Attic.* ubi pro γαισὸς legitur γαῖος. Gaesorum usus promiscuus tum in bello, tum in venatione. Livius Lib. 8. in hastatorum manipulo leves vicenos milites locat, & addit: *Leves autem, qui hastam tantum gaesaque gererent, vocabantur.* Seneca in Hippolyto ita de Phaedra venationem affectante:

Juvat excitatas consequi cursu feras
Et rigida molli gaesa jaculari manu.

Gaesum enim reddit quod est apud Euripidem ἐπίλογχον βέλος. divine. Est enim gaesum nescio quid medium inter jaculum & hastam. quasi dicas, βέλος λογχοειδές. Eleganter Suidas: Γαῖσα καὶ γαισός, κοντός. εἶδος ἀμυντηρίου, οἷον δόρατος. *genus jaculi, instar hastae.* Silius ita ornat Pastorem Afrum:

Omnia Poenum
Armenti vigilem, patrio de more, sequuntur,
Gaesaque, Latratorque Cydon.

En, Vir ornatissime, quae e promtuario nostro depromere licuit. quae quidem ut defaecatissimi acerrimique judicii tui trutina perpendas, omnibus votis opto atque obsecro. Nudius quintus cum essem apud Illustrissimum Castelvinium, nescio quo fato in sermonem nostrum irrepsit *Saguntineis* tua. Cumque ego de necessitate legendi Homerici Poematis multa deblaterassem, ac subjunxissem tibi ejus operis copiam non esse; statim ille: quid igitur? Bibliothecam nostram non adiit? ingenia fovere animo nostro haeret. Mittatur illo quantocyus. Voto igitur tuo potitus es. Id unum deest, ut indices cui tuto ad te deferendum tradam. Unaque doctissimo humanissimoque viro, literarum propagatori ac vindici, εὐχαρίστως scribas. Quem si semel conveneris, arcana quadam illecebra te devinctum senties. Ego hercle illum depereo, cum ob egregias animi dotes ac morum elegantiam, humanitatem, comitatemque; tum etiam ob ingenii robur & praestantiam, quibus germanam philosophiam & Mathesin penitissime rimatus est. Judicium in eo acre, nec sordibus ac faeculenta saeculi nostri illuvie pollutum, vel cucullorum contagione afflatum. Historiarum notitia sane quam admirabilis. Quid si ad venustissima ejus carmina stylum convertam? In Musarum gremio illum educatum credas. adeo nihil sapit praeter

praeter lac Musarum. Ubi illum adieris, tum demum me vera dixisse fatebere. Mense proximo σὺν ἀποῤῥήτῳ θεῷ Saguntum cogito. Si tibi adlubescit, una erimus. Vale athletice. Valentiae Hedetanorum, III. Idus Aprileis MDCCII.

XIV. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

Patrono optimo suo χαίρειν.

Valentiam Hedetanorum.

Tuae literae heri mihi ex patris aedibus redeunti fuere obviam, quas quum saepe legissem, saepissime deosculatus sum. Tanta equidem earum lectione afficiebar voluptate, ut legendi etiam assiduitate haudquaquam animum explere potuerim. E Deorum penu, nedum Musarum, Emmanuel suavissime, illas merces mihi videris depromsisse. Qua venustate honestantur! quo sale Attico asperguntur! quanta doctrina exornantur! papae! Valeant, immo pereant, qui hoc mel Hyblaeum non depereunt: nostri infelicissimi aevi portenta, ac nullius coloris homines, si modo homines; propius certe veritati larvae speciosae, quos si persona exueris, nihil praeter utres inflatissimos, dignos equidem calcibus adpeti, reperies. Sed quid fatuos hosce moror? aut quid gravius in eos dici potest, quod tu probe non calleas? Eminet quidem certe inter illos cucullorum mera fatuitas, totis etiam Anticyris insanabilia capita. Sed de diverticulo ad viam. Quanquam mea sponte satis mihi videbar incitatus ad haec mea oblectamenta Patavina; tamen nonnihil irritamenti ad meum studium tanti impulsoris auctoritas adjunxit, praesertim quum te tam propensum in nostrum emolumentum senserim, quippe nullo negotio arcana hujus auctoris quaedam, summaque dexteritate exponis, atque enucleas, re, ac verbo factus hortator mirificus. Scito igitur me nunquam commissurum, ut tanti beneficii memoria senescat. Denique te oro, atque obsecro, ut meo nomine Illustrissimo Joanni Castelvinio immortales gratias agas, meque unum infimae fortunae literariae, si quis locus apud illum vacat, in clientium album annumeret. Tuum adventum anxie expecto. Jam enim Thracia pellex in nostro hortulo dulci circumsonat modulamine, veluti querelis tuam moram prosequatur. Vale pugilice, nosque illo tuo amore singulari redama. Sagunti, X. Kal. Majas, MDCCII.

XV. EM-

XV. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

suavissimo salutem mittit.

Valentiam Hedetanorum.

ABs te literas jam diu est quum exspectabam, quibus de hisce monumentis Saguntinis quid consilii ceperis me certiorem faceres: sed vel oblivione mei, vel, quod Dii prohibeant, nonnulla mea culpa id acciderit, ut tuas literas frustra exspectaverim, nescio. Illud primum, ut tua semper in me fuit voluntas, vix ausim credere, nedum affirmare: alterum vero, quanquam conscientia factorum meorum, quae maxima est consolatio rerum incommodarum, me vehementer consolatur, ut tandem aliquando, si quid a me culpae sit admissum, resipiscam, scire aveo. Verum enim vero utcunque affectus sis, velim sic habeas, me tui memoriam summa cum benevolentia tenere; nec non animo forti, atque obfirmato ferre, ac perferre me esse paratum, modo de nostra amicitia nihil acerbum statueris, quamcunque a me exegeris conditionem. Meus in te animus, mi Emmanuel, semper erit, quem tu esse vis, & qui esse debet. Sed haec hactenus. Homeri Iliada & legi, & nunc denuo accuratius lego, cujus haud immerito Democritus Deum immortalem auctorem facit. Vere Poetarum maximus parens, ac μύστης divinus, qui non tam res gestas in bello Trojano mihi videtur scripsisse, quam bellissimis depinxisse pigmentis. De quo ut aliquid dicendum sit, ab illo certe exordium assumi debet:

Ἔσπετε νῦν μοι μῦσαι ὀλύμπια, &c.

Sed vela contraham, ne videar Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui ad te haec. Illustrissimum Joannem Castelvinium salvere multum jube, & tuum suavissimum sodalem Vincentium. Valetudinem tuam fac cures diligenter, meque diligas. Kal. Sextilis, An. MDCCII.

XVI. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE *suo* S. D.

Saguntum.

IN ruborem me dedisti proximis literis tuis, quibus tui oblivione factum existimas, quo minus ad te scripserim per tot dierum intercapedinem. Merito insectaris inertiam nostram. sed inertiam tantum. Per amicitiam nostram, & meam erga te fidem juro, nullum me in te crimen admisisse. Quin immo sancte dejero, me tibi summo officio, summaque observantia in perpetuum fore devinctum. Quo igitur utar patrocinio quaeris? socordiae. Vetus est verbum, mi Emmanuel, *Liber non est, qui non aliquando nihil agit*. Praesertim per hunc aestum, quo mentis vigor velut pestilenti aliquo sidere afflatus, tabescit & marcet. Quocirca tanquam ovis meridians, otio tantum & ἀεργίᾳ dissolvor. Usus sum verbo nimis invidioso. Indulgeo quidem otio; non tamen illi inerti & languido, ac solutissima desidia infami. Nam & Plinii Caecilii Epistolas per hos dies legi, totamque Augustorum Historiam a Caesare Dictatore ad Diocletianum Augustum. Quin etiam Florianam Epitomen. Haec fuere, ut ita dicam, otii mei crepundia; donec animum vegetiorem, vividioremque interioribus studiis obtrudere valeam. Homeri Iliada & legisse, & probasse te, vehementer gaudeo. Denuo autem eam tibi legendam proposuisse, etiam laudo. Scio enim te ab illa non discessurum nisi doctiorem. De Odyssea ad te transmittenda, jam dudum cogito. ubi nactus fueris idoneum aliquem, cui tuto credi possit, nunciatum mihi velim. Neque enim satis est Iliados notitia ad opus illud perficiendum quod animo versas: sed ex utroque poemate confundendus tibi est veluti cinnus quidam, ac temperandus perpetuus ille sanguinis ac caedium horror. In quo quidem, exemplo tibi praeibit divinus ille Aeneidos conditor, qui immortale suum opus mirabili quodam artificio condivit. nam primi sex libri ad imaginem Odysseae ficti sunt: quos personarum & allocutionum varietate constat esse graviores. Reliqui vero sex ad imaginem Iliados, qui negotiis validiores sunt, & re vera tragici. Quod ipse indicat, dicens: *Majus opus moveo.* Equidem censeo te Iliada majore cum admiratione, Odysseam vero majore cum delectatione lecturum. Theatri Saguntini curam visum abjicere, donec circumjecti montis umbrae a fugiente sole reducantur. Cum primum per tempus licuerit, clarissimum id vetustatis monumentum revisam, una cum Turresio nostro, ac Illustrissimo juxtaque eruditissimo Joanne Castelvinio, qui

qui ejus Defcriptionem una cum Diatriba noftra, orbi literario proprio fumtu palam facere conftituit. O pulchre collocatam pecuniam!

De re literaria non nihil habe. Raphael Fabrettus Urbinas, arctiffima mihi olim neceffitudine conjunctus, dum effem Romae, *Collectionem* quandam *Infcriptionum antiquarum* nuper edidit; opus, ita vivam, lectiffima eruditione refertum, ac omnibus numeris abfolutum. In eo, vereor dicere; dicam tamen: nomen meum (quantulumcumque id fiet) cum honoris adjectione, pofteritati commendat. Fateor me hifce gloriolae illecebris corripi ac deliniri. Quid enim jucundius quam ab iis ornari laudibus, qui nihil proferre folent, quod non fit maxime laudandum? Janus Vincentius Gravina, deliciae noftrae, ille Romani fermonis affertor & vindex, ac veteris eloquentiae amuffis, proxime edidit opus quoddam *de Origine Juris Civilis*. Nondum legi, fpero tamen fore ut quam primum ad me deferatur. Nam & ille Nipho noftro tradidit ut quam citiffime ad me transmitteret, & hic injuncto fibi munere functus eft. Cura, fi me diligis, ut valeas; nos ad fummum. Valentiae Hedetanorum, V. Idus Auguftas, MDCCII.

XVII. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI MIGNANAE *fuo* *S. D.*

Saguntum.

RIde fi fapis ofcitantiam meam, & ftupidam vecordiam. Promifi tibi ultimis literis meis Homeri Odyffeam ex Bibliophylacio Caftelvinii noftri. Nam in eo affervari certe noveram. At cum codicem extraxiffem, Graece tantum loquentem animadverti. Quam ob rem, cum maximam tibi moleftiam allaturum cenferem exemplar e media Graecia defumtum; fatius duxi ftuporem meum coram profiteri, quam librum mittere, cujus nulla futura tibi effet ufura, nifi maximo cum ftudio ac labore, feu potius taedio. Curae mihi erit quam maxima potero diligentia opus id exquirere; tametfi non fum nefciens id effe σκαπίρδαν ἕλκειν. Quo enim me vertam in hac librorum inopia, & amoeniorum ftudiorum fquallore & illuvie? Te tamen ut animo fis conftanti & erecto iterum atque iterum precor. Ego namque nullam non operam impendam, nullum non movebo lapidem, ut id opus aliquando ad te perveniat. Vale, & nos ama. Valentiae Hedetanorum, Idibus Sextil. MDCCII.

XVIII. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO
S. P. D.

Valentiam Hedetanorum.

PRoximis tuis literis in errorem te lapſum deprehendi. At perſpectum ſatis habeo errorem eſſe tantum, teque procul ab omni eſſe culpa. Itaque quum nihil novum, neque mirum accidit, dum in hac luce verſamur, indiligentiae tuae, ſi vel hoc nomine ſuſpectus es, facile ignoſcam. Deinde haud quaquam hoc contentus officio, ab omni ego te cura ut liberem, ſedulam pro virili dabo operam. Scito igitur Turreſium noſtrum mihi fuiſſe pollicitum Homericam Odyſſeam Latine tantum loquentem, quam ego pudore quodam ſubruſtico praepeditus e manibus ipſis amiſi, ejusque in me tantum beneficium, benignitatemque comiter repudiavi. O, ſi fas eſt dicere, ſtultum pudorem! Iccirco te vehementer oro, atque obſecro mihi ſis adjumento, ut illius poematis nunc denique compos fiam; praeſertim quum rem tam expeditam tibi, atque probe exaſciatum opus praebeam. Facile equidem hominem tibi familiariſſimum commovebis, ſanctum in primis, & doctum, plenum officii, ſtudioſum etiam meae laudis, ac plane virum bonum. Ignoſce, mi Emmanuel, noſtrae feſtinationis impudentiae: immo haec noſtra ſtudia boni conſule; trahor enim hujus eximii poetae deliciis, quibus, ita me Dius-Fidius, nihil eſt mihi antiquius, nihil ſuavius. Poſtremo hoc unum velim ſic habeas, quaſi me abs te monendum divinarem, ab re nautica, illud Maronis clariſſimum opus imitatus, exordium deſumſiſſe. Quapropter omnibus votis Ulyſſis errationes exoptabam, quo opere ſi brevi fuerim potitus μὲ μακαρίσω. Vale optime literarum vindex, nosque redama. Sagunti, XVIII. Kal. Septemb. MDXCII.

XIX. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE
S. D.

Saguntum.

EStne hoc fidem liberare? Odyſſea ad te ire geſtit. Sed, heus tu! Romana Urbe donata. Si Graecam una optas, mittam utramque. Indica.

dica. Vincentio Turreſio noſtro abs te gratiae: nam ille mihi commodavit. Noſti juvenis indolem, comitatem, verecundiam: addo, magnam illi eſſe erga tuum nomen obſervantiam ac ſtudium, famaeque tuae eſſe quam addictiſſimum: quod ego hercle beneficii loco habeo. Quicquid ad ſtudia tua propaganda conferre judicabis, ex nobis petito; modo ne praepropera feſtinatione laboris tui fructum corrumpas. nam, ut vetus eſt verbum, *Canis feſtinans caecos parit catulos.* Ac ne epiſtola ἀνέλληνος minus tibi arrideat, en verſiculum hunc, quem cupio quam arctiſſime teneas:

Προπέτεια πολλοῖς ἐςὶν αἰτία κακῶν.

Vale, & a Turreſio noſtro ſalve. Valentiae Hedetanorum, XVII. Kal. Septembreis MDCCII.

XX. EMMANUEL MARTINUS
EMMANUELI MIGNANAE *ſaluti ſuae* εὐπράττειν.

Literas cum a te avide exſpectarem, quibus ſuperioribus noſtris faceres ſatis, deluſum me eſſe ſenſi. Qua rei novitate adeo ſum perculſus, ut verbis contumelioſis vix, atque egre quidem, temperare potuerim. Ne vivam, ſi quid mihi unquam moleſtius accidit. Abs te hoc tempore nihil literarum? Heus tu, noſti qui ſiem? niſi abigis a te hanc ſocordiam, tibi nuncium remittam: modo per amorem in te noſtrum liceat: tantus enim eſt, ut exhauriri nulla poſſit injuria. Sed haec paullo commotius. Scire ex te velim quid egeris in praedio paterno: recte ne omnia? ſatin' ex ſententia? quod equidem prorſus exiſtimo. Neſcio enim quo naturae lenocinio ſolo patrio adhaereſcimus. Ego quoque circiter Kalendas Decembreis, in montes etiam patrios, & ad incunabula noſtra cogito. Etſi id non adhuc ſtat. Si iter fecero, ſcito me fore apud te. Quod ad noſtra attinet, ita ſum complexus otium, ut ab eo divelli non queam. Cave tamen putes, me lacertas captare. Vetera tantum relego: quod ab otio parum diſtat. A ſcribendo autem prorſus abhorret animus. Tu, mi Emmanuel ſuaviſſime, ſi vis homo eſſe, per fortunas incumbe ad illud praeclarum opus, quod animo verſas; totas ingenii facultates in eo profunde. Lento tamen gradu tibi ingrediendum. Etenim dudum circumrodendum eſt, quod devorandum. Turreſius, noſtri amores, pleno modio te amat. Ego illum, me hercule, plus pluſque in dies. Nemo enim in terris eſt mihi tam conſentientibus ſenſibus. Quam ob rem toti ſumus in illius poteſtate. Ille, Di boni! quam voluptatem cepit ex tuis literis!

Fac igitur, amabo te, ut quam ſaepiſſime ad nos aliquid. Si nihil erit quod ſcribas, id ipſum ſcribito. Per. nobis, per, inquam, gratum nobis feceris. Hui! paene praeterii quod maxime tibi fore jucundum puto. Gerardi Voſſii Etymologicon linguae Latinae venire ſcito; tametſi quanti veneat nondum habeo exploratum. Noſti operis ſplendorem ac dignitatem. Adde contectum eſſe ſittybis Gallicis, & ornatu illo πολυτελεῖ. Igitur ut ne illud abire permittas, iterum atque iterum moneo. Turreſius noſter ideo illud non emit, quod tibi uſui fore animadvertit. Si tibi arriſerit, fac me certiorem. Confeſtim ad te mittam. Cura ut valeas. Valentiae Hedetanorum, III. Nonas Septembreis MDCCII.

XXI. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

amiciſſimo εὖ ζῆν, καὶ εὖ πράττειν.

Valentiam Hedetanorum.

SUbiratus tuis ultimis literis negligentiae me nomine multaſti; ſed immerito id quidem meo feciſti. Scin' tu quantum me pudor, &, ut ne mentiar, formido ab ſcribendo revocet, ac deterreat? Quotiescunque ad te epiſtolam miſi, multa Deos immortales veneratus ſum, ne tibi meis illepidis lituris aliquam afferrem moleſtiam; tuas praeſertim epiſtolas cum legiſſem (quas ſaepe etiam lego) tanto lepore, ac venuſtate affluentes; labaſcit profecto animus, & ſtylum refugit nimio veluti obcaecatus ſplendore tuarum literarum. Tantumne, mi ſuaviſſime, in te irato mellis ineſt? quantum igitur in te faceto, lepido, feſtivo! Papae! ita me Di bene ament, lubens tibi malum dabo, ut te quam ſaepiſſime iratum ad hunc modum ſentiam; & ſi meae ſocordiae ſtimulis non videris ſatis concitatus, iram petas licet ab irato Achille mutuo, ut tui deſiderium ſaltem crebris & longis literis leniatur. Equidem de tuis innumerabilibus in me officiis hoc erit certe gratiſſimum. Sed jam redeo ad epiſtolam, cui belliſſime, atque amiciſſime ſcriptae, nihil eſt quod multa reſpondeam.

In noſtro amoeno praediolo, etſi non lavimus, laute tamen diverſati ſumus una cum noſtro integerrimo Vilario, Romanae facundiae ſane quam ſtudioſo, ac veteri neceſſitudine mihi conjunctiſſimo. Apud noſtrates omnia recte habent. Cum tu in patriam conceſſeris, per nos iter facito, ut aliquot dies hic oblectemur. Otium tuum laudo: ſed heus tu otium appellas tam pulchre locatum tempus? Cave ſis paſtores Latii id reſciant: ipſe licet ſummus Jupiter tibi advocatus adſiet, nunquam fugies infortunium.

De

De noſtris ſtudiis nihil pene eſt quod ſcribam: ut tibi morem geram, ſcribam tamen: meum nempe huc & illuc rapi animum, trahi, atque innumeris jactationibus fluctuare. Totus, mi Emmanuel, tremo, horreoque poſtquam Homerum legi, ac plane viribus noſtris diffido, illo etiam Horatiano verſu perterritus: *Sumite materiam veſtris, &c.* Iccirco quam viam teneam non video. Turreſii noſtri literas quo animo acceperim, tu ipſe perpendas velim, qui haud neſcis, quam mihi ſint ejusmodi literae in amore, ac deliciis. Igitur ſi me amas, hominem hortare (nullo negotio illum commovebis) ne gravetur ad me crebro literas mittere. Ego vero nimis averem ſcire quid ſentiat de uſu linguae Latinae apud Romanos, qui probe memoria teneo ipſum addubitare, an labore, ac induſtria linguam Latinam compararint; nam mihi etiam quaedam fuere obvia, quibus permotus parum abeſt, ut eam pedibus in ejus ſententiam. Gerardi Voſſii Etymologicon linguae Latinae, tam pulchre ornatum, ut narras, fac brevi ſciam quanti veneat; & cui ego pretii pecunias crediderim, ipſi etiam librum tuto credi poſſe arbitraberis: hoc ſaltem ſolabor deſiderium tui nondum editi Etymologiarum libri, ſane aurei. Di faxint ne diutius hac luce, ac tanto reip. literariae commodo careamus. Cornelii Taciti opera cum Lipſii Commentariis, & Notis, nec non Joſiae Merceri Pariſiis edita: tum etiam Dionis Caſſii cum Notis Leunclavii, & aliorum Hanoviae: tum denique Perſii, & Juvenalis Satyras cum Notis, & Commentariis Variorum Lugduni, ex noſtratibus cucullatus ad me miſit, ſperans fortaſſe me auri montibus eos libros praeſtinatum ire: ſed fruſtra homo eſt, nam ei reſcripſi tales libros haud magni facere. Quandoquidem autem ad nos jam miſiſſet argenti numum triginta jacturam facere in animum induxiſſe: ſi autem ſpe uberioris quaeſtus duceretur, libros remiſſurum, ut cui voluerit obtruderet. At dum epiſtolam ſcribebam, ille vir egregius ad me reſcripſit illis numulis contentum fore. pecuniam dedi, tranſacta res eſt, pax, nihil amplius. Vale mi Rex, ac Turreſio noſtro P. S. dicito. Vale, & ſalve. Kal. Sept. MDCCII.

XXII. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

πολλὰ χαίρειν.

Saguntum.

PErculſus ſum epiſtolae tuae noviſſimis verbis, plane λυσσιωτίσοις: quibus me, quaſi non amplius viſurus, dimittis. VALE, inquis, & SALVE. Mene buſtuaria hac ſalutatione? Di averruncent. Num taedet

det te mei? Veteres non aliter hac ſalutandi formula uſi ſunt, niſi quum ab iis recederent, quibuscum non eſſent amplius congreſſuri. Itaque vita fructos, poſtquam eſſent compoſiti, geminatis his vocibus extremum ſalutabant. Notat Varro in Logiſtoricis. *Ideo mortuis* SALVE & VALE *dici: non quod aut valere, aut ſalvi eſſe poſſint, ſed quod ab his recedimus, eos nusquam viſuri.* Virg. XI.

Salve aeternum mihi, maxime Palla,
Aeternumque vale.

Catullus Epig. CII.

In perpetuum frater ave atque vale.

Papinius 3. Sylv. in Sacr. Hetruſci.

Salve ſupremum, ſenior mitiſſime patrum,
Supremumque vale.

Charinus Plautinus in Mercat. Act. V. Sc. I. extremum diſcedens:

Limen ſuperum inferumque ſalve, ſimul autem vale.
Hunc hodie poſtremum extollo mea domo patria pedem.

Tyndarus etiam cum in lapicidinas truderetur, herum Hegionem, quaſi eum non amplius eſſet viſurus, ita ſalutat in Capteiv. Act. 3. Sc. V.

Vale atque ſalve.

Item Curcul.

Ego abeo, vale atque ſalve.

Inſcriptio vetus Romae:

D. M.

VIRIAE PRIMITIVAE.
VIX. ANN. XVIII. MENS. I. D. XXIV.
L. VIRIUS HELIUS CONIUGI DULCISS.
HAVE. DOMINA. VALE. DOMINA.

Hinc ortum, ut etiam maledicti vim obtineret, ut eſt apud Terentium:

Valeant, qui inter nos diſſidium volunt.

Hoc eſt, ita a nobis recedant, ut numquam ad noſtrum revertantur aſpectum.

ctum. Ea re mali ominis ac δύσφημα habentur haec verba ab Artemidoro Lib. I. Ὀνειροκριτικῆς. Quid igitur cogitem? te amoris nostri suppoenituisse? tibi officium studiumque in te nostrum exosum? Atqui opponam eas ipsas literas, quas legi libentissime, plenissimas amoris, humanitatis, officii, diligentiae. Appinge igitur aliquid, quo hanc maculam abstergas. Nam ego, ita vivam, aestuo. Nunc ad epistolam. πρῷρα πρύμνα. Scito te vel maxime a veritate aberrare in ea sententia de Latino sermone. Quem enim potius Latio tribuemus, quam τὸν αὐτόχθονα? Suum habuerunt Volsci, Osci, Hetrusci, Sabini, Samnites, Brutii, Appuli. Suum denique Latini. Quomodo suum, si aliunde comparatum & accersitum? Hoc vero perinde mihi videtur ac si dubites, utrum in Graecia usi fuerint Graeca lingua. At inquies, Praeceptores habebant, quibus & Graecis & Latinis literis instituerentur. Esto. Illos tamen non ad sermonem comparandum accersebant, sed ad nitorem & cultum; ut ad eloquentiae fastigium (nosti quam arduum) studio illo contenderent. Haud aliter atque in Graecia. Sed in re tam perspicua immorari, otio est abuti. Vossii Etymologicon curae mihi erit ut ad te quam primum. De Tacito, Dione, & Satyris, quae scribis, mihi valde grata. Gravinae Librum *de Ortu & Progressu Juris Civilis* heri accepimus De Turresio sic habeas velim, nihil mehercule illo mihi nec charius esse, nec suavius. Facio pluris omnium hominum neminem. Quid plura? in amoribus est. Ab illo salvebis. Da operam ut valeas. Valentiae Hedetanorum, XIII. Id. Sept MDCCII.

XXIII. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

ὀξυχόλῳ

S. D.

Saguntum.

Accepi tuas III. Id. ad me datas, ex quibus facile perspicio te monitum illud nostrum, amoris & humanitatis plenum haud eo animo quo par erat auscultasse; sed averso a meis ineptiis, ne dicam, infenso: meque apud te gravem offensionem subiisse. Sed quoniam ego is sum, qui non statim animo concidam; quando pereundum est, erecto & infracto illo id calamitatis subire constitui. Valedictionem illam duplicem Tyronianam, quam affers, imo quam afferre unice potes; nae ego insulsissimus omnium mortalium essem, nisi jam pridem non vidissem modo, verum etiam cum admiratione vidissem; imo cum stomacho. Quo enim pertinet

ἄκαιρος illa & Libitinaria ſalutatio? Dixerit Cicero, nihil moror. Id ego certo ſcio, bis certo: ea formula uſos non niſi cum longius diſcederent, vel non amplius redituri, vel ita ut de eorum reditu jure ambigeretur. Sed Tullius in ad Tyronem laſcivit atque luxuriat. Dumque nihil rerum non ſatagit, ut amorem ſuum Tyroni quam ſcitiſſime appingat, in id impegit flagitii. Heu ſcelus! inquies. Itane in Ciceronem? Ita profecto. habeat. Quando totius antiquitatis conſenſus aliud me docet ſcilicet. Alteram plagam. Objicis mihi epiſtolae tuae verba: *Cum incendiſſes*, *&c.* Quid mihi inſultas? do manus.

Homo ſum. humani nihil a me alienum puto.

Quin etiam, e medio coelo Latino deſumtam eſſe eam locutionem, tute es teſtis id me haud neſcire, qui in epiſtola data III. Id. Aprileis item ſcripſerim: *Unum id intelligas velim, me, quicquid fecero, augendae ac propagandae famae tuae id facere.* Quae quidem verba tam ſunt tuis ſimilia, quam lac lacti. Quid ergo damnaſti? mente peregrinabar. Per fidem igitur te obteſtor, ut maleſanam illam κρίσιν funditus deleas; ne hoc etiam habeat poſteritas inſcitiae noſtrae monumentum. Quid ſi habeat? an humanitatis meae me pudet? praeſertim cum mihi exemplo praeierit venuſtiſſimus ille Atticus (& fortaſſe Varro) qui cum verbum *ſuſtinere* e quodam Ciceronis libro delendum cenſuiſſet, ſubſtituendumque *inhibere*, idque Cicero ipſe comprobaſſet; opinionem tamen ſuam rejectum iri poſtea animadvertit, prius verbum denuo accerſere juſſus. Quod Cicero ille, ille Cicero, veram hujus verbi ſignificationem a nautis & remigibus poſtea didiciſſet, dum ad Villam ſuam navis appelleretur. *Inhibere* nempe *remos*, non eſſe quidem *remos ſuſtinere*, (quod ipſe arbitrabatur) ſed contraria remigatione navem convertere ad puppim. O (ſi teſtimonio res indigeret) factum lepidiſſimum, ad adſtruendum linguae Latinae uſum promiſcuum! En tibi Ciceronem a remigibus & nautis edoctum. Mitto illud: IN PIRAEEA, quod etiam Atticus veru notaverat. Cicero autem purgat Terentii auctoritate. Vellem equidem, qui meus eſt in te amor, de ſcrupulo quodam, qui me in epiſtola tua valde angit, ad te nonnihil. Sed deterreor cum ἀκροχολίᾳ tua, tum etiam ne id facere videar laceſſitus. Igitur poſthac ero taciturnior rana Rhegina. Gerardi Voſſii Ἐτυμολογικῷ pretium conſtituimus denarios XXXV. Si tibi & res & conditio placet, facies me certiorem. Mihi ſane videtur, nusquam gentium minoris emi potuiſſe. Da operam ut valeas. Valentiae Hedetanorum, Idib. Septemb. MDCCII.

XXIV

XXIV. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

ſalutem & amorem.

Valentiam Hedetanorum.

PEccatum a me largiter nunc demum lectis tuis literis animadverti; nam quod ego laſcivibundus veluti per jocum appinxi, id tu neſcio quo meo ſingulari fato, qui meum animum ſatis perſpectum habeas, ἀκροχολίᾳ cuidam tribuis; ac ſubjungis te poſthac fore rana Seriphia taciturniorem. Ain' ſerio? vel nos ludis? Sed modo mihi venit in mentem, haud recte illud factum, me vel joco tantopere te commoviſſe. Haudquaquam ita volebam. Di me perduint, ſi unquam hoc animo meas abs te literas acceptum iri putaverim: ſed ut ſcires etiam mihi aliquas doctrinae acceſſiones tuis admonitionibus optimis fieri, qui te, quod fortaſſe praeterierat admonerem. Nam proh Deum atque hominum! poſt tot tam acris animadverſoris caſtigationes fas non eſt gemitum emittere? At ſi id tibi moleſtum eſt, joca illa, quae tibi faciunt aegre, abjiciam vel quo Cervi cornua. Scin' ut ſe habent res noſtrae? In luto ſum totus, & ut inde emergam, non ſatis teneo. Reliquum eſt, ut vel mihi ignoſcas, vel tibi objiciam tuas literas amoris plenas, ſtudii, officii. Ego vero poſthac, quandoquidem tu quod per jocum dixi, in ſerium convertis, nonnullam dabo operam, ut te hilaris hilariorem faciam. Nollem enim meum Jovem tantopere mihi iratum. Enim vero literas vix ad oculos admoveram, cum jam excutienda in me tela ſenſi portendier. Ὀξύχολον me appellas in ipſo epiſtolae ἀσπασμῷ. Di omen avertant. Quonam abiit illa humanitas, quam in me eſſe plenis faucibus praedicabas? Cenſen' me immutatum? Maxumas nugas agis. Ipſe aedepol ego ſum modo, qui olim, cum mei nominis te buccinatorem eſſe confirmabas, & qui prae te omnes illos, quibuscum a teneris unguiculis familiariſſime conſuevi, nihili pendo. Eja mitte nunc jam ſupercilium quantum poteſt, & quod adverſus animi tui ſententiam dixerim, id uti ignoſcas, quaeſo. Cedo ſis dexteram, mi Emmanuel, mi patrone. Apage iras plumbeas. Usque adhuc amiciſſime tu me admonuiſti, habeo gratiam. Perge igitur nunc etiam operam mihi dare de ſcrupulo, praeſertim quod ais: facies certe mihi gratiſſimum. Scis nimirum me eſſe, praeter ea, quae a te accepi αὐτοδίδακτον. Quod deleri jubes, fiet ſedulo. At ſcito tuam famam noſtra eſſe cariorem. Id ſci-

res profecto, si aliquis, quos ubique gentium de te sermones habuerim, ad te detulisset. De tuo Jano Vincentio Gravina tibi ut par est gratulor; mihi etiam vehementer gaudeo, quod libro illo maxima cum voluptate potitus es. Περὶ τοῦ Ἐτυμολεγικοῦ, quod abs te vel actum, vel transactum est, ratum nimis habeo, quin etiam gratiam. Argentum mitto, librum tu. Valetudinem tuam cura diligenter, & Turresius ut nos multum amet dabis operam. Sagunti, XVII. Kalendas Octobreis, MDCCII.

XXV. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

S. D.

Saguntum.

NE sim salvus, si quicquam legi tuis literis venustius. Quid dicam te in iis Tulliaturire & Plauturire? imo eorum factam in te μετιμψύχωσιν, parum abest ut credam. Cupio te dissuaviari. Egone tibi succenseam, deliciae & amores nostri? Vides quam blande, qui nobis inclusus es medullis? sine cura esto. Sua cuique sponsa, mihi mea. Haec scripsi citatim. Nam tabellarius tuus valde urgebat. Etymologicon nummo aureo curavimus, quod superest, a tabellario. De scrupulo nostro alias. Turresius neminem habet te chariorem: nec me etiam. Illi tuas reddidi. Vale. Valentiae Hedetanorum, XV. Kal. Octobreis, MDCCII.

XXVI. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

S. D.

Valentiam Hedetanorum.

MIrificam tui in me amoris significationem tribus verbis graphice depinxisti: quapropter non possum tuam non admirari mei benivolentiam. Immo quam sancte dejerare ausim nihil esse admiratione dignius; quandoquidem te tam facilem mihi, exorabilemque praebes. Nihil mehercule vidi unquam agi mitius, nihil blandius. Hoc certe uno testimonio, ni alia pene innumera extarent, te mihi solide amicum professus es. Cave igitur dubites, quin mutuum faciam. Equidem ego me potius

non

non amabo, quam tibi meus desit amor: praesertim cum tu tam publice ad rem verba conferre noveris. Meum profecto pectus, mi Emmanuel, laetitia, lubentiaque concinnasti, qui hoc ad me opus misisti ἐτυμολογίζοντος Vossii, ex quo me voluptati parem doctrinae fructum esse capturum confido. Eadem ad me nocte illa pervenit per dispositos excubitores. Caeteros actutum libros in theca condidi: amicos omnes, qui a coena honoris gratia ad me, ex aedibus deturbavi, ac me totum illum in Scriptorem, quem nunquam oculis usurpaveram, noctem fere perpetem avide immersi. Di vostram fidem! quanto me gaudio delibutum sensi, modo ἐτυμολογία legens sua sponte fluentes, modo alias, quibus tanti ingenii argutia cluit! papae! Tibi igitur, perinde ac meritus es, summas habeo gratias. Turresio nostro meis verbis salutem plurimam, atque adjicies, neminem (te uno excepto) mihi esse chariorem. Salutem tuam cura diligenter, facies mihi certe gratissimum. Vale. Sagunti, VII. Kalendas Octobreis, MDCCII.

XXVII. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

S. D.

Saguntum.

SI bene vales, bene est. Nudius quartus ego & Turresius fuimus una. Nam apud me prandit. Non quidem laute & opipare; nec tamen sordide: pro consuetudine & facultatibus nostris. Inter Salios & Cynicos. Id tamen certo affirmare ausim, me nunquam elegantius esse pransum. Musas omnes accubuisse dixeris: ita leporibus ac facetiis affluebat mensa. Quid plura? ego apposui obsonia, ille condivit. Allata est primo loco lanx mali Poenici dulcacidi, acinatim discerpti, & sacharo aspersi. Quo ego fructu ob eam caussam libentissime vescor, quod χολῆς ἀκρασίαν & insultus, quibus ego sum obnoxius, mirabiliter dissipat atque coercet. Atqui, ad me Turresius: ego bile non infestor. Remove has nugas. Cui ego: Heus tu, si nescis, Venerem etiam frangit. Di boni! quam multis verbis super hoc fructu ἐφιλαλογήσαμεν! Quam jucunde garrivimus! Adductum est etiam illud Epaminondae. Nosti caetera. Congruens sane videbatur, ut malum granatum Turdis praeluderet. Eorum enim adventui praecurrit. Itaque appositi sunt Turdi assi, succidia & liquamine suillo probe adipati ac delibuti, & panis tosti ramentis conspersi: integri quidem, nec intestinis exemtis. Contraxit frontem Turresius ad hoc spectaculum, & altero manu sublato, ac propiore intuitu circumlustrato quam diligentissime; lau-

tissimas profecto mihi dapes apparasti hodie, inquit. Ecquidnam est hoc sordium? Ut ego perspicio, propositum tibi est me fame conficere. Tum ego: Abi sis, inquam, inepte. Quid suavius Turdi excremento? Immo quid in eo suave praeter illud?

Caetera redde coquo.

An te fugit, Scolopacis & Turdi merdam summis fuisse olim in deliciis? Quid olim? immo nunc etiam apud omnes fere Europaeos, ac praesertim elegantioris palati catillones. Ergo mitte has delicias, si me audis, & id mecum devora, quod Turdus ipse in suam perniciem erat cacaturus. Non equidem id committam, inquit, ut tam luxuriose prandeam. Has munditias mensa nostra non capit. Quando igitur, inquam, certum tibi est ab hac sententia digitum nunquam; quod mearum partium erit, diligentissime absolvam. Tu interim (quod jam diu facis) nos observa. Dura illi visa est haec sententia. Itaque recitato illo versiculo:

Quid non mortalia pectora cogis
. . . *Sacra fames?*

Turdum arripuit: cumque probe exossasset; Hem, inquam, κοπροβόρε! Cui ille: Pupugit me proverbiolum illud: *Gladiator in arena.* Cum officio nostro naviter functi essemus; ecce tibi, affertur patina quaedam cum cerebellis vervecinis, ovorum (ut ita dicam) glutine colligatis. Confestim ad me Turresius. Ne Di sirint, ut ego id admittam facinoris. Apage hoc scelus. Oppallui ad haec verba. Cumque ego quidnam id esset flagitii interrogassem. An, inquit, te praeterit Pythagoricum illud scitum: μὴ ἐσθίειν ἐγκέφαλον? Cui ego subridens. Cassae, inquam glandes, & gerrae Siculae. An tu nunquam adversus solem minxisti? Scio equidem non Pythagorae tantum jussu, sed totius antiquitatis religione ab hoc ferculo fuisse olim deterritos; propterea quod sensuum omnium esset veluti fons atque sedes. Nec ab esu tantum abstinuisse; sed ejus quoque nomen fuisse aversatos. Iccirco a Sophocle, aliisque tragicis, dictum esse volunt μυελὸν λευκόν. Tametsi de hoc. Interpellavit hic Turresius, & aliquanto commotius. Quid igitur mensam funestas, inquit, dapibus hisce pollutis ac vitandis? An quod totius antiquitatis consensus damnavit, praesertim vero Athenae illae Atticae, usurpare tu haud vereare, Graecarum elegantiarum cultor & encomiastes? Surdo loqueris, subjunxi ego. utpote qui sciam veteres, quum scitissimum aliquem cibum laudare vellent, *Jovis cerebellum* appellare consuevisse. Et cum dicto, manum ad patinam injicio. Extorsisti mihi errorem tam luculento testimonio, subdit Turresius: meque imitari occoepit. Sublato hoc ferculo, apposita est Oryza jure fulicino

licino cocta: cujus ille nidore tactus, salve, inquit, Deorum ambrosia. Cum sciam (subjunxi ego) hujus te avis aucupio inprimis delectari; visum mihi est fore ut tibi morem gererem, si eam non tantum ad glandis jactum, verum etiam ad dentis ictum sisterem. Habes profecto prandium exoticum, & e longinquis orbis regionibus petitum: Turdos & Fulicas. Sustulit ille ad hanc vocem cachinnum. Et: Hui! inquit: etiam tu in hoc luto? Conturbatus sum tam inopinatae objurgationis novitate: ac paullisper addubitans. Quid? inquam. Nonne *Fulicae* appellantur? ille. Ita persuasum est plerisque omnibus. Quin ego ipse ita olim existimavi. Nunc autem pene ivi in alia omnia. Vel saltem vehementer sum implicitus. Gravissimae enim mihi oboriuntur tenebrae, quotiescunque auctorum inconstantia subit. Cicero enim in Arati versione Fulicem *canam* appellat, ac vocalem statuit ingruente tempestate. Candidum etiam colorem adscribere illi videntur Plinius & Solinus. τὸ φθεγγόμενον Plinius quoque cirrosque in capite plumeos. Virgilius autem *marinam* vocat. Quae omnia quam sint aliena ab alite nostra, nemo non videt. Nam haec & furva est, & semper muta, & palustris, & ἀδέσρυχος. Quin ipsum nomen Graecum nondum expeditum habemus. Cicero enim ἐρωδιὸν vertit *Fulicem* in Arateis: quem sequutus est Plinius. Nam verba illa Theophrasti: καὶ ἐρωδιὸς ὄρθριον φθεγγόμενος, transfert: *& Fulicae matutino clangore.* At Virgilio ἐρωδιὸς est *Ardea*, ut vertit ex Arato. Avienus modo *Fulicem*, modo *Ardeam*, vocat τὸν ἐρωδιὸν Arati, quasi Fulix & Ardea idem sint. Cujus discrimen vel ex ipso Virgilio facile deprehendes. Suidas interpretatur *Ciconiam*: Symmachus *Milvum*. Igitur Maroni nostro non ἐρωδιοὶ, sed αἴθυιαι, sunt *Fulicae*. Nam illa Arati verba:

> ἢ εἰν ἁλὶ δῖναι
> Αἴθυιαι χερσαῖαι τινάσσονται πτερύγεσσι

Vertit:

> *Cumque marinae*
> *In sicco ludunt Fulicae.*

Lucanus *Mergum* transtulit

> *Aut siccum quod Mergus amat.*

Fortasse in hoc melius quam Virgilius. αἴθυια enim *Mergus* est. Sed illi *Mergi* sunt κέπφοι. ibi:

> *Revolant ex aequore Mergi.*

Quod

Quod expressum est ex illo Arati:

κέπφοι ὁπότ' ἔνδιοι ποτέωνται.

Igitur Virgilio κέπφοι *Mergi* sunt: αἴθυιαι: *Fulicae*: ἐρωδιοὶ *Ardeae*. Ludovicus Cerda αἴθυιαν quoque esse *Fulicam*, ob eam rem existimat, quod tam αἴθυια quam *Fulica* dicuntur a *fuligine*. Alii *Fulicam* λάρον interpretantur: ut Sosipater & Glossae. Sed λάρος est quam *Gaviam* Latini vocant. Theodorus Gaza κέπφον *Fulicam* vertit *Hist. Animal. Lib.* 9. *cap.* 18. Qua autem ratione ductus, non assequor. Praesertim cum Aristoteles eo loco asserat κέπφου carnem esse εὐώδη. quod huic avi minime competit. Imo nescio quid grave & palustre olet. Theodoro subscribit Bellonius. At Suidas κέπφον *Larum* interpretatur. Avienus *Sturnum* transfert. Interpres Galeni pro Nissa φήνη *Fulicam* vertit ineptissime. φήνη enim *Ossifraga* est. Ergo aliis est ἐρωδιὸς, aliis αἴθυια, aliis κέπφος, aliis λάρος, aliis φήνη. Aldrovandus Graeco nomine carere asserit. Ad haec ego: O avem sane peregrinam! cujus ne nomen quidem in aperto est. Et ad illum conversus: Quo igitur illam nomine appellem? Cui Turresius: Si vocabulorum similitudini ulla esse debet auctoritas, videtur esse quae Graecis, & Aristoteli praesertim, φώϊξ. A φώϊξ namque *Fuix*, & inserta liquida *Fulix*. A quarto itidem casu φώϊκα, *Fulica*. ut ab ἔποπα, *Upupa*: & aliis sexcentis. Sed Aristotelis φώϊξ, scribi debet πώυξ, auctore Hesychio, & Suida. Quod tamen eodem recidit. Nam a πώυξ recte *Fulix*. Saepe enim Π Graecorum in F Latinum migrat. Sic a πίθω, *fido*: a πείγω, *figo*: a πλωτὴ, *fluta*: a πρίω, *frio*: a σπόγγος, *fungus*: ab Aeolico ὄππη, *offa*: ab ὅλον πῦρ, *sulfur*. Sed magnum Etymologicon πώυκα interpretatur αἴθυιαν, *Mergum*. dictumque censet quasi βίυγγα παρὰ τὲν βοὴν καὶ τὴν ἰυγὴν, a clamore stridoreque. Quod huic aliti minime congruit. Quare juxta scire mihi videor, ac illi qui nesciunt. Nam quae scribunt Turnebus, Ivo Villiomarus, Vossius, Salmasius, Aldrovandus, Bellonius, aliique, nescio an magis nos implicent, quam expediant. Tum ego: O prandium! quod ipse mehercules Jupiter invideat! quod longe superet omnes Apicii delicias! Non enim gulam tantum voluptate afficit; sed ipsum animum oblectamento quodam irrigat atque perfundit. Nae tu mihi turpissimum detersisti errorem, ac in posterum cautiorem fecisti. Inter haec jam conviva noster totam oryzam devoraverat. Nam ita rem gerebat, ut non facile perspici posset, utrum elegantius dissereret, an manderet. Igitur allatum est ferculum Hispanicum, sive olla nostra vernacula, in qua erat par Fulicum (utar hoc nomine donec in melius incidam) carnis vervecinae quantum opus erat, & quidem pinguissimae; venter Faliscus, botuli, laridum, napique, quos haec tellus educat Amiterninis longe praestantiores. Quos simulac vidit

Tur-

Turresius, salvete, inquit, Manii Curii deliciae: & fuscinula argentea napum figit. Macte animo, inquam, Turresi: demolienda nobis est haec congeries. Per genium tuum, ne me deseras atque destituas. Ad quae ille: Fer opem, inquit, sacra Orexis. Et in lancem studiose devexus, quasi rimabundus. Ubinam gentium estis, ait, palati nostri illecebrae? Cumque ego suspensus haererem. Teneo te, inquit: ac ventriculum fulicinum eruit fuscinula trajectum. Manum ego confestim ad alterum, quem cum degustassem, ingrato quodam sapore tactus (ut mihi visum est) Tibi habeto, inquam, tuas delicias: & ventriculum projeci. Allatae sunt denique secundae mensae, in quibus erant uvae duracinae, & olivae contusae muriaticae. Nam dulciaria cupedia nihil morati sumus. Tametsi haud ignoras, domus mea quam iis rebus sit instructa. Vinum (ut verum fatear) e caupona petitum. Ante paucos enim dies dolia nostra exaruerunt. Heus tu, scis quanto sint in honore lagenae Saguntinae: adventare Θεόγνια. Etiam atque etiam vale, & nos ama. Quod nisi diligenter facis, ferreus es. Valentiae Hedetanorum, Kalendis Novembribus, MDCCII.

XXVIII. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO S. P. D.

Valentiam Hedetanorum.

GRatulor tibi, mi Emmanuel, vereque gratulor, vehementer mihi etiam gaudeo: namque adeo te me esse alterum persuasum habeo, ut tuas voluptates omnes mecum esse communes duxerim. De tuo etiam in me amore nihil sane est quod dubitem: tuas enim facetissimas per literas, juxtaque expectatissimas, Musarum lacte, ac bellariis Atticis exuberantes me tua mensa benigne, ac liberaliter communicasti, quod ego summis in deliciis habeo. Nunquam mehercule quicquam jam diu me magis voluptate affecit: nec unquam acceptus fui melius, ac prolixius. Scis nimirum haec fercula quam minimam afferre delectationem bonarum artium studiosis, quibus animus mirum in modum veluti illiquefactis voluptatibus perfunditur, ac irrigatur. Nam tuum malum Poenicum nihil moror: bili non infestor, sed φλέγματι ψυχροτάτῳ maxime hoc autumni tempore. Turdi etiam quotidie fere mihi apponuntur liquamine suillo probe adipati; nec non cum illis sordibus, a quibus Turresius noster tantopere abhorrebat. Et quidem, quanquam sumtus nostri non sunt dapsiles; non magis Deo-

rum immortalium dapes opiparas fuisse arbitror. Libenter enim, immo maxima cum delectatione Turdorum excrementis saporis quam scitissimi meum palatum stercorare soleo. Enim vero quotiescunque apud Varronem lego Turdorum tot millia in aviariis asservata, adeo mihi salivam movent: sed vereor dicere; dicam tamen: illum etiam auctorem quem, ut par est, plurimi facio, Turdos contra cederem. Sic enim suadet Venusinus vates: sic etiam Celtiberius: sic denique meum palatum. Sed convivam nimis vellem vidisse tuum, quas delicias faceret, quos tu illi ludos; cujus operam non pransum te vocasse suspicor, sed spectatum. Illum autem, dum strenue tuo fungereris munere, nullus ambigo Turdum arripuisse, ac ne plane Artotrogus Plautinus esse videretur, te imitari occoepisse. Iccirco hominem nullo negotio ad cerebella, etsi religione tactum impulisti, qui ad ea integram famem afferebat. Deinde, quod naviter oryzae operam dederit haud miror, quando nostratibus est in deliciis. Ego vero Neapolitanos imitatus raro illo exotico pulmento, quod Graecia sero gustavit vescor. Olla Hispanica, ipsis etiam Italis inter obsonia in honore habita, elegantissimis palatis certe digna est. Sed cur Fulicas, seu φώικας convivae amicissimo apposuisti? Profecto hominem exigere voluisti ex aedibus illo extremae latrinae lutulento foetore. Ea de caussa non tam inimica est Harpae Fulix, quam ego illi. Querquedulas, aut Anates, etsi non totas Martialis probat, mallem, quam malis, ac fuscis avibus obsaevum, atque ominosum mihi apparari convivium. Napis Amiterninis, quos haec educat tellus praeponis: quapropter cum notas aliquas ad Plinium subjeceris, id monumenti appingere memento, ut hoc excellens patriae nostrae ornamentum ad exteros transferatur. Quoniam autem napis Turresius delectatur, suspicio subit non multum abesse illum a cucullo, ac resti Franciscana. Si me amas, id fac brevi sciam. Nae ego stultus, ni hominem ab hoc cibo deterrerem. Sed ubinam est caseus Balearicus? ubinam mensae nostrae κολοφών? profecto nullus est. Ecquidnam est hoc monstri? haberes saltem caseolos illos Virgilianos, quos juncea siccat fiscina. Sed quid verbis opus est? totum prandium tibi habeto. Non equidem invideo, dummodo tuum judicium de Fulica sane integrum habeam. Non enim sunt nugae, sed doctrinae solidae arcana sanctissima. At quod inquis, te magis implicare Vossium, quam expedire, non satis teneo. Nam dicit: *Omnino vox est a φαύξ.* Hoc quantum ad Etymon. Nigram, seu furvam esse non it inficias, neque avem esse aquaticam; quae quidem, si conjectura vocem licet exponere, cum Fulica satis conveniunt. Sed fortasse haud tecum juxta rem expendi. In Turnebo certe nihil loci est, ne conjecturae quidem. At vero περὶ τοῦ ἐρωδιοῦ, quem allegasti, nemo meo judicio expeditius quam Bibliorum interpres negotium tractavit, qui ipsum nomen Graecum reliquit, ac propterea aspirationem addidit. Ita Psalm. CII. *Herodii domus, &c.* Schrevelio, ac Vossio *Ardea* est, & utris-

que

que παρὰ τῷ ἔρωτι. Sed ego insulsus, qui haec ad te, cujus domus parietes plura, ac multo meliora sapiunt. De lagenis Saguntinis mihi curae erit: & si quicquam aliud curatum velis fac sciam. Nisi tu ad montes patrios, ego ad te cogito, ut te, tuumque convivam oculissimum, eximios Musarum cultores complectar, ac dissuavier. Interim his lancibus si nos invitare pergis, faciam te ut plurimum amem. Si autem non ita otio abundas, ut id praestare possis, hoc oneris Turresio imponas velim. Valete charissima mihi capita, ac multum vos oblectamini. Di faxint ut aliquando me vestro lepore frui liceat. Iterum valete. Sagunti, VIII. Idus Novembreis, MDCCII.

XXIX. EMMANUEL MARTINUS

EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

S. D.

Saguntum.

SOror mea unica germana, quam ante me diligebam, vel, ut ἐμφατικώτερον dicam, amabam; elata est. Qua quidem plaga nihil accidere mihi potuit acerbius, nihil calamitosius. Itaque, Mignana mi, si me amas, ut certe amas, & me cupis incolumem; dolori nostro, quo vehementissime discrucior atque discerpor, fer suppetias & subveni. Unum enim potest esse solamen in altissima hac animi aegrimonia: officium tuum, quod nisi in me consolando diligentissime adhibueris, animus certe moerore fractus deficiet atque labascet. Amisi sororem mei amantissimam, optimam, αὐτοκασιγνήτην. Accedit patris dolor, omnium mortalium aerumnosissimi. Undique doloris aculeis circumventus sum; quibus miserrime intercludor, quo ad te pluribus scribam. Infinita enim vi lacrymarum obruor. Circa Nonas Decembreis ad latibulum patrium volo: iter habebo isthac, & te dissuaviabor. Ad VI. Idus Novembreis, MDCCII. Vale.

XXX. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO S. P. D.

Valentiam Hedetanorum.

QUanta obſervantia te ſemper coluerim, & quam ſancte tua monita, a quibus certe vel transverſum unguem diſcedere religio eſt, habuerim; tute es optimus teſtis. Verum, qui in te meus eſt amor, etſi me hortatus fueras, ut auctoribus Graecis tantum meam locarem operam: teque facile, ut noſtris conſuleres inſtitutis, ferre ajebas meis literis carere; tamen a nonnullis diebus tuarum deſiderio tam diu teneri aegerrime ſuſtinebam. Quapropter vel amori noſtro in te ſingulari, vel tempori, quo ſtudiorum moleſtiam ac laborem quaſi reſpuere debemus (Lupercalia enim ſunt) condonatum abs te velim praeter id nos facere ac moniti ſumus. Eſt etiam operae pretium de noſtris ſtudiis quod ad te ſcribam. Nam cum apud Illuſtriſſimum Joannem Caſtelvinium una eſſemus, & quae ſua eſt comitas, ingeniique amoenitas, jucundiſſimis nos excepiſſet quaeſtiunculis ex aſſidua bonorum ſcriptorum lectione excerptis, inter alia quadrigarum certamen olim factitatum in ſermonem intulit: deque ratione currendi quaedam non ſatis ſibi explorata eſſe dicebat; ſubjungens, eum, qui locum ad laevam nactus eſſet, uti metae proximiorem, jam tum victorem cenſeri poſſe, antequam effuſi equi curſum inirent, quippe minori ambitu curſum conficiebat. Contra, iis, qui remotiorem locum obtinebant, niſi quis Deus adeſſet, vix praecurrentis pulverem colligere, cum majus ſpatium eſſet dimetiendum, nedum aequata fronte ferri poſſe. Proinde hi jure tanquam in diſtributione locorum injuria affecti conquererentur. Sic probe memoria teneo illum diſertiſſimum, juxtaque nobiliſſimum virum rem expendiſſe. Sed cum ad alia quam plura tunc temporis ſermo converteretur, ſaepe me hujus eruditionis ſubiit cogitatio, ac vehemens exculpendi verum inceſſit cupido. Igitur quoniam nunc jam rem ipſam mihi videor tetigiſſe, tanti viri pace illius argumenti vim diluam, atque, ut potero, in verba pauciſſima quicquid id eſt negotioli conferam. Quantae fuerit exiſtimationis ac dignitatis in hoc certamine primas ferre, vel ex eo facile animadvertere eſt, quod inter ea, quae Philippo Macedoniae Regi uno die gratiſſima nunciata ſunt, quadrigas ſuas Olympia viciſſe accepit. Ideo diligentiſſime, atque accuratiſſime tales ludos curari nemo eſt qui dubitet. Cum autem in locis diſtribuendis aequabilitas ſervari nequaquam poſſet, & rei difficultas commoda, & incommoda aeque parti-

ri

ri non permitteret, ad ſortes recurrendum erat, ne quis in re tanti momenti jure quereretur. Quod Homerus Ἰλιάδ. ψ. aperte expreſſit, dicens:

——— ἐν δὲ κλήρυς ἐϐάλοντο.
Πάλλ' Ἀχιλεὺς, ἐκ δὲ κλῆρος θόρε Νεϛορίδαο
Ἀντιλόχυ. μετὰ τὸνδ' ἔλαχε ἀρείων Εὔμηλος.

Deinde ἐν τῇ αὐτῇ idem legitur his verbis:

Κλήρυς δ' ἐν κυνέη χαλκήρει πάλλον ἑλόντες.
Τῦκρος δὲ πρῶτος, &c.

Sortitionemque duobus tantum certaminibus adhibuit, in quibus primum tenentibus locum multum compendii ad victoriam obtinendam accedebat. Pulchre Virgilius hoſce verſus Libro V. Aeneidos de ludis agens, quos Aeneas parentandi gratia edidit, aſſuit, dicens in Navali Certamine:

Tum loca ſorte legunt.

Et in Sagittarum ἀγῶνι.

Convenere viri: dejectamque aerea ſortem
Accepit galea.

Ergo cum loca ſorte unicuique attribuerentur, nullus profecto jure queri poterat, quin Plautinum Chalinum vellet agere. Qui autem deteriorem locum ſortiti erant, labore ac induſtria, quod minus ex ſententia ſors ceſſiſſet, ſi quis aditus ad victoriam occupandam pateret, eo diligenter utebantur. Nam cum illi grave immineret periculum, qui metam radere audebat, ut in eam currus illideretur impingens; ut eſt illud Neſtoris apud Homerum:

——— λίθου δ' ἀλέαϭαι ἐπαυρεῖν.

Et Horatius Ode I. indicavit, cum dixit:

——— *metaque fervidis*
Evitata rotis. . .

Etiam curae erat aliquantum ad dexteram flectere, quod de Menoete Virgilius commentus eſt. Tunc vel cum diſcrimine, ſine quo nullum fit facinus

 cinus

cinus magnum ac memorabile, ab eo, qui ſecundus curſum tenebat inter praecedentis currum metamque locus occupatus, jam in primo gyro victoria anceps reddi poterat. In rem noſtram divinus Vates, qui navium certamen ad quadrigarum imaginem effinxit:

Ille inter navemque Lyae, ſcopuloſque ſonanteis
Radit iter laevum interior: ſubitoque priorem
Praeterit.

Porro cum ſepties circum metam quadrigae flecterentur, ut inquit Propertius Eleg. 11. 25. (& vulgare eſt)

Aut prius infecto depoſcit praemia curſu,
Septima quam metam triverat ante rota.

Non ſemel aurigis id facinoris erat incoeptandi locus, ut equorum pernicitas, aurigantiumque dexteritas magis conſpicua foret: & qui modo alium curſu praevertebat, modo ab alio pari ſollertia ac periculo ſuperabatur. Tum etiam plura intercedere, quibus alii impediti expeditioris curſum nequaquam aequare valerent, nullus dubito. Phoenicem autem in ſpecula, ut curſum conſideraret, ac veritatem referret, ab Achille conſtitutum cum Homerus docuit, moris eſſe plane oſtendit Judices deſignari, qui uniuſcujusque virtutem, dexteritatemque aequa lance penſarent, ac victoribus praemia decernerent. Nam aſtu ac dolo palmam meruiſſe victorem nequaquam credere eſt: quod Homerus ſignificare voluit cum Menelaum Antilocho inducit iratum. Hoc ipſum Virgilius (ut pene omnia hujus poeſeos) etiam uſurpavit, Salium Niſi aſtutia deluſum producens, ac ſpectaculum omne queſtibus implentem ob praereptum honorem, qui a frequenti conſeſſu Euryalo deferebatur. At vero quantum populi favor effuſiſſimo ſtudio ad ludos concurrentis, cum ex Graecia tranſlati Romam, ubi eximie culti celebratique fuerunt, valeret: immo temporis curſu procedente ipſius principis gratia, qui illi factioni, cui plurimum erat addictus, victoriam plerumque tribuebat, abunde proditum eſt. Atque adeo partium ſtudiis Romani exarſere, ut nonnunquam res ad tumultum procederet, ad pugnam, ad caedem: contentionis dux non raro leviſſimus quisque e plebe factus. Ideo quoque ignaviſſimo cuique, ac male inſtructo ſpes erat reliqua palmae obtinendae non omnino incerta. Haec ſunt, mi Martine, quae te conſultum volebam: nam etſi mihi tam liquida videntur, quam tempeſtas eſſe ſolet; me tamen non hercle φιλαυτίᾳ transverſum agi patiar, ſed ad Pyrrhonios plane deficiam. Has denique ineptias ad te ſcribere non ſum veritus, cum non ſim neſciens eſſe tuae humanitatis, quidquid hoc eſt quod facimus, boni conſulere. Ego quidem certe

te

te omni ſeſamo, & papavere aſperſa, immo ſale condita ex illo mare collecto, in quo Venus exorta eſt, quaecunque ad te mitto vellem, cum non me fugiat, ejusmodi te deliciis apprime delectari. De his tamen hactenus. Turreſii literas nondum accepi, quanquam mihi eas ſaepe pollicitus ſuit. Vereor, ne, ut ſum plumbeus, noſtri joci graves, moleſtique illi videantur. Ego vero, qualis qualis ſim, humanitate vinci turpiſſimum exiſtimarem. Tu interea dum hyems deſaevit, camino luculento utere, & da operam ut valeas. Sagunti, XV. Kalendas Martias, MDCCIII.

XXXI. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE *ſuo* *S. D.*

Saguntum.

FErreus es, niſi riſu diſrumperis. Proxima nocte Panſano tuo deſponſa eſt Florentiana puella, ut mihi pol viſa eſt, nec invenuſta, nec illepida. Impoſitum mihi eſt munus aſſidendi ſponſo, ut eum officii ſui admonerem, nutuque noſtro, opera, arbitrio cuncta moderarer. Bovi clitellas. Quod ego, ita me Dii, miſerius eſſe duxi, quam in crucem tolli. Ut in has rerum anguſtias deductus ſum, aeſtuare protinus, inquieto animo ferri, ſponſaliorum ritus perpendere. Circumſpiciebam omnia, ut ſi quod forte pateret effugium, graviſſimo oneri me ſubducerem. Retrahebant autem vetus commendatio tua, & charitas erga te noſtri. Abjecta igitur omni cunctatione, ac pudore illo ſubruſtico deterſo, ſtatui difficilem eam provinciam pugilice aggredi. Quid multa? Amico tuo nullo loco defui, adeo ut perquam ſperem fore, ut ſatis tibi nunc cumulatiſſime fecerim. Sin aliter, alium tibi quaere παράνυμφον. De autographo noſtro exſcribendo tibi antiquiſſimum eſſe non ambigo. Ne chartarum defectus operae tuae curſum intercipiat, Panſanus medicus alterum ad te ſcapum. Tuis unis & alteris alias reſcribam. Vale mea dextella. Valentiae Hedetanorum, VII. Idus Julias, MDCCIII.

XXXII. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

S. D.

Valentiam Hedetanorum.

EGo vero, mi Martine, tuis ultimis ad me rubore ſum plane ſuffectus, atque animo vehementer perculſus. Siquidem me inquis fuiſſe in cauſſa cur tu facinus, ut mihi viſum eſt, non nimis ex tua dignitate, novum ſane ac inuſitatum incoeptaveris. Cui enim non monſtri ac prodigii ſimile videatur immanis ſupercilii Philoſophum, animique atrocis παράνυμφον facere? Scilicet, quaſi parum feciſſe viderere, quod τὸ προξενεῖν miram dexteritatem cum explicaſſes, illud primum, ne quid nugarum deſideraretur, mantiſſae loco adderes. Heu ſcelus! inquies: Itane in amicum, perque officioſum? Nihilne ingrati animi veritus es notam? Caſſae glandes. Non enim tu neſcis de qua tibi nota hominem commendaverim. Tum etiam non adeo de noſtro pudore eſſe actum, ut rem & inſtituto & exiſtimatione tua tam alienam tibi committerem. Nec eſt quod te mei benivolentia tueare, quod facis, ac tuo in nos amore id muneris mihi expenſum referas; nihil ages profecto. Tuum enim mei ornandi ſtudium ſaepe alias perſpectum habui. Nihil iſthaec moror officia. Quam ergo nunc excuſationem afferas plane non video. Id unum tibi certe defuit, flabellum nempe arripere ac ſponſae dum caperet ſomnum quam placide ventulum facere. Cave tamen ſis me quicquam de flabello Saguntino dicere, nec dictum velle. Noſti caetera. Pluribus ego te verbis onerarem, ſi noſtrae erga te charitati, unde haec ſunt profecta, faciendum eſſet ſatis. Piris iccirco te potius onerare ſtatui, quod haud gravate feres, quandoquidem ille Cicero ob cujus ora Graji obvertebant ſua, Malis etiam onerari quam facile tulit. Euſtathius nos exercet tuus, & adeo bene valemus, ac noſtrae ſumus ſpontis, ut labori vel improbiori vires etiam ſuppetant. Da operam ut valeas. XVII. Kalendas Sextileis, MDCCIII. Sagunti.

XXXIII.

XXXIII. EMMANUEL MARTINUS

EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

ſuo dulciſſimo

S. D.

Saguntum.

NUdius ſextus honeſtiſſimi ad me hoſpites: Tranquillus, Nepos, Papinius: qui ex confluentibus Araris & Rhodani haec litora adnavigarunt. Supercilium extollis? Neſcis quocum homine tibi negotium ſit. Juſſeris: vel ipſum Lugdunum Celtarum tibi ſiſtam. Ajunt ſe Saguntum deſtinato petere, & gurguſtiolum tuum. O te venuſtum, qui tam elegantes habebis ſodales! Id; unum vereor, ne meo jumento mihi malum acceſſiverim, & dum nimio in eos ſtudio incumbis vel ab Euſtathio noſtro penitus retraharis, vel ad eum oſcitantior accedas. Si quem, cui recte committam, indicaveris, curabo ad te actutum. De apographo nobis transmiſſo multum te amo. Reliqua quo loco ſint, ſcribe ſyllabatim. Pyrgeus inſtar plumae aut folii: modo huc, modo illuc. Noſti juvenem, ſponte ſua devexum ad otium, & nocturna conventicula. Itaque eo progreſſus eſt inertiae, quo non audeo dicere. Priore menſe habuimus eum vehementer σπληνώδη: ſed ope καθάρσεως, & opera Perezii medici, ei meliuſcule eſt. Ama nos, & vale. Huì! prope oblitus ſum, quod maxime fuit ſcribendum. Excellentiſſimi Principis Antonii Mendozii admiratione & benivolentia in coelo es. Supra modum te cupit. Itaque ubi primum extricare te poſſis ad ejus amplexum. Quotieſcumque ad futiliſſimi ἀνταγωνιστοῦ deliramenta ſermo excurrit, ingens cachinnandi materia. Ajunt τὸν δεῖνα mira ineptiarum portenta effutiiſſe. Haveo ſcire quid hominis ſit. Dum haec ſcribebam, eram crepidatus & tunicatus prae graviſſimo aeſtu. Cura ut valeas etiam atque etiam. Valentiae Hedetanorum, VIII. Kal. Sextileis, MDCCIII.

XXXIV. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

S. D.

Saguntum.

ITane? Literas ad nos petaſatus, & e media via? Adeone moleſtum fuit tria illa verba exarare: NUM QUID VELLEM? Bellam fidem ſcilicet, nobis inſalutato iter arripere. Id ſi ego feciſſem, quem tu me hominem diceres? Hem ſcelus, & amoris, & fidei noſtrae ludibria! I nunc, & deperi errones iſtos, queis illud in deliciis: amantem conficere. Haud tamen adeo miſera eſt conditio noſtra, ut non habeam quo te retaliem. Quandoquidem ſunt apud me expectatiſſimae tuae deliciae Tranquillus, Nepos, Papinius. Faciam ſcilicet ut eorum deſiderio contabeſcas. Quod nemo vitio vertet, qui ſciat amorem eſſe φιλαίτιον & μεμψαίτιον. Vale. Kalendis Sextilibus, An. MDCCIII.

XXXV. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA; EMMANUELI MARTINO

S. D.

Valentiam.

BInas abs te epiſtolas accepi, quarum altera, ut viſum eſt, nihil non rerum ſatagebat, ut ad eam voluptatem, quam apud veterem hoſpitem nempe Vilarium noſtrum diverſatus habebam, quam maximae fierent acceſſiones. Siquidem per varias itinerum ambages ad nos tandem anhelanti ſimilis pervenit. Maturius autem quam ſperabam illos quos narras hoſpites curaſti ut animo jam nunc amplexarer, ac brevi, quod bonum felix fauſtumque fiet, hoſpitio liberali exciperem. Nae tu nihil agis, quod tuae in nos mutuae charitatis opera, cum lepore quodam non ſit peractum. Id unum abs te vehementer exoratum vellem, illos interea comiter, dum apud te erunt, atque, ut tui moris eſt, lepide ac feſtive tractes. Omnia enim illorum cauſſa diſcupio. Quod Excellentiſſimi Principis in nos amorem ac benivolentiam nimis vere, ut arbitror, extollis, bonam tibi eſt quod habeam gratiam, quandoquidem nullum non moves lapidem,

pidem, ut me in tanti Principis gratiam insinues. Non enim sum nesciens haud jure id voluntatis mihi adscribi, cum non tam nostro ingenio, quam tuis optimis in me officiis demeruerim. Venio jam ad alteram, in qua sunt nonnulla, quae mihi non parum negotii exhibent. Adeo enim tribus verbis me male accipis, ut homini inimico quid reliquum facias, plane non videam. Criminaris siquidem quae recte fecerim, vel quia ita fert tui ingenii pronitas, ut vel minutulas etiam invenias caussas, quibus tuum in nos imperium, cui te meus praefecit amor, exerceas; aut certe ut cum tuis nos increpationibus in ruborem conjicias, amoris nostri impetus, tanquam si essent sopiti, commoveas, atque ad omnia obsequii munia obeunda reddas alacriores; vel denique me cum otiosus esses, plane ludos facere, animum induxeris tuum. Quod si ita, ut subit suspicio, res habet; necesse est fateare te praeter facere quam aequum est; si autem ut nostrae in te benivolentiae, seu pietati potius stimulum addas, operam ludis profecto, cum meopte ingenio atque animo, ut ipse saepissime expertus es, grato tibi sim deditissimus; si vero nos pro ludibrio habes, nescio hercle, ex ea re quidnam tibi instet commodi. Bellam tu meam fidem, quod nostris ex literis verbum excidit sane levissimum: bellam ego tuam gratiam, bene quod merentem amicum ac tibi obsequentissimum male carpis, & amicitiae, immo multo potius humanitatis oblitus enecas prorsus ac dilanias. Poeniteret te nimirum tui facti, si scires quam me animi excruciaverim, ut quem invenirem, cui & literas qualescumque subito exaravi, & apographum tuto committere possem: quandoquidem tu me scientem fecisti pergratum tibi fore si ad te illum quantocyus mittere curarem, quod certe nisi e media via, ut inquis, praestare haud poteram. Periit omnino nostra opera ac diligentia, quam adhibui maximam ut solidam abs te inirem gratiam: nam cum haec vix appareat, nae ego infelix homo sum nimis, cujus in te beneficia pro nihilo existimantur. Sed eum mihi animum comparavi quem abs te nulla abalienabit contumelia. Saguntum ego, ut puto, perendie. Vale, ac nos, si aequum existimas, ama. Pridie Idus Sextileis, MDCCIII. Ex genii nostri hospitiolo.

XXXVI. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

S. D.

Valentiam Hedetanorum.

JAm diu eſt quum nullas ad te literas, quum a te nullas. En tria verba duabus ἐκλείψεσιν exſecta, ac decurtata. Riden'? plures hodie tibi figuras impingam, quam habet ſaltatio ſtaticulos, & neuroſpaſtum geſtus. Subit enim verſiculus ille Virgilianus:

Vela dabant laeti, & ſpumas ſalis aere ruebant.

In quo tredecim reperio figuras. Nam primum omnium in genere eſt ἐνάργεια, quam Cicero Academic. Quaeſt. Lib. 4. vocat *evidentiam.* Quae ita luculenter rem oculis ſubjicit, ut geri potius videatur, quam deſcribi. Item περίφρασις: pro *navigabant.* Deinde ὑστερολογία, ſive πρωθύστερον, nam ſecundae navigationi praecedit laetitia, praepoſtero rerum ordine. In ſpecie vero poſuit *ſpumas ſalis*, pro mari ſpumante: per ἀντιμέρειαν, quae tunc fit, quum unum pro alio ponitur, ſervata congruentia. In eodem eſt συνωνυμία. Item ταπείνωσις, qua rei magnitudo, vel dignitas minuitur: ut quum dicimus *ſal*, pro *mare.* Quod etiam fecit Ennius Annal. 14.

Caeruleum ſpumat ſale, conferta rate pulſum.

Aes pro aeratis roſtris μετωνυμία eſt: quia materia ponitur pro re ex ea confecta. Roſtrum pro navi, pars pro toto: συνεκδοχή. Roſtrum non nominatur, ſed ſubauditur: ἔλλειψις. Sunt in eo porro quatuor ἐναλλαγαί: numeri videlicet, qualitatis, generis, figurae. Numeri ἐναλλαγή, in *aere.* Singularis pro plurali. Nam multae erant naves. Qualitatis, quia ſubſtantivum ponitur pro adjectivo: *aes* videlicet pro inſtrumento aereo. Generis, quia verbum neutrum ponitur pro activo: *ruebant.* Figurae, quia verbum ſimplex pro compoſito: *ruebant*, pro eruebant, vel perruebant. Videſis porro, num ſit ὀνοματοποιία in verbo *ruebant*, ubi ſyllaba *ru* ſpumae ſonitum repraeſentat. Cura nihil aliud, niſi ut valeas. Ex Muſeo noſtro X. Kal. Juniis, An. MDCCIV.

XXXVII.

XXXVII. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

S. P. D.

Mantuam Carpentanorum.

LIteris abs te nuperis puella Gaditana agilioribus diem mihi ſane luculentum dediſti: obverſanturque etiamnum ante oculos geſtus illi lepidiſſimi, quibus tuae epiſtolae ſingula quaeque verba σχηματιζόμενα micare videntur, teque produnt ad eam artem magiſtrum eſſe unicum; cui vel Athenienſis ille Pothinus primas cedat. Miratus ſum tamen hominem ſummae gravitatis artem ludricam facere inſtituiſſe. At qui non faceres, me praeſertim inſtruendi gratia? Non enim illa ſunt tanti, ut tuum in me amorem, cujus ſaepe ego expertus ſum ἐνέργειαν, poſſint remorari. Placent tua illa σχήματα, quod & tua, & quod venuſtiſſima. De illo autem quod mihi poſtmodum ſignificaſti, exemplum reperi, quod Euſtathius affert ex Homero, ἦλθε θεῶν ſcilicet; nomenque ab Scholiaſte inditum ἐπαναστροφή. Impropria tamen figura in illis verbis: *Spumas ſalis*. Auditum enim neſcio quid titillat concurſus ille ſimilium literarum, quod facile ſono deprehendere eſt. Nihil ego te pluribus, tot per hoſce dies tantisque negotiis diſtrictum. Hoc unum abs te vehementer velim, me tui amantem ſemper redames; in cujus rei pignus dexteram en tibi meam, cedo tuam. Excellu a

XXXVIII. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

S. P. D.

Mantuam Carpentanorum.

SI vales, bene eſt: ego quidem valeo. Ex literis amicorum, & ex multorum ſermone cognovi quam recte apud te omnia gerantur, & quantum nobiliſſimi juxtaque ſapientiſſimi Principis ſtudium exſtiterit augendae dignitatis tuae. Non enim fuit aut mediocre, aut obſcurum, aut ejusmodi, quo familiaribus tantum, vel iſtic degentibus notum eſſet ac manifeſtum;

stum; sed usquequaque excellentissimi viri in te amoris ac benivolentiae rumores satis constantes perferuntur. Quo factum est, ut omnes uno ore, qui haec non repentina aliqua voluntate, aut fortuito accidisse cognorant, & sortem tuam laudarent, & tanti Principis benignitatem liberalitatemque utraque manu in coelum ferrent. Quae omnia ornamenta, pro nostra in te veteri consuetudine, meis (si quae sunt) multo mihi esse gratiora existimes, vehementer velim. Scis bene qui meus in te sit amor, quae nostrae voluntatis memoria, quae denique amicitiae fides. Quapropter tibi etiam atque etiam gratulor, cui talem ac tantum Mecaenatem, florentem ingenio, aetate, ac bonis omnibus fortuna reservavit, ut studia literarum nostra in Hispania jam diu collabentia ejus praesidio firmentur, ac tua opera in pristinum nitorem restituantur. In tot igitur bellorum temporumque motibus, in tanta conversione rerum ac perturbatione, nullus est profecto qui non admiretur clarissimi patroni tui ingenium, atque in rem literariam quam devexum animum, qui te, quasi nulla alia cura districtus, hujus militiae Achillem ultro arcessens, imo sollicitans, sibi affixum esse velit, ac demum in studiis literarum proponat auctorem. Ego vero sic existimo, eam esse istius optimi Principis virtutem, eaque animi bona, ut Musarum cultum adjungere animum induxerit, ne quid deesset sibi, quod nomini ac nobilitati familiae esse posset ornamento: atque omnia simul una domus contineret, quae singula aliorum amplissimas nobilitare consueverunt. Iccirco non tam ego excellentissimi Principis magnitudinem animi atque praestantiam in sedandis Neapolitani Regni tumultibus ac seditionibus, atque inimicis augustissimi nominis Borbonii profligandis (quamvis rem illam alea plenam strenue administraverit, in qua avitum ac regium specimen praebuit) praedicandam censeo, quam illam praeclaram indolem in capessendis studiis literarum, teque unicum nostratium complecti ac fovere earum assertorem ac vindicem. Quin etiam, licet nulla unquam antea egregia facinora edidisset, hoc uno certe pulcherrimo tantum sibi nomen faceret nunquam intermoriturum, ut reliqua facta, quae ab ejusmodi principibus requiruntur, ab isto tuo omnium maximo minime desiderarentur. Haec, mi Martine, (quod inter nos dictum sit velim) me bona spe complent, ut putem tua commoda maxime illi fore curae: teque per hunc gradum ad summum dignitatis fastigium breviter esse perventurum. Tu interim cura ut valeas, meque mutuo diligas. Valentiae Hedetanorum, IV. Non. Septemb. An. MDCCIV.

XXXIX.

XXXIX. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

Professori Valentino

S. D.

Valentiam.

Quod stirpibus evenire solet, si ex nativa uligine translatae alio fuerint, deficere nempe aliquandiu ac marcescere; id ego per hos menses expertus sum. Ut hanc Urbem adii, cum novitate gentis morumque, ac videndi cupidine, tum domesticarum rerum tricis, quae migrationem consequuntur, distractus districtusque; ita mihi videor obtorpuisse, ut in viam officii redire mihi esset perquam molestum. Quoniam vero humanissimis tuis, comitate ac benivolentia plenis, ad intermissa literarum officia ultro me provocas atque lacessis; faciam scilicet quod sagittarii solent: post interjectam remissionem intentius jaculabor. Pupugitne te verbum? apage hunc metum. Alio oculi nostri collimant. Ad hanc nempe Urbem, omni vitiorum labe inquinatissimam corruptissimamque. At vereor ut satis possim, in tam infesto eorum agmine, quod me undique circumstat; imo obruit. Enitar tamen. Primum itaque, tota regionis facies Urbi subjecta & circumfusa, tetra, arida: denique tam glabra quam haec est manus. uno verbo: mera vastities, mera solitudo. aestate soles assi & torrentes, quibus viarum silices candefacti, maligno quodam afflatu ingredientes afficiunt, eorumque vestigia in morem suppositi ignis comburunt ac vexant. Aestus porro genus molestissimum & noxium. Nam deficiente anima, & anhelitum aegre trahente; corpus tamen aret, sudoris expers. Hyeme major coeli inclementia; nam & aer rigidissimus, & Plautinus ille Vulturius rabidissimus: qui insita quadam raritate tenuitateque corpus non tantum pungit ac verberat, sed transverberat. Imbres item effusissimi & contumaces. Nebulae statae & solennes, discussuque difficiles. Et tamen incommoda haecce inter delicias computabis, si cum viarum immunditia ac sordibus conferas. Quicquid calcas, quicquid vides, quocunque te vertis, omnia obscoena, omnia polluta, omnia demerdata. Nihilque praeter Aristophaneum illud: βόρβορον πολὺν, ϗ σκῶρ ἀεὶ νῶν. Imo mera illuvies, & hesterni cibi reliquiae quae cum coeno mistae & confusae, colluviem illam fermentant, quae vias & compita replet, qualibet peste tetriorem, cujus fumos indigenae avidissimis naribus hauriunt: monstra, non homines! Quo fit, ut si Urbem hanc πλα-

τυά-

τυάγυιαν penetrare pedibus velis, fruſtra fueris. Quod me hercules aerumnoſiſſimum, & laboris ac miſeriarum plenum. Valeant Mantuanorum iſtae munditiae Civium naturam & indolem quaeris? Genus quoddam hominum ex hoc eodem luto. Furax, alieni appetens, ad pocula devexum, loquaciſſimum, arrogans, jactabundum. Patres familias craſtina nihil curantes, bonorum profligatores, ad liberorum fortunas parum attenti. Quid foeminae? (de plebe loquor) illoto ore; quam tamen (ſi Dis placet) dicendi libertatem, & impudentiam, rigidiſſimi hi Cenſores urbanitates appellant ac facetias. Phy! Nec corpus lingua pudicius. Venus ubique obvia, in veſtibulorum latebris, in angiportis. Scorta paſſim diobolaria ſui copiam licitantia. Denique:

—— Scortorum plus eſt fere,
Quam olim muſcarum eſt, quum caletur maxume!

Frontem contrahis? O, quas ego te res, niſi pudor & verecundia prohiberent! Sed haec coram potius, quam per epiſtolas. Quid dicam de juſtitiae trutina? Eo vergunt ancipites illae lances, quo plus aeris. Sanctum aequitatis nomen contemtui ac ludibrio. In ſumma, omnia ſusque deque. Ex qua praepoſtera ac perturbata Reip. conſtitutione, extrema illa oritur rerum omnium caritas. Si mendicos excipias, & pecuniarum corraſores. Obvia quippe mendicabula, hominesque proletarii & capite cenſi. Et haec quidem graviora hoc tempore, quo nobis Gallicus hic Phoebus illuxit. Sed quid ille in tam alta caligine? Diſſipet, diſcutiat, diſpellat: & in haec Reip. ulcera quae occalluere, ferrum & ignes. At haec ille viderit, cujus intereſt. Nos interea anili more garrimus, ac deblateramus. Sed hac ſuper re nimis. Jano Baſilio Caſtelvinio, amico noſtro, ante paucos dies decem numismata miſi ad Valentiam pertinentia, ex numatione noſtra. Haveo ſcire num illi grata, & quid de notulis ad ea noſtris. Di immortales! quodnam illud palatum! quam ſagax, & non publici ſaporis! Roſa Caſtelvinia, ejus ſoror, venuſtiſſima puella, aqua intercute laborat, vel potius ſpiritu. Nam τυμπανιτὴν eſſe inter medicos convenit. Unus Anſaldus ἐμφύσημα eſſe contendit. Sed quid inter iſta diſcriminis? Utrovis nomine hunc morbum appelles, a ſpiritu diſtentio. Ab Iſidoro Coſta recentes ad me literae, plenae benivolentiae & priſtini candoris. Scribit ſe admirabiliter exhilaratum noviſſimis patriae noſtrae laudibus. O, in corruptiſſimo hoc ſaeculo, virum gravitate, fide, probitate, inſignem! Borullio noſtro velim gratias, quod librorum transmiſſionem adornat. & chariſſima ejus pignora diſſuavia. Coraccianus in viſceribus mihi haeret. Eumque:

—— Dum

——— *Dum ſpiritus hos reget artus*,

abſentem memoria colam. Orationem tuam avide exſpecto. Habes epiſtolam bene longam. Salve ab eo qui meritiſſimo te amat Martino tuo, & mutuiter me redama. Mantuae novae in Carpetanis, III. Non. Decembreis, MDCCIV.

Sed hui! Fugit me ad te antea ſcribere de Euſtathio noſtro. Quem ſi una cum caeteris libris ad me perferendis accepero, ſcito, omnibus in rebus me fore in tua poteſtate.

XL. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

EPiſtolam ad me tu, vir optime mihique chariſſime, bene longam. Fortaſſe ut longi temporis uſuram, qua caruimus, uberrimo literarum fructu ſarciamus. Nam & ego ad te viciſſim pluribus ſtatui, ut & haberi a me gratiam, &, ut opis eſt noſtrae, longiori epiſtola referri, facile cognoſcas, cum non maxime ſim neſciens, putare aliquid ſolere te, eſſe meas nugas: atque ita fore, ut longis literis utriusque noſtrum abſentis deſiderium leniatur. Quam igitur ex ea mihi voluptatem ac jucundiſſimum oblectamentum! in coelum abire viſus ſum. Nunquam enim epiſtolam legi tam venuſte Latinam. Stat ſemper robuſta oratio ſanique coloris, cadit nunquam. & tuus ille nativus dicendi ardor, quanquam Attico ſale ſiccatus; tamen naturali quadam pulchritudine exſurgit, majeſtatis ſuae pondus habens citra tumorem. Videre mihi ſane videor priſcae illius Latinitatis imaginem ad amuſſim expreſſam, & ſimplicitatem Romanam nullo fuco meretricio affectam, ad vivum repraeſentatam. Quapropter piaculare mihi videbar admittere, ni ſtatim illam ad Excellentiſſimum Principem juxtaque ſapientiſſimum Pyrgopalaeum noſtrum. Qui haud multo poſt mihi gratias agens verbis dejeravit conceptiſſimis, id ſibi accidere, tuis lectis, quod iis, qui ſymphoniam aliquando audierunt, evenire ſolet, quorum animis illa manet fixa modulatio, atque ex intervallo maxima cum voluptate recurrit. In ſumma extorſiſſet in ſcriniis aſſervandam, niſi fidem dediſſem exſcriptam me ad ipſum poſtridie eſſe remiſſurum. Quid Borullius pater? inquis. Juſti ut ad me. Ille vero bene mane geminam attulit, alteram charta exaratam, alteram memoriae altiſſime fixam. Prae-

terea suavissimus pater Josepho F. per publicos tabellarios communem fecit. Isidorus Costa, vir ad unguem, ac praeter vulgus eruditus, qui te summa observantia semper coluit, mirifice gaudet, te sui nominis famaeque buccinatorem. Dolet te tamen ex clementissimo hoc coelo, quasi in alium orbem terrarum esse delatum. Hic enim (ait) aestivi soles citra molestiam; hyberni ita horrifici Boreae rigorem, si quando exsurgit, demulcent, ut Zephyrum placidissimum potius credas: atque ita regio haec suo florum omnisque amoenitatis ornamento nunquam exspoliata, merum viridarium, ac solidae voluptatis locus aeterni veris beneficio videatur. Ita enim sub ipsam brumam suave spirant arva, virent arborum comae, prata omnia rident, ut hospites, cum primum ad nos veniunt, facile sibi persuadeant, anni tempora celerius quam alias cursum confecisse suum. Liquidum coelum defaecatum & sudum nebularum obversaculis minime obnoxium. Tota regio a septemtrionibus & solis occasu venienti in modum vastissimi maris panditur, ut tractum hoc ad oram maritimam immensa sit planities, quam terminare oculis haud queas. Ferax & mite solum, imbribus aquarumque diverticulis veluti ad numerum foecundatum. Sollertes agricolae, & maxime industrii, laborumque patientes. Quo fit, ut ea omnium rerum copia inde proveniat, ut non modo nos libenter vitam toleremus, verum etiam ea ad epulas utamur ad invidiam lautas & opipatas: & quod maximum est, exiguo aere. Maris praeterea deliciae, & adspectus gratissimus: tum etiam impetus illi media aestate ab ortu solis frigiduli & salubres. Quid illud? junge currum sub vesperam, puer, mare spectatum fac deducamur: naves ad litus appulisse audio, nescio quid mercium atque elegantiarum. Extra Urbis pomoerium quot aedificia arboribus circum clausa atque obtecta, perque ramos sese ostendentia, ac mira quadam varietate distincta? Turia omnium amoenitatum deliciarumque parens, qui muros abluit, quibus pontibus ornatus opere quadrato positis, quibus moenibus inclusus, per intervalla quaedam pilis dispositis, gradibusque hinc inde descensum facile praebentibus. Quid plures logos? Quicquid in aliis regionibus vel arte vel natura, haec una simul omnia. Oppidum ipsum munditiarum plenum. In foro immanis rerum venalium frequentia. Quocumque oculos deflectimus, omnia purgata, ornata omnia, ac mirum in modum venusta. Civium ingenia cum Atheniensibus Atticis conferenda: mulierum vero, qui bene noverit, mediam Spartam tenere facile crediderit. Justi & aequi quos tangit cura nihil est quód pluribus. In Areopago, illo orbis terrarum sanctissimo δικαστηρίῳ adscriptos olim Graecia voluisset, summa viros gravitate, integritate, ac doctrina, nullisque illecebris a recti & boni semita devios: quibus nostra tempestate otium patriae, olim tantum in optimorum civium votis, praecipue debetur. Ac denique, instauratis nunc demum bonarum artium studiis, nihil erit profecto quod aliis Urbibus invideamus. Haec ille coram primoribus ami-

amicorum in aedibus Pyrgopalaei, ubi tuam iterato avide convenerant audituri. Quos inter Pyrgaeus. Rogas quid ille?

Τὸν Ἔρωτα μετάλμενον ἀμφεδόκευεν.

Coraccianus epistolam toto pectore, toto ore laudavit, denique te dignam. Ex penitissima quoque Mathesi quaestiunculis nos aspersit lepidissimis, queis mirifica voluptate affecit. Quam bona mens hominis, quam bonus animus! Invidet tamen iis qui tuis sermonibus fruuntur omnigenae eruditionis. Qui non invideat? Injuriam nimirum tibi faceret, nisi quam aperte invideret. Ad bonam autem noctis partem in Bibliotheca, ubi de te multa verba fecimus. Inde domum advecti, statim calamum arripui, ut salivam, quantum queo, tibi moverem: quanquam video nostra omnium vota in casum itura. Siquidem tibi istic permanendum est vel invito: & mihi, quidquid speculae in te situm habebam, pereundum. Proculejo egi gratias tuo nomine, quod librorum transmissionem egregie curavit, cui rei mea usus est opera. Si quid recte curatum velis, ad illum literas; havet enim se tibi approbare. Vale etiam atque etiam, vir humanissime, & quoniam abs te fata me sejunxere, animum animo complectar licet: meque tui proprium fore confirmo hac dextera, qua sanctae amicitiae fidem consigno, XVIII. Kalendas Decembreis, An. MDCCIV.

XLI. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

Rhetorices Professori

S. D.

Valentiam.

BInas abs te uno tempore? eugepae! Laudo diligentiam tuam: & plaudo. Eo magis quod in earum unis orationem illam mittis pro revocanda eloquentia. O ferculum, quod vel ipsi nobis invideant αἰὲν ἐόντες! Peream, si vidi quicquam, quod magis redoleat ambrosiam illam Tullianam. Postea quam igitur hanc provinciam ingressus es, perge, per Deos atque homines; & falsum hunc Latini sermonis splendorem, qui nostratium mentes hebetat atque perstringit, veri nativique candoris radiis obtunde. Detrahe personam insolenti huic larvae; quae Romanae loquentiae sonum induit: caetera stridor & Geticus strepitus. In te uno reposita est patriae nostrae salus. Si te oneri huic subtrahis, quae nobis reliqua est

 specula,

ſpecula, ſecuri Tenedia praecidetur. In alteris, quae tua eſt humanitas, ſuperiorem epiſtolam laudibus effers. Quam ego commendationem duplici de cauſſa eximiam habeo: quod a laudato viro, & quod a candido. Quod ſane vel ex ipſa admiratione perſpicio. Tune in rebus noſtris timide & per ambages? ure, ſeca. Nonne tibi calamus ad manum? Cur non emendaſti, deleſti, diſcerpſti? Indignarer verecundiae tuae, ſi poſſem. De Euſtathii verbis quod mones, non ea a nobis praetermiſſa, ſed omiſſa. Quam apte, ipſe te locus docebit. Quod ad naves attinet *puppicurvas*, Camarinam ne moveto. Eae quippe ſunt quas Homerus vocat κορωνίδας: ab incurva, ſeu inflexa puppi. Nudius tertius Regiis dapibus interfui, admotus ipſi menſae. Zevalius veſtras here fuit ad me. Quid hic vulpio apud nos? Ait ſe veniſſe videndi tantum. gerrae, gerrae. Peream ni hic trico aliquid molitur in bonorum perniciem. Salveat a me Pyrgopalaeus: & det operam liberis. Jubeo Borrullium patrem. Filium cupio diſſuaviari. Quam velim Coſtae perſuadeas ut me amet! Proximis diebus dedi ad Coraccianum. Noſtrae res perbono loco. Valemus recte, & quo melius valeamus, operam dabimus. De Euſtathio noſtro maneo in ſententia. Fac valeas, meque ames. Pridie Saturnalia, MDCCIV. Mantuae novae in Carpetanis.

XLII. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

DOlere tu mihi videris, quod oratiunculam, quam ſaepiſſime per literas petiiſti, non ſtatim miſerim. Nihil eſt, mi Martine, amplius quod doleas, jam mitto. Cur ego ad te pluribus non erat, niſi me tibi purgatum vellem. Non miſi quum efflagitare occoepiſti, hoc primum: quia non ita φιλαυτίας aeſtu deſipueram, ut munuſculum hoc levidenſe te ſatis dignum putarem. Deinde, quia quidquid illi e ſchedis eruendae exſcribendaeque locarem, tuo Euſtathio ſubtrahi egre ferebam. Vale. tam cito, inquis. Ni ita facerem, illud de Euſtathio mendacium videretur purum putum. Iterum vale. Antonium Caſtelvinium ſalvere jubeo, mei quem gaudeo memorem. Valentiae Hedetanorum, VII. Id. Decembr. An. MDCCIV.

XLIII.

XLIII. EMMANUEL EMMANUELI.

Valentiam.

BOrrullius Pater literas, quas ad Gravium miseras, mihi tradidit. Inde ego curriculo ad hominem contendi: quem cum domi non offendissem, non multo post ad ipsum redii. Legit: audiebam ego, quasi non antea. Frigidule subinde stylum laudare coepit, nescio quid submurmurans de Comicis (nosti ejus ingenium). Stomachari ego. Haud me potui continere, quin tuam legerem, quam ad me ultimam dederas: nihil ille. mihi misero bilis in nasum: mutire tamen non audebam. Caedere verba postea, & inter alia, premi sese multitudine negotiorum ajebat; immo obrui: id ipsum ego lamentarier. Ad me domi cupere, ut de communibus studiis colloqueremur. Subrisi ego, qui sciam quanto celerius Elephanti pariant. De literis ad te scribendis sermonem injecit. Laudavi animum. Postremo multa de numatione tua & Eustathio. Discessi tandem subiratus, ac coepi statim ego mecum: Operae erit profecto, hujus legere epistolam, quem ita luculentissimae Emmanuelis nostri parum commovent. Iccirco statui orare te, ut exscriptam ad me mittas: aveo enim in re hujusmodi quid possit ejus ingenium experiri. De his tamen hactenus. Supellectilis librariae tuae quod erat reliquum penes nos. Sic enim Borrullius & mihi & tibi se gratum facere putavit: pluribus ad te illum hac super re existimo. De nostris nuperis vellem scire, num ad tuum palatum. Costa noster te deperit. Pyrgopalaeus orare non destitit, quas a nonnullis diebus ad nos dederas, ad se mitterem. Capitur mirum in modum tuis facetiis. Denique, ut de me aliquid dicam, scito, me tuum esse χρήσει ϰ̀ κτήσει, semperque futurum. Vale multum, meque, ut facis, amare perge. Valentiae Hedetanorum, Non. Jan. MDCCV.

XLIV. VIRIS AMPLISSIMIS

Spectatissimisque, Ignatio Valerio, Justitiae asserendae Praefecto, Felici Andegavensi, Jacobo Puxio, Vincentio Fragae, Ignatio Perisio, Quatuorviris Saguntinis, caeterisque Decurionibus,

EMMANUEL MARTINUS

Alonensis Decanus

S. P. D.

Saguntum.

SI vos, uxores, liberique vestri valetis, bene est, ego quidem valeo. Ea est rerum humanarum conditio (viri amplissimi, viri prudentissimi) ac praeter labentis saeculi fluxus, ut nisi literarum subsidio illis eamus subventum, earumque luce aspergamus, perpeti sua rotatione ac volumine in immensam oblivionis caliginem devolvantur. Unum est adversus annorum incursus praesidium: Literae. Quibus nihil a Diis immortalibus humano generi concessum est vel utilius, vel praestantius. Absque iis esset aetas populabunda humana omnia everteret atque diriperet. Iccirco a supremo illo bonorum omnium largitore indultae sunt illae rerum memoriae fluctuanti atque abiturienti, veluti quoddam asylum, a quo pedem referret tempus, quod nulla aevi injuria violaret. Literarum monumentis in abditissimos remotissimosque retro saeculorum recessus penetramus, nosque serae posteritati ostendimus, fluidamque ac praetervolantem aetatis nostrae memoriam Scriptorum perennitate non solum sistimus, sed consecramus. Iis universum pervagamur orbem, nec ulla est natio a caeterorum hominum commercio adeo secreta atque retracta, cujus leges, instituta, mores, perbelle perque naviter non calleamus. Cum igitur ea sit literarum virtus atque praestantia; nullum par illi referre possumus beneficium, qui memoriae nostrae literarum veluti salem aspergit, ne saeculorum afflatu corrumpatur atque putrescat. Id ego in Theatro vestro exsequutus sum, monumento me-dius-fidius ad miraculum usque clarissimo ac celeberrimo: etsi adeo deformi, & in ruinarum ludibrium dejecto, ut ex veteri illa mole, majestate ac magnificentia mirabili, vix quaedam supersint vetustate consumta & σκελετώδη, non tam lustranda oculis, quam diligentissima indagatione perscrutanda. In quibus eruendis operam perdas, nisi summam industriam, subactumque judicium, cum summa antiquitatis

quitatis gnaritate conjunxeris. Quo factum est, ut aliqui ex nostratibus, qui res patrias literis consignaverunt, ad vetera indaganda minus callidi, in Amphitheatrum (si Dis placet) monumentum hocce transformaverint, reclamantibus Plauti manibus, totiusque aedificii structura. Quam opinionem, ut adstruant, nescio quas ferarum caveas comminiscuntur, aliasque populi offucias, quibus ignarae plebeculae tenebras offundunt. Quorum ego ineptiis posthabitis, despicatu potius atque derisu, quam seria confutatione dignis; ne posteri in eundem errorem impingerent, universam Theatri structuram, ejusque partium modulationem, quarum vestigia in lacero hoc monumento, vel supersunt adhuc, vel deprehenduntur; aperire decrevi: eo libentius quod a me id saepe in familiaribus colloquiis flagitaverat vir Illustrissimus juxta ac antiquitatis callentissimus, Antonius Zondadarius, Archiepiscopus Damascenus, & Pontificis Legatus apud Regem Catholicum. Igitur injuncto hoc mihi munere defunctus, nihil duxi antiquius, quam ut vos per literas facerem scitiores, quorum interest vel maxime, ea quae laribus vestris addere dignitatem possunt, patriamque aeternare, cum gratulatione excipere atque amplecti. Etenim hasce pristinae molis reliquias, cum nihil aliud eae sint nisi quaedam ex temporum naufragio ad aevum hoc nostrum ejectamenta; quis dubitet olim eadem annorum tempestate esse obvolvendas? quarum si ad posteros aliqua transmittatur notitia, eam oportet ut literis acceptam referatis. Praesertim cum tanti sint haec rudera, ut per eorum vestigia ad nobilissimam gentis vestrae originem deveniatur. Ea veteris opulentiae majestatisque vos admonent, & majores vestros ob oculos ponunt, progeniem illam, fide ac virtute nobilem, aerumnis inclytam, sanctissimumque, sed triste, illibati socialis foederis in aevum omne documentum. Quae quidem majorum gloria & claritudo, quo vobis illustrior est atque splendidior, eo impensius incumbere debetis in lacera haec & discerpta genitricis vestrae membra fovenda atque asservanda. Dum ea vetustatis contemtu diruitis, exscinditis, evertitis, gloriam vestram demolimini, vobismet ipsis manum infertis, in propria viscera ferrum adigitis. Lucemque illam extinguitis, qua in omnem aevi memoriam inclaruistis; obscuri deinceps ignobilesque futuri. Quemadmodum enim ab oris lineamentis & indole hominem dignoscimus; ita Saguntum a parte ejus superstite. Haec est matris vestrae facies, qua detrita ac deleta, densissima rerum caligo posteros involvet. Quumque nihil supererit quo caeteris antecellatis, circumjacentia oppida, conjuratione animorum facta, in id toto nisu contendent, ut vos ab avita majestate deturbent. Quocirca (Viri nobilissimi per ego salutem, liberorumque fortunas, vos oro atque obsecro, ut quando ita in fatis est, ut clarissimae patriae vestrae monumenta augere non liceat, ea saltem illibata ad posteros transmittatis. Quandoque vobis rei cura commissa est publicae, gravissimas poenas iis infligite, qui illa cumque igne ferrove violaverint.

verint. Quod ad me attinet, ſi quando dabitur facultas Urbis veſtrae monumenta denuo luſtrandi, omnes intendam nervulos, ut ea qua luce potero aſpergam, & ad exterorum notitiam traducam, exemplo Theatri, quod jam trans Alpes volitavit. Do fidem, quam ſi fefellero, me veſtra clientela indignum judicate. Salvete Saguntini Patres, ad Urbis veſtrae tutelam & ornamentum. Iterum ſalvete. Mantuae novae in Carpetanis, IX. Kal. Aprileis, MDCCV.

XLV. IGNATIUS VALERIUS *JUSTITIAE*

Aſſerendae Praefectus, Felix Andegavenſis, Jacobus Puxius, Vincentius Fraga, Ignatius Periſius, Quatuorviri Saguntini,

EMMANUELI MARTINO

Alonenſi Decano meritiſſimo

S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

REm noſtram publicam (Vir clariſſime) iniquo fortunae judicio jam olim damnatam, poſtquam fata illa adverſa e ſummo gloriae atque opulentiae faſtigio deturbatam dejectamque voluerunt, adeo in dies percrebuere aerumnae, ac magis magisque res afflictae retro abiere delapſae, ut, cum alterius mali finis gradus ſit ſaepe futuri, exigua, immo nulla fuerit unquam ſpes antiqui ſplendoris partem aliquam poſſe nos retinere fugientis. Siquidem poſt imperii nominisque Romani graviſſimum caſum, ea (ut ſcis probe, Vir eruditiſſime) conſequuta ſunt tempora: ac tot barbarorum teterrimae colluviones in noſtram Hiſpaniam confluxere, ut facile conjectura aſſequamur, non majorem vim Punicam vetuſtiſſimis Saguntinis intuliſſe cladem, quam immane illud hominum genus eorum reliquiis ſaepiſſime convulſis ac diſſipatis. Hinc denſiſſimae ignorantiae rerum tenebrae, altiſſimaque caligo. Hinc monumenta ampliſſima quam aperte teſtantia veterem hanc Urbem eſſe Saguntum, in oblivionem omnino data, foede jacebant. Haec tu primus ſcriptis omni alio monumento perennioribus e ruderibus ac deformi ſitu antiquitatis vindicare, eisque facem praeferre inſtituiſti. Fortaſſe ille rerum optimus rector, jam patriam noſtram aequis oculis aſpiciens, ſortem hujusmodi in fatorum urna deliteſcentem, ad hanc usque tempeſtatem differre voluit, qua Hiſpaniam, tot ca-

lam lati-

lamitatibus exhaustis, extremum ad usque exitium perductam clarissimi Phoebi Gallici jubare aspersit, ut depulsis penitus tenebrarum obversaculis pristino splendori restitutam quantocyus videamus: atque ita fore ut dum ille Hispaniam tropaeis illustrat, tu veterem ejus gloriam in lucem proferas. Unde nihil est ultra quod timeamus, in vastissimo illo humanae fragilitatis acervo Urbis nostrae decora alta posse latere, quae ab homine doctissimo aeternitatis memoriae, literarum monumentis nunquam intermorituris sunt consecrata. Cui igitur non praeclare cum nostra patria actum videatur, cui talis praeco contigerit? Nihil equidem ipsi Achilli invidemus, quod Homerum suarum laudum praeconem habuerit, quandoquidem te nobis fata meliora dedere veteris nostrae gloriae egregium buccinatorom. Plus ergo tibi debere nos in confesso habemus, quam P. Romano, qui Urbem nostram restituere, tot exantlatis bellorum casibus, eamque exornare, nulla gravissimi emolumenti habita cura, impense curavit: iis scilicet rebus tandem edaci temporis se tacite volventis dente consumendis. Id enim ille Populus famae suae consulens fecit, cujus nomini exitiabilis Saguntina clades referebatur expensa: tu vero (Vir humanissime) nullis beneficiis lacessitus, nullis praemiis provocatus, iis nos cumulasti ornamentis, quibus ab invidis oblivionibus & interitu facile vindicamur. Iccirco est merito quod per literas in praesentia nostrum tibi testemur animum, voluntatem significemus, gratias quam maximas habeamus, quas dum tempus & res exegerit, multo referemus cumulatiores. Vivunt adhuc ac vigent aviti illi spiritus gloriae avidi intus in nostris pectoribus: & si majores nostri labentis patriae honori omnia impenderunt; tibi itidem nos, qui tam pulchre ejus immortalitati is provisum, omnia tua caussa facturos recipimus ac confirmamus. Ea certe a S. P. Q. S. quem eximio demeruisti beneficio, speres licet, quae majora nulli mortalium debentur. Semidiruta haec ac deformata aedificiorum facies, ruinarumque congeries quaenam fuerit Saguntinorum fides, & quam fuerint in ejus cultu perseverantissimi, abunde testantur; & quam damus nos fidem illibatam conservaturos, eaque, gratissima veluti victima, eorum manibus fore ut parentemus. Utinam tu Vir singulari doctrina praeditus Urbem nostram opibus florentissimam, viris armisque potentissimam esses nactus, ut haberes in quo & stylum gloriosius intenderes; & nos contra beneficium melius compensare possemus; ac ita uterque nostrum muneri suo cumulatius satisfaceret. Reliquum est ut te hortari haud desinamus, velis, pro tua in nos benivolentia, alia quae supersunt Urbis ornamenta, pene collabentia posteritatis memoriae stabilire literis atque aeternare: quando te novimus tuopte ingenio ad res nostras abunde devexum. Id certum est atque statutum, ea omnia in nos quae abs te proficiscantur ornamenta, eadem cum voluptate excepturos, qua Theatri nostri summa cum gratulatione amplectimur illustrationem. Atque in tui gratiam, cui haec rudera sunt gra-

gratiſſima, proindeque in pretio habita, hoc amplius pollicemur, non aliter, ac chariſſima pignora, ſuper quae ſunt, majorum amplitudinis memorias, ſartas tectasque quoniam tenuitas noſtra reddere non poteſt, ſaltem intactas, atque ab omni maleficio ac injuria immunes ac liberas conſervare nos in poſterum curaturos. Interim abſentes tui memoriam colimus, nomen tuum ſanctum habemus, ac omnibus officiis εὐχαριστίας proſequimur. Vale patriae noſtrae columen, nosque, ut coepiſti, poſteritati commendare pergito. Iterum vale. Sagunti, Eidibus Aprilis, An. MDCCV.

XLVI. ΘΕΟΦΥΛΑΚΤΟΣ ΘΕΟΦΥΛΑΚΤΩι. χαίρειν.

Mantuam Carpetanorum.

QUam multo poſt abs te literas! tute tecum. papae! Tamen vel ſero gratae: imo gratiores quo magis exſpectatae. Sed quid ego ceſſationis cauſſas? doctumne ut doceam? apage. Primum omnium abs te nullae redditae, quas ad me miſiſti: non quod interceptae. Sed infeſta itinera veritus, cui haec tradita provincia, poſt irritos conatus reſolvit, mihique verbis, quid a me curatum velles maxume. In eadem navi Proculeji noſtri Latinae. Doleo ſane utramque jacturam chartaceam. Heu quam! Sed exaruerunt τὰ δάκρυα jam pridem. Quid iſtas vos μαχαίρας geſtatis feriatas? geſtiuntne fratres facere ex hoſtibus? vix credo. illud potius δειλοῦν alienatas hominum iſtorum mentes. Siquidem, ſi conjectari fas eſt,

Heſperiae gelidum coit in praecordia virus.

Θεοφύλακτος hic tuus poſt Ulyſſaeos errores latet in media Urbe, nulli pene cognitus ob amicorum penuriam; eoque rana Seriphia taciturnior. Scis illum perpaucorum eſſe hominum, & hac tempeſtate nullorum. Tenet eum una ſui cura, καὶ τοῦ πατρὸς bojas terentis Ἀρχιδεσμοφύλακες ſub imperio, Bojus licet non ſit, ingens ſollicitudo. Cur id? rogas. miror ſane, qui noris hominem. Quin & Thereſia, ut omittam reliquos, cum Michaele ſuo ac reliqua familia Urbem colit, aedesque habet conductas: & tamen Urſulam, quod in alia omnia, male odit. Te vero in oculis. Haud immerito amas foeminam tui amantiſſimam, & quae fatorum inſtar viam invenit te per literas conveniendi. Sororem tuam Narciſſam audio, quod felix fauſtumque ſit, nubere cuidam a Caſtulone legulejo διγάμῳ. nihil amplius. Fidicinam tuam ſubito interiiſſe acri morbo correptam, non novum eſt

est apud nos, qui puellam aetate, venustate, & ingenio florentem, tibique propinquam lugere non desistimus vel alieni. Tu vero, quae tua est sapientia, animique fortitudo in calamitatibus perferendis, altissimae disciplinae documenta in doloris solatium evocabis.

De Eustathio otiosum te esse jubeo; ni frustra vis esse solicitus. Quod autem ad te ferri enixe oras, idem est ac si

Jubeas una opera me piscari in aëre,
Venari autem jaculo apros in medio mari.

Nescis tu pol ut res sese habeant: conclamata sunt vasa, & si vera quae in vulgus efferuntur, citius fortasse signa tute oculis, quam meas literas. Quid? rides me προμαντευσάμενον, fac semper ut liceat. At cis paucas tempestates, hice Pyrgopolynices, si eorum conspectum sustinent isti Stratiotici, tanquam ventus folia, spiritu eos difflabunt. Pluribus ego te, ni illud subiret Tullianum, *manum de tabula*. Nosti caetera. Nunc vero ad alia. Διδάκτρου me numum quidem dubium aut subaeratum mihi persolutum, nec spero fore ut accipiam in posterum. Iccirco ἀγέραστος ego tantum onus sustinere non queo. Minervae vale dicam brevi, & in otii castra me conjiciam: vivo praeterea infensus διβάφῳ πορφύρᾳ, ex quo mihi consulens, Urbe excessi. Abdicabo igitur me, & hoc fortasse modo invidiam erit ut declinem. Probant hanc sententiam domestici. ii nempe à quibus muta consilia petimus, quod blattis semesos se lamentantur. Si autem annonam classiarii legionariique magis incendunt in ipsa penuria, consilium mutabo, atque aliquo me conferam, ubi unum saltem epityrum edam esuriens insane (ut cum Comico loquar) & consiliarios prodam. Ego enim mihimet Θεοφυλάκτῳ sum proxumus. At revocat me τοῦ πατρὸς pietas, moeror praeterea, & squallor. Desertum se nato ac proditum queri patiar? Quid ego miser faciam qui τῶν ἀπάντων κακῶν cornucopiae potitus sum? Aestuo plane, nec quam insistam viam satis teneo. Incoeperam primo ἱστορεῖν subcissivis horis τὰ πεπραγμένα; sed odio rerum, ac summis molestiis male affectus, tabellas graphiumque, quantum potuit, abjeci. Et ut tu etiam dignum tua virtute facinus edas, epistolam illam, quam ad te, ubi Isidorum induxi loquentem, quoniam ea omnia falsa nunc demum apparent, abjice in maximam malam crucem; nollem enim tale quid a me dictum: imo ejus me rei piget pudetque. Habes epistolam, mi Θεοφύλακτε, bene longam, & magis fortasse quam pro temporum opportunitate, in qua multa, & ut sese nobis offerebant temere congessi, Scotinum imitari cupiens. Si id assequutus sum, propositum tenui. Πυργοπάλαιον nostrum, cujus desiderium vix ferre possum, in multum tempus salutatum velim. ab hisce tricis haud ita facile ut puto, sese expediat. Laudo consilium, sed vicem doleo. Isidorum optimum mihi sodalem salvere jubeo. ejus fratrem nudius tertius

habui

habui obviam. Vale etiam atque etiam, tuique amantem redama. IIX. Kal. Junii, An. Θεανθρωπίας, MDCCVI. Valentiae.

XLVII. EMMANUEL MARTINUS

EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

ocello & amoenitati suae, S. & hilaritatem nunciat.

Valentiam.

QUam te deseruisse, vehementer doleo. Bono fac sis animo & forti. Quod facile assequeris, si rerum humanarum conditionem altius fueris contemplatus. Inhiamus honoribus, & in dignitatum culmina insano quodam animi tumultu connitimur. Quae simul assequuti sumus, adeptae felicitatis taedio afficimur. Cujus ego rei caussam esse comperio, quod dum honorem in alio cernimus, inani illo splendore perculsi, mentis acie praestricta, gloriae quadam obtrectatione tangimur, qua inflammatus animus, ruit sui impotens. Ubi vero dignitatis onus subimus, cui nos imprudentes subjecimus; inusitato pondere pressi, vel impares illi, vel nimis molles delicatique, animo fatiscentes, fractique viribus, adeptum jam honorem pertaesi, grave ducimus id ipsum, quod tantopere concupivimus. Naturae scilicet vitio, cui insitum est, quorum caremus, desiderio flagrare, odisse eadem possessa. Quanto te acrius injuncti tibi muneris & satietas, & fastidium conficient, quem invitum & reluctantem bonorum consensus evexit? Non semel id ego cum animo meo reputans; cum caeteroqui genium tuum habeam probe perspectum, conditionem tuam quam sum miseratus! Sed heus tu, memento te esse virum. Exere & corporis & prudentiae nervos. Erige te atque confirma, & servi quam diligentissime, tum tempori, tum existimationi tuae. Spesque illas, quas de te conceperam, fac prodeant exspectatione ipsa splendidiores. Excute importunam istam moestitiam, & putida lamenta.

Nunc haec ad minuenda mala non magis valent,
Quam naenia praeficae ad excitandos mortuos.
Res turbidae consilium, non fletum expetunt.

Quin tuae istae expostulationes

Potius cumulum miseriis adjiciunt mali,
Et indecoram mentis mollitiam arguunt.

Duro

Duro nodo durus cuneus. Sed tibi, & viro bono & ſapienti monitorum ſatis. Diſſertationem de auctore Collectionis Epigrammatum Graecorum, quae *Anthologiae* nomine circumfertur, tibi mittimus, quam proximis diebus elucubravimus. Num ad Cleanthis lucernam, tu videris. De pluma ad me tam ſcite tranſmiſſa, immortaleis tibi ago gratias. Eſt profecto illa Amyclea mollior. Faceſſat leuconicum hoc tomentum. Quod capiti meo bene vortat. Conſule tuo quam diligentiſſime, & vale. XII. Kal. Januarii, An. MDCCVII. In Urbe Hiſpaniarum domina. Arnavio noſtro a me ſalutem.

XLVIII. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE *ſuo* S. D.

Valentiam.

PEreant, qui me perditum eunt, nebulones impuriſſimi: qui ut animi ſui ulcera tegant, & improba conſilia. ea vitia in alios rejiciunt, quibus ipſi maxime laborant. Mene a Regis partibus alienum? Me illac facere, qua tot perditorum hominum colluvies? Profecto, inquiunt. quando de rei publicae ſtatu peſſime, & quidem liberius quam temporum conditio ferat, & ſentis, & loqueris. Hoc eſt acerrimum telum quod in me torquent. Prava eorum conſilia qui rei publicae cervicibus graves ſunt, vel ſaltem ἀπειρίαν, & male initas rationes, damnas. Ergo Regem odiſti. Chryſippeum enthymema! Imo contra. Paucorum ego impotentiam, vel, ut leviſſime dicam, regendi inſcitiam, non probo: Ergo Regem unice diligo. Qui enim regiis commodis ſunt infeſti, qui rebus ſecundis tabeſcunt, qui regiam dignitatem peſſumdatam cupiunt; ii profecto abſurdiſſima quaeque conſilia, & minus ſalutaria, veluti ex compoſito ſummis laudibus extollunt. Nihil enim tam ſua intereſt, quam quod in regni commoda peccatur. Cui vero optimi ac mitiſſimi Principis, ornatiſſimi adoleſcentis, fama, gentiſque dignitas cordi eſt; illum profecto, ſi quid horum accidat, & animo aegreſcere, & ad ſingulos ictus gemitum emittere, neceſſe eſt. Qua propter recte auguratus es de me, nihil a me abeſſe longius hoc ſcelere. Nec dubites unquam, quin quod honeſtius, id mihi futurum ſit antiquius. Is etenim ſum, qui officii noſtri rationem perbelle perque nariter calleam. Quam ob rem, ut meritiſſimo Principi optata omnia contingant, multa Deos veneratus ſum, multa quotidie veneror. Tametſi ea eſt temporum inclinatio & acerbitas, ut pene vivere. Iſta vero tintinnabula quid? Illud magnis buccis jactant, ſe

lares, fortunas, liberos, conjuges, fidei erga Regem posthabuisse. Cum haec audio, risu pene disrumpor. Bellos homines & facetos! Credunt Larvae istae nos esse fungos? Ecquis ignorat illorum rationes quorsum fluant? Plerosque illorum (animum meum aperiam: soli enim sumus) patria extrusit in rebus adeo turbidis saevitia tumultus & trepidatio. Nonnullos, metus amittendae dignitatis a Rege acceptae. Non paucos, qui cum duriore fortuna conflictabantur, taedium praesentis, spes hilarioris. Alios denique inclinatio fortunae, cujus nutum e quadam veluti specula intenti observabant, ut eo se reciperent, quo armorum pondus vergeret. Haec sunt fidissima illa capita, quae nobis insultant. En Regis Achates. Homines teruncii! Quorum fidem venalem, & subdolam, technasque, Regi suboluisse; cum ex eorum contemtu facile compertum est, tum ex rumoribus, quibus in hac Urbe eorum fama & existimatio proscindebatur. Et tamen quasi pactae mercedis prurigine, tanquam conducta mancipia, magistratus ambire, potentes colere, Regis aures obtundere. Suam quisque fidem praedicare, aliorum deprimere. In se mutuo saevire, aemulatione praemii, obtrectatione invidiae. Gravissima omnibus obversacula, & importunissima mendicabula. Hi sunt a quibus de infidelitatis crimine postulor. (Quod illorum capiti sit.) Sordidae mercedis assectae. Nec tamen inficiabor aliquos fuisse viros probos, honestos, liberales, dignitatisque suae retinentes; quos officii ratio tantum, & amor honesti, patria avulserit. Sed iis certo scio me fore sacrosanctum, nec ullam mihi a se injuriam illatum iri. Reliquis autem, quando visum est illis de corio meo ludere,

Hic respondere volui, non lacessere.
Benedictis si certassent, audissent bene.

Quod scribis de Saguntinis monumentis servatis, per mihi gratum est perque jucundum. Dialogorum abs te intermissum opus, molestissime fero. Compensabit tamen eam jacturam Historia Valentini latrocinii (sic enim appellare malo, quam bellum) quam a te concinnatam scribis. Caetera dies praestabit, dummodo liceat nobis esse salvis. Interim, ut ne animum despondeas, per ego te fortunas parentis, per utriusque genium, oro atque obsecro. Quid audio? itera dum ista mihi. Tune tam peritus fallendi artifex, ut modo Galli personam induas, modo Germani? Quid si tibi illud: Duos parietes de eadem dealbare fidelia? De Eustathio nostro, quem propediem expecto, immortales tibi ago gratias. Utinam tu quoque in hunc locum te compingeres, ut consuetudinis & studiorum societate, animum a calamitosissimi temporis abstraheremus molestiis. Igitur si vir esse voles, eripe te ab istis tricis, & ad nos perrumpe. Nihil accidere mihi poterit optatius. Illis Dii male faciant, qui nos disjunxerunt.

runt. Quae de Dianio, Saetabi, ejusque ὑποκοριστικῷ, Saetabicula, notissima nobis. Isidorus Costa Urbis Valentinae Syndicus, belle se habet: quem tuis verbis salutavi. Salve mutuo ab illo. Pyrgopalaeo nostro indicta est profectio. Sed eum remorantur quaedam expeditu haud facilia, ad munus suum pertinentia. Quamprimum iis se extricabit, hinc protinus. Ex Ursula de patre meo saepe ac frequenter percontare. Haec me cura unice sollicitat, angitque vehementer. De reliqua familia ne γρῦ quidem. Id ego curo scilicet. Janus Baptista Borrullius, idem tuus, idem noster, cras bene mane ad vos. Mantuae novae in Carpetanis, ad VI. Eidus Junias, MDCCVII. Vale.

XLIX. EMMANUEL MIGNANA EMMANUELI MARTINO

suavissimo

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

QUod in votis mihi jam diu, Latinae tuae nuper ad me. Gaudeo accepisse, & quo magis, prisci candoris & fidei plenas. Adde veteris libertatis imaginem cum officii rationibus conjunctam. Nec aliter animatum te esse potui adduci ut crederem, qui sciam non nisi ab honesto te semper stetisse. Sed non possum vehementer non angi animo, te adeo insolenter allatrari, qui tuam existimationem habeo propria cariorem. Nostratium haud leve hoc vitium, alienae famae insidiari, & quantum inde detrahunt, tantum propriae utilitati volunt cumulatum. Ego vero, ut verbo absolvam, eos omnes qui ex imperii rationibus suas metiuntur, propriis potius commodis, quam Regis fidei suspicor inservire: cum illis vero quos aequi & boni amor in officio retinuit, nullis cupiditatibus obnoxios, vel in tenebris digitis micare ausim non fallent profecto. Adjiciam tantum quod mihi rerum discrimen in hac temporum iniquitate licuit animadvertere: Philippo nempe spectatae probitatis viros ex nostratibus bene velle ex animo & amare: Archiducis asseclas, praeter imperitum vulgus & vanis opinionibus deceptum, vel homines inopia flagrantes & cupiditatibus, vel qui rem male vivendo cum confregissent suam, publicam quoque pessundatam facile ferebant. Viden' ut tecum sentiam? Demum scito negotiis per hosce dies & quidem molestissimis me vehementer implicitum. Pyrgopalaeum nostrum anxie exspecto, unaque Isidorum. Si tu

tu me amares, isthinc utrumque extruderes. Borrulli adventum fore perendie nullus dubito. Mea negotia velim tibi esse curae. Valentiae Hedetanorum, ipsis Idibus Junii, MDCCVII. Vale.

L. EMMANUEL MIGNANA EMMANUELI MARTINO S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

HÆc erat scilicet altera nostrae necessitudinis jactura subeunda, misera temporum conditio, in quam incidimus, quæ vel commercia interciperet literarum: reliquum quod erat, postquam a me sejunctus es, acerbissimi doloris solatium. Ad haec, quot aerumnae non mihi exantlandae! Quas non vidi miserias! Quae non adii pericula in hoc saevissimo latrocinio! Tamen innumeris anxietatibus circumventum nihil me magis animo angebat, quam moeror patris amantissimi & squalor, quem, tametsi aetate confectum, in vincula conjecerant, ob tenacissimam in Regem fidem. Quodque acerbius, nihil in me esse praesidii, cui, penes quos rerum summa, infensissimi. Et quidem libratum diu telum longe acerrimum jam jam excutiendum in me videbam. quod non absque divino numine vitari posse, unquam mihi persuasi. Evasi denique tot malevolorum conatus, tot rebellium insidias, qui ut me perditum irent, conjurasse videbantur. Patri etiam post diuturnam illam molestiam, tandem, accurante Thoma Rato, ornatissimo juvene, mihique summe conjunctissimo, ad penates gratulatum redire licuit. & mihi nunc demum, quod perpetuum velim, jucundissimis tuis literis recreari. Quae equidem eo certe jucundiores, quo diutius fuerant in exspectatione. Interim autem ubi otium ab ejusmodi anxietudinibus illuxerat, communis patriae motum, seu mavis latrocinium literis consignandum putavi, ut esset quod ad te aliquando munusculum levidense, qui sciam solere te putare esse aliquid meas nugas. En primum librum, unaque spongiam. Nisi aequissima illa judicii tui lance singula quaeque verba pensitas, & quod non probaveris deles confidentissime, alterum & tertium frustra exspectabis. Velim tamen subeat cogitatio, cujus sit momenti res quam scribendam susceperim. Hoc tantum. Sed heus tu latrocinium hocce recta petit tua scriniola. quod ego mandavi accuratissime. Nec equidem nescit in eis thesaurum latere Musarum. Petet sibi modeste primum fieri copiam. Si senserit tuam benignitatem in se claudier, clames licet, ibit ad ingenium. De Eustathio nostro tibi placuisse, nihil supra votum. Utinam aliquando una, ut mea tibi

tibi opera uti liceat liberius, immo abuti. Communes epiſtolas exſcripſi diligenter. nonnullas expunxi, quod non te fugit cur fecerim. Mea negotia tibi eſſe curae nullus dubito. Pyrgopalaeo noſtro ſalutem a me plurimam. Si me amas, fac, amabo te, quantocyus ille ad nos, cujus deſiderio contabeſcimus. Vale amores noſtri. Iterum vale. Valentiae Hedetanorum, III. Non. Quinctileis, An. MDCCVII.

LI. EMMANUEL MARTINUS

EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

S. D.

Valentiam.

O Jocundum tuarum literarum faſciculum, in quem omnes conjectae ſunt gratiae, lepores, elegantiae! Diſperea m, ni Venus ipſa prae illo illepida atque invenuſta. Collabella mihi oſculum, meae deliciae, & apprime hanc dextram. Ubi ſunt quos hae voluptatis unguiculae non ſcalpunt? Circumgeſtatur a me epiſtola tua, & omnium oculis impingitur. Nec laetandi modus adhuc, nec geſtiendi. Di te fortunent, Mignana mi, cui datum eſt uni, inter acerbiſſimas difficillimi hujus temporis aerumnas, animi noſtri moerorem, ſi minus abſtergere, mulcere ſaltem ac delinire. Quo nullum in publico hoc latrocinio, rerumque omnium perturbatione, parari mihi potuit a Diis immortalibus praeſidium, vel tutius, vel optatius. Quo enim me verterem, quodnam amplecterer ſimulacrum, poſt everſam domum, poſt familiam laribus avulſam, poſt fortunas partim interceptas, partim peſſumdatas, & (quod omnium eſt longe miſerrimum) poſt patriam deletam. Adde: & amicorum manibus abſumtam. Quam equidem cladem funeſtiſſimam multo ac luctuoſiſſimam cenſeo. Nec accidere quicquam hominibus poſſe calamitoſius, quam ſupereſſe patriae. Odi hanc armorum licentiam atque deteſtor. Quam propter. Sed excubemus animo, & rationis clavo conſtanter haereamus, ne in hac faediſſima tempeſtate tranſverſi impingamur ad aliquem ſcopulum. Accepi Hiſtoriae abs te elegantiſſime conſcriptae Librum primum, quem una cum ſpongia (ſic enim ſcribis) ad nos miſiſti. Qua ego ſpongia non tam utar ad ſordes detergendas, quae profecto nullae ſunt in opere mundiſſimo; quam ad os mihi abluendum: ne videlicet illud audeam iterum attingere, ore, (ut dicitur) illoto. Quandoquidem autem viſum tibi eſt, id etiam ad amicitiae noſtrae officium pertinere; nihil in eo acrius examinando, vel ſtudii vel diligentiae praetermittam, meamque ea de re ſententiam (quod mihi

ſolenne) libere proferam. Nunc ad alia. Molinerius tuus in officio eſt. Non ita pridem a me conventus, & acerbe increpitus, promiſit ſe daturum ad te. Sed ab eo nullas adhuc. De Turreſio nunciant meliuſcule eſſe, ſed meliuſcule tantum. Coſta proximis diebus neſcio quas ſubiit febris incurſiunculas, leves admodum, ne dicam inanes atque umbratiles. Sed noſti hominis μικροψυχίαν. Credebat ſe jam rebus humanis decedere, & ad orcum detrudi. Nunc viaticum inſtruit, & brevi erit ad vos. Mihi autem ne tria quidem illa dixit abeuntium verba. Ignoro cauſſam: valeat. De Belmontio, in utramque dormi. Faciam eum confoſſiorem ſoricina naenia. Nudius tertius Procurator domum venit, dixitque ſibi opus eſſe pecuniam in cauſſae ſumtus. Elargitus ſum duos nummos aureos. Quam ob rem, quid reliquum ſit ex pecunia quam abſtuli ex tua ſyngrapha, velim tute cogites. Ubi congreſſus mihi erit cum Borrullio, ſalutabo eum tuo nomine. Pyrgopalaei lectiſſimae conjugi, unaque τῇ ἑκυρᾷ, in oculis es. Ab utraque valebis. Quarum altera, elegantiſſimi juxta ingenii ac formae puella tuis literis maxime delectatur. Altera, a filiae ſtudiis ne latum unguem: leniſſimo ingenio foemina, qua nec Terentii Ἑκυρὰ vel purior, vel candidior. Vale, & me tuarum epiſtolarum ſolatio erige atque confirma, diſcrucior enim earum deſiderio, vel inanium. Si id abs te impetro, figam hoc beneficium clavo trabali. Iterum vale. Ad III. Eid. Quinctileis, M DCCVII. Mantuae novae in Carpetanis.

Cum hujus epiſtolae diem adſcriberem, allatum eſt Coſtam eſſe profectum.

LII. EMMANUEL MARTINUS

EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

Rhetorices Profeſſori

S. D.

Valentiam.

SI bene vales, bene eſt. Ego hercle calamum jam in manum: nihil tamen venit in mentem quod ſcribendum putem. Non quidem inopia rerum novarum; quarum uberrima ſeges: ſed difficillimi temporis neceſſitate. In quo nec animi ſententiam aperire fas eſt, nec alte recondere. In utroque enim ſpinae ſentesque. Nec tutum eſt libere loqui, nec obſtinate tacere. Igitur, quod reliquum eſt, ad ſtudia noſtra & nugas. Te Saguntо incolumem revertiſſe, triumpho & gaudeo. Heus tu, deoſculatusne

tusne es meo nomine verenda illa antiquitatis vestigia? Debebas quidem profecto, si me novisti. Dionysii Arnavii infortunium vehementer doleo. Istam calamitatem jam pridem ego animo praesenseram. Noveram enim hominis rimas, qua facillime perfluebat, orisque licentiam. Tametsi hoc tempore

Malefacere qui volt, nusquam non caussam invenit.

Etiam Ortini vicem facile fuit praesagire, tintinnabuli, non hominis. Illum stultum, qui non vidit majore folle opus esse ad extinctam libertatem denuo suscitandam! Blancherius superbiae insolentiaeque poenas merito luit. Carceres enim & vincula quae aliis meditabatur, in eum transtulit Nemesis. Pulchre retaliatum est. De Pyrgopalaei reditu ad vos, nihil dum. Quum haec tam vehementer efflagitas, videris mihi profecto insanire. Non vides istius Civitatis faciem? Ferant eam qui cor non habent, vel quibus patriae interitum oculis haurire fatale est. Nobis autem singulari Dei beneficio tot miserorum lacrymis gemitibusque exemtis, satis sunto aurium irritamenta. Ut quid oculi conscelerandi? Sed abducor vi tempestatis: repetamus portum. Eustathius noster, vel potius tuus, triumphalem hodie induit vestem: togam scilicet pictam. Non tamen sine suspicione mollitiei. Nam scito esse pumicatum. Quatuor Rhapsodiis manu tua scriptis adjeci quintam, quo volumen ad justam magnitudinem excresceret. Reliquum opus mihi commodavit excellentissimus Marchio Mondexarensis & Agropolitanus, Hispaniae nostrae singulare decus atque ornamentum. Cujus pervicaci studio, cultisque lucubrationibus, acceptum referre debemus, quo minus apud nos literarum lumen penitus fuerit extinctum. Utinam frui coram liceret tanti viri doctrina, jucundissimaeque consuetudinis fructu. Sed temporum saevitia id etiam nobis invidit. quod unum esse mihi poterat in hac Urbe publici moeroris solatium. Illum prae nobis beatum! qui tutissimum nactus recessum, tot malorum fluctibus se subtraxit. Borrullius pater heri domum venit, nunciatum familiae suae adventum. Miratus sum hominis maciem, & gracilitudinem, ut cum Accio loquar. Narro tibi: non nosses hominem. adeo πεφιλιππίδωται. De Proculeji numismatis, spe sum valde imbecilla. Si promissis steterit, praeter spem erit vir bonus. Sin autem, ero taciturnior Hipparchione: nec committam, ut illis insanire videar. Tu interim oblecta te quam bellissime, & vale. Data ad XIII. Kal. Octobreis, An. MDCCVII.

LIII. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

Rhetorices Professori

S. D.

Valentiam.

LEgi perlibenter Historiam motus Valentini, a te concinne eleganterque conscriptam. Quam tamen dum accuratius perlustro (cum ut tibi morem geram, tum propterea quod

— ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου.)

accidit profecto mihi quod leviter prurientibus solet. Qui dum se perfunctorio ungue identidem scabunt, adeo attritu illo cutem exasperant, ut illa saepe rupta saniem eliciant. Non quidem vitio partis, sed unguis petulantia, scalpendi libidine prurientis. Igitur meum judicium habeto. Tota Historiae tuae dictio castissima est, & plane ad Romanas aures. Ad Caesarem quam propissime accedit, nisi quod interdum Crispiturit, delibatis inde quibusdam veluti gemmis, excitando auditori novi ornatus miraculo. Fateor me saepe, inter legendum, orationis vi ac venustate perculsum, ad invidiam usque fuisse permotum. Adeo illa affabre dedolata, & exacta ad normam Romanae loquentiae. Unum id legentibus grave admodum ac permolestum, quod periodos aliquando & orationis tractus, adeo producis, interfertis longis παρενθέσεων ambagibus, ut totam illam sententiam una vocis contentione pronunciare, nec Hercules quidem posset, qui sine respiratione unum stadium decurrebat, vel gurges ille, qui uno spiritu tres vini congios siccabat. Tametsi hoc vitio alterum Librum minus jam laborare animadverto. Qui rerum etiam varietate, civilium negotiorum tractatione, eventuum dignitate, sententiarum copia, describendarum rerum dexteritate, aliisque in eo praeclare digestis, priorem alterum facile antecellit. In quo inops fere narratio, & aliquando jejunior. Quo morbo afflatum inprimis animadverto operis exordium; nulla apparatus dignitate, nullaque consiliorum inter principes initorum notitia, insigne. Quare altius a te id opus repetendum censeo, caussasque majori ambitu exponendas, quibus hoc bellum exarsit, quae tantarum rerum molem, animorumque tam acre dissidium contentionemque, pro dignitate sustineant. ἱστορίας γὰρ, ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ διὰ τί, καὶ πῶς, καὶ τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐ-

τῆς,

της, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται· καὶ παραυτίκα μὲν τέρπει, πρὸς δὲ τὸ μέλλον οὐδὲν ὠφελεῖ τὸ παράπαν. Ut nos monet consultissimus Historiae pangendae Magister Polybius Lib. 3. Cui accinit Lucianus in Libello *Quomodo conscribenda sit Historia*, hisce verbis: διμαθῆ δὲ, καὶ σαφῆ, τὰ ὕστερα ποιήσει, τὰς αἰτίας προεκτιθέμενος. Haec in universum. De reliquis pro loci opportunitate monitum te faciam. Tu in iis quae dixero, aequi bonique consule. Non enim vereor, ne mihi vel livori vel malignitati vertatur, quando ego mihi conscius sum, a me culpam hanc esse procul.

AD LIB. I,

Quaenam sunt ista *Artificia militaria?* ego potius intelligerem τὰ στρατηγήματα, sive artes circumveniendi hostem. Sed alia tibi mens. Reponito, si vis, *ad artificia poliorcetica*. Nempe animum adjunxerat Bazetus εἰς τὰ πολιορκητικὰ μηχανήματα καὶ ὄργανα.

Ab illis verbis: *Quippe per*, ad illa: *fovendas suscepisset*, non capio. Et tamen nihil est in Historia conscribenda, obscuritate turpius. ὡς γὰρ τῇ γνώμῃ τοῦ συγγραφέως σκοποὺς ἀπεθέμεθα, παῤῥησίαν καὶ ἀλήθειαν, οὕτω δὲ καὶ τῇ φωνῇ αὐτοῦ, εἷς σκοπὸς ὁ πρῶτος, σαφῶς δηλῶσαι, καὶ φανότατα ἐμφανίσαι τὸ πρᾶγμα. ait Lucianus.

Regulos appellas optimates summosque proceres. Non ferendo verbo. Quomodo enim *Reguli*, si in aliena regia? Scio te in hunc errorem induxisse Bembum, qui hoc nomine donavit Italiae Dynastas, reclamantibus Latini sermonis mystis. Tametsi ille minus absurde; cum de Principibus ageret, liberam dominationem exercentibus; sed tamen infra fastigium regium. Dele igitur invidiosum hoc nomen.

Legatus, Imperatoris dicto erat obaudiens. Itaque semper ad illum refertur: ut, Legatus Caesaris, Antonii, Pompeji. Quod eo factum, ut de militari munere intelligeretur. Non autem ἐπὶ τῶν πρεσβευόντων. Itaque Castelvinium, vitandae ὁμωνυμίας caussa, appellabo *Tribunum Militum*. τὸν πολέμαρχον.

Consules extra Romam non erant. Uti nec Senatus, nec Senatores. Nam in Provinciis Decuriones loco Senatorum erant. Ita dicti propterea quod essent de Curia, quae erat instar Senatus. Magistratus autem, qui ex Decurionum numero creabantur, dicebantur *Duumviri*. Qui modo annui erant, modo triennales, aliquando etiam quinquennales. Pleni hujus rei libri, lapides, metalla. Itaque Valentinos Magistratus, qui rem administrant publicam, appellabo proprie: *Valentinae Urbis Seviros*.

Immodicae fortitudinis. In virtute nihil extra modum. Immodicam libidinem, avaritiam, severitatem, recte dixerim; quia vel vitia sunt, vel propensiones ad vitia. Fortitudinem autem appellabo *eximiam*, *egregiam*, vel alia talia.

Togati. Neminem, praeter Romanos, *Togatum* appellabo. Emmanuelem hunc ſcio fuiſſe *Octovirum litibus judicandis.*

Inque Conſules Senatumque. Longe melius : *inque Seviros Decurionesque.* Obſerva in poſterum ſis.

Nec aequi Scriptoris, nec boni patricii eſt, tot praeclarae fidei juxta ac nobilitatis viros oblivione involvere. Nihil tam diligenter in tota hac narratione poſteritati commendandum, quam eorum nomina, qui hac infidelitatis tabe minime afflati, fidem ſuam illibatam ad poſteros tranſmiſerunt. Quid enim indignius homine ingenuo, & bono cive, quam in patriae peccata, ſeu fatum potius, tanta verborum acerbitate invehi, tam infenſo animi impetu ſaevire; ubi autem ad res a civibus praeclare geſtas ventum eſt, impetum remittere, atque langueſcere ? Idque ſceleris committere, ut bonorum civium catalogus ab exteris Scriptoribus ſit petendus: abs te autem patriae tantum dedecus atque monſtra?

Expugnationem. Immo *oppugnationem.* Oppugnari oppidum ſine aggeribus, vineis, turribus, teſtudinibus, arietibus, ſcalis, aliisque id genus machinis atque tormentis, non poteſt. Expugnari autem poteſt, incuria obſeſſorum, fraude, pecunia.

Imperatoris exemplo. Imperator is tantum dicebatur, qui juſto exercitui praeerat. Quocirca planum hunc, *Ducem* potius appellabo. Ut qui latronum inconditam multitudinem duceret, nullaque militari diſciplina ſubactam.

Metu hortati. Dura translatio. Hortamur, verbis, clamore, precibus, blanditiis. Profecto ſermone opus eſt. Quamobrem ad res mutas transferri non poteſt. ne dum ad τὰ ἀσώματα. Mitto, a te παθητικῶς poſitum.

Proregis milites cuſtodes. Non placet. *Praetoriani.*

Expeditione. Illane expeditio? Ubi apparatus bellicus? ubi exercitus? Porro non illi invaſum ibant, quod expeditionis proprium eſt, ſed opitulatum.

Scloppis emiſſis. Emiſſisne, an diſploſis? Non enim ſcloppi emiſſi ſunt, ſed glandes.

Altioris aetatis vir. Eſtne idem ac, *vir magno natu*? Doce me hanc rem. Namque, vel nusquam legi, vel legiſſe me usquam non memini.

Alonenſis obſidio non Corvini, ſed Marchionis Raphalis adventu ſoluta eſt. Allaborante etiam Epiſcopo Orcellenſi, qui poſtridie Alonem, πολιοϱκίᾳ jam liberatam, ingreſſus eſt. At, heus tu, talem tantamque rem tam perfunctoria manu? Tribusne verſiculis Alonae oppugnationem? Vix, poſt Valentiae motum, quicquam in provincia accidit illuſtrius ea tempeſtate, quodque majore cum diligentia, cura, ſtudio, literis ſit conſignandum. Quod tu contra facis. Tam levi enim manu illa tractas, ut ad poſteros (quod dicitur) nec vola, nec veſtigium.

Canthe-

Cantheria. Immo *equos cantherios.* Ego tamen *caballos* dicerem. Quae vox non nisi per deridiculum usurpatur. Sed optimum est : *equos sarcinarios.* Quomodo appellantur a tuo Caesare. Vel *equos dossuarios.* Quos vocant Historici Graeci : τὰ ὑποζύγια & ἀχθοφόρα.

Viae pariter & pugnae. Scribe : *Itineri pariter & pugnae.*

Civis sui. Etiamsi Anglus esset Mohonius, civis tamen non esset, sed gentilis.

Quae necessaria erant hibernaculis. Ego vero *hyemationi* dixissem. Ratio in aperto.

Vel quia natura, &c. O bene ! o si frequentius! Hoc etiam in Historia tua desidero Emmanuel : ut nempe ad politica monita quandoque divertaris. Sine quibus Historia arida est atque elumbis. Est enim vitae institutrix atque magistra. Διὰ τὸ μηδεμίαν ἑτοιμοτέραν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσιν τῆς τῶν προγεγενημένων πράξεων ἐπιστήμης. ut est apud Polybium statim in limine Historiarum.

Pecuniam per vim eruere. Tamen ab illis religione tactis multum pecuniae fuit relictum, quod a regiis postea corrasum est. Intercepto etiam aerario publico, & creditoribus jure suo dejectis. Veritati litandum. Est enim Historia, ex Diodori Siculi sententia, προφῆτις τῆς ἀληθείας, *Deae Veritatis Sacerdos & Prophetiae.*

Togatorum principatus. Nimis ample. Congruentius : *XIV. virorum praefectura.*

Pars urbe cesserunt. Et hic recensendi aerumnosi isti patrifugae.

Sociennes. Apud Plautum Amphitruone, Aulularia, Casina, *Socieni.*

Murgi habito. Tu Murgin appellas quam indigenae *Murciam.* Atqui eam esse veterum Murgin, non est compertum. Propterea quod illa sita fuerit in Turdulis, Murcia autem sit in Bastitanis. Sunt qui credant eam fuisse quam nunc vocant *Muxacra*, in regione Granatensi. Utut se res habeat, tutissimum mihi videtur eam notissimo vocabulo appellare *Murciam.*

Passionis. Video quo te redegerint Latini sermonis angustiae, & mysterii religio. Tamen ego deglutire non possum. Tuae erit industriae, animique solertiae, vocem aliam sufficere.

Haraldum misisset. Abige hanc vocem ad haram, & repone : *Caduceatorem misisset.* Graeci vocant κήρυκα.

Assulisque ferreis. Assulas nusquam reperies praeterquam ex lignea materia vel ex marmorea. Sunt enim assulae vel securibus excussae. τὰ ἐκπελεκήματα. Vel a marmorariis ex operibus dejectae. οἱ σκῦροι. Ergo hoc loco scribo : *Fragminibusque vehementissime excussis.* omisso epitheto. Sunt enim ex tormento ferreo. Sic Maro, extremo divini operis, de Turni ense fracto :

Morta-

Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulva resplendent fragmina arena.

Nihil aptius.

Ad Lib. II.

Ad Togatos. Scribe, si libet, *ad Seviros capitales.*

Tota Archiducis regione. Praefero: *ditione.*

Vicario Generali. Digno profecto, cujus nomen ad posteros transmittatur. Eum tamen ego appellarem potius: *Antistitis Vicarium.* Ut differat a Liechtesthenio, Vicario Principis.

Eugepae! Hoc nempe est quod abs te peto. Uti positis armis, ad civilia interdum divertas. Habes, quorum vestigia premas, Livium, Tacitum: Thucydidem, Xenophontem. Praesertim vero, Polybium. Est enim praecipua Historici virtus, diligens observatio caussarum, eventuum, atque omnium, ex quibus prudentia augeri potest. Iccirco ait Megapolitanus historicus in primo: ἀληθινωτάτην εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν. Propterea quod incumbere in ejus lectionem, sit quasi in ipso rerum actu & negotiorum Civilium aut Militarium administratione versari, & rerum viris politicis necessariarum cognitione instrui. Quamobrem Aristoteles Rhetoricorum primo vocat Historiam πολιτικῆς ἔργον.

Repugnantes sententiae. Cum enim dixeris, *vulgi animos* metu gravissimo fuisse affectos ex Austriaci discrimine; quod existimarent, eo capto, omnes spes opesque ituras pessum; seque victorum irae fore obnoxios; subjungis e vestigio: *Turbida vero vulgi ingenia Bazetum suum ad Urbem reduci fremebant, seque eo ductore satis esse ad hostem provincia pellendum.* Si hoc vulgus jactabat; undenam metus ille gravissimus ac trepidatio? Ad haec, quum subdis: *Turbida vero vulgi ingenia*; videris profecto de honestiore ordine verba proxime fecisse; id adstruente epirrhemate illo, *vero.* Equidem scriberem, si per te licet: *Quorum autem turbida erant ingenia, quorumque vis omnis, &c.* Nam praecesserat: *prudentiores existimabant.*

Coenobiarchis. Non est quod Latio hanc inferas injuriam, cum habeat illud suam *Antistitem*, vel *Antistitam.* Utrumque Tullianum, si quid ad rem pertinet.

Militiani. Neque *militiae*, neque *militiani*, Latina sunt. Num isti fuerint qui apud Romanos *evocati* dicebantur; jam diu quaero. Nam illi re vera non milites, sed pro milite erant: qui ex diversis locis aequo jure ac foedere junctis, militiae munere fungebantur, dicente Consule: *Qui vult Remp. salvam, me sequatur.*

Quassa-

Quassationem. Quassatio nec Latinum est, neque, etiamsi esset, id ullo modo significare poterat, quod nostrates vocant *brecha*. Cum haec quassatione fiat. Elegantissime appellasti proximo versu, *muri ruinam*.

Fossam introrsus ducunt. Fossae omnes vel transversa ducuntur, vel in orbem. Tu dicere voluisti *fossam interiorem* esse ductam. Nunc tandem comperio, verum esse quod de Historicis scribit Lucianus: *Non quid dicant, ipsis esse quaerendum, sed quomodo dicant.* Quod ille profert hisce verbis: οὐ τί εἴπωσι ζητητέον αὐτοῖς, ἀλλ᾽ ὅπως εἴπωσιν

Ad templa supplicationes. Perbelle. Sed quam me titillant illa veterum pulvinaria!

Indulgentur. Malus auctor Latinitatis Gellius.

Et pretiosiorem supellectilem Comitis Bugnolis. Splendidissimum mendacium. Ex tota illa supellectili ne hilum quidem abductum est!, praeter ephippia a Cardona sublata, reclamante Peterboruwio. Te interim monitum volo, veritatem esse Historiae oculum. Nam, ut ait Polybius in XII. καθάπερ ἐμψύχου σώματος τῶν ὄψεων ἐξαιρεθεισῶν ἀχρειοῦται τὸ ὅλον, οὕτως ἐξ ἱστορίας ἐὰν ἄρῃς τὴν ἀλήθειαν τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίγνεται διήγημα.

Helchium. Utinam reliqua oppidorum prisca nomina tam essent nobis comperta, quam istius. Nihil in antiqua Hispaniae Geographia illustrius. Sunt apud me sex nummi in eo percussi. *Illicem* veteres dixere.

Haud procul Alonem. Si intervallum appinxeris, facies quod e re tua est, & lectorem opportune instrues. Neque enim nescis quantae sint in Historia Geographiae partes, cum ad eam rite callendam, tum ad eventa memoria complectenda.

Enormis magnitudinis. Enorme vitium significat. Nimirum rem extra normam. Appellabo igitur *enorme*, quicquid modum sive mensuram, sibi vel ab arte, vel a natura constitutam, excedit, vel ab ea discedit. Ab arte, ut triangulum ἀνισόπλευρον, aedem perverse structam. A natura, ut hominem vigintipedalem, buxum in platani amplitudinem excrescentem. At naves rite fabrefactae, quacumque tandem mole constiterint, nunquam enormes dici poterunt, cum nullam habeant ab arte praefinitam magnitudinem. Quamobrem, octo illae naves (tot enim fuerant) immanis, vel immensae magnitudinis, a me dicentur: non autem enormis.

Tormenta perfracta disjiciunt. Non tormenta, sed compages sive repagula, quibus tormenta sustinebantur. Igitur scribito: *Tormenta, subjectis compagibus perfractis, disjiciunt.*

Naves adjiciunt duas. A reliquis sejunctas. Alteram nempe, Batavicam, ad Occidentem, ut Urbem eo vergentem quateret. Anglicam alteram ad ortum. Quae maximo fuit obsessis detrimento. Quippe cum arx declivitate sua in illam unice propenderet; nullus omnino locus supererat, quo se reciperent, praesentissimum exitium declinaturi. Adeo omnia destinatissimis hostium ictibus patebant. Quamobrem nihil tam eorum

fregit animos, fiduciamque dejecit, quam infestissima illa navis. Quae pilis ferreis adeo totum arcis solum constraverat, ut non nisi caespitantes & lapsabundi gradum movere possent praesidiarii. Quod tamen illi non fuit impune. Quippe ejus latere duabus pilis subtus aquam trajecto, multum admisit pelagus. Cumque illam, ne mergeretur, subducerent, per patentem in puppe fenestram tertius globus immissus, quicquid illi fuit obvium detersit, stratis hostibus duodeviginti. Quamquam id etiam in majorem recidit obsessorum perniciem, cum pro una navi semiquassa duas integras suffecissent. Quam quidem narrationem ut Historiae tuae adglutines, ego tibi sum auctor. Est enim neque illepida, neque inutilis.

Moenia tot locis patefacta. Immo excisa, diruta, disjecta. Murorum enim ruina aedificia urbana patefiunt, non autem muri: qui semper in aperto & patentes.

Vacuefactum. Non est cur strigosa hujusmodi verba aucupemur, quando nobis sunt ad manum elegantissima illa apud Romanos historicos: *Oppidum defensoribus vacuum.* Nam absque necessitate ἀρχαΐζειν, hoc vero est, sine pruritu cutem exasperare. Praeterquam quod apud idoneum auctorem id verbi minime reperies.

Ad XX. dies. Immo ad quintum & tricesimum diem. Oppugnari enim coepta est arx Alonensis Kalendis Sextilibus: ab oppugnatione vero cessatum IV. Idus Septembreis, ipso meridie. Propterea quod Mahonius renunciaverat hostibus, cum illis opus sibi esse convento. Quo factum, ut illo ipso die, hora nona, in colloquium venirent. Quod ad noctem usque protractum. Tandemque pridie Idus deditionem fecit.

Neapolitanae cohortis Praefectus. Ecquisnam? Nam ibi aedepol tris numero fuere cohortium Praefecti Neapolitani: nempe, Fernandus Caracciolus, Placidus Denticius, Josephus Mariconda.

Literas, in quibus de prodenda arce agebat. Nugae. Nihil tale accidit, nec quicquam intervenit literarum. Sed cum in deditione paciscenda pro se quisque acrius contenderent, quidam Anglus ex ductorum ordine, Mahonio ad aurem insusurravit, frustra se de toleranda obsidione amplius cogitare, cum in ipsa arce versaretur Neapolitanus quidam Praefectus, qui de illa prodenda secum transegisset. Quod me-hercules callidi hominis potuit esse commentum ad hostem circumveniendum. Quod si literae, ut abs te traditum est, sceleris auctorem prodidissent, pessime illius capiti fuisset consultum: quando Mahonii in potestate erat, hominis irae immodici, ingenio saevi, ultionis avidi, & ad immania quaeque perpetranda facti. Porro illi ipsi tres Praefecti suas hodie cohortes ducunt, nec officio usquam defuere. Quod ad nostrum attinet, monitum te volo, non magis admittere Historiam quicquam falsi, quam asperam arteriam esculenti quicquam. Quod luculenter tradit Lucianus in eo opusculo, quod inscripsit: *Quomodo conscribenda sit Historia*, hisce verbis: ἡ δὲ

ἀκο-

οὐκ ἂν ἓν ψεῦδος ἐμπεσὸν ἡ ἱστορία, οὐδ' ἀκαρεαῖον ἀνάσχοιτο, οὐ μᾶλλον, ἢ τὴν ἀρτηρίαν, ἰατρῶν παῖδές φασιν, τὴν τραχεῖαν παραδέξασθαι, ἄν τι καὶ αὐτὴν καταποθέν.

Mandatis. Immo *monitis.* Nam ab amicitia & bona fide, non ab imperio proficiſcebantur.

Dolo malo corruperant. ἀνισορησία. Duae erant in arce ciſternae compluviae. In quarum alteram cum canis caſu fuiſſet delapſus, in eaque periiſſet; aquae vitium contraxerant. Nec tamen iccirco inutiles factae: cum inde, praeterquam ad potum, ad omnes humanos nihilominus uſus aquam peterent. Altera levandae ſiti, carnibusque elixandis deſtinata fuerat. Praeſidiariis (qui tum temporis non multi admodum erant, ſed ad CCCXXV. omnino) ad menſem facile ſuffectura. Quare non eo ventum eſt unquam, ut aquae penuria laborarent, ſed ignis copia. Cujus immenſa vi ad deditionem fuere compulſi. Nec aliter Mahonius caeterique, qui ei rei interfuerant. Quamobrem, nihil eſt quod Neapolitanis, nihil tale merentibus, hanc dicam impingas. Immo, ſi rem altius ſcire velis, in mandatis habebat Mahonius a Rege miſſis, uti illam traderet Arcem, niſi intra certum tempus copiae ſibi ſubſidio adfuiſſent. Quod quidem tempus multo longius a Mahonio productum eſt, quam ſibi a Rege fuerit conſtitutum.

Exſpectare. Parum liberaliter mihi videris cum Alonenſibus agere, qui in oppugnatione illa, poſt hominum memoriam nobiliſſima (utpote in qua Angli, centum & viginti quinque pilarum millia, globorum autem nitrato pulvere refertorum millia ſex, in Urbem Arcemque fulminaverint) eorum neminem memoriae prodideris. Cum tamen non defuerint qui operam navaverint non inſtrenuam in Urbe Arceque defendendis. Quod mihi periniquum prorſus videtur, perque inhumanum, & a diligenti hiſtorico penitus alienum. Igitur qui ex equeſtri ordine, poſt Urbem ab hoſtibus captam, in Arcem ſe contulerunt, eam ad extremum uſque ſpiritum propugnaturi, quantum memoria recenſere poſſum, hi fuere: Didacus Boſquius, Marchio, Urbi Praefectus, Gabriel Paravicinus Arcis Praefectus, Ignatius Paravicinus Secundarius Praefectus, Paullus Martinezius, Franciſcus Scorcia Cohortium Urbanarum Praefectus, Petrus Burgundus, Petrus Nogerolius, Euſebius Salafranca, Stephanus Rovira, Joſephus Francus, Nicolaus Sarrio, Nicolaus Vergara, Ventura Fernandezius, Bartholomaeus Martinus. Reliquos (ſi qui ſunt) diligentiae tuae erit inquirere.

Reliquum quod erat Bugnolii Comitis. Nec tramam putridam inde abſtulit Piterboruwius. Et tamen haec omnia ob oculos tuos geſta ſunt.

Ab Neapolitanis proditus. Cave tibi, ſi ſapis. Namque

Qui ſibi ſapiens non eſt, nequicquam ſapit.

Ad Archiducis partes transierant. Non omnes. Multi enim ex iis postea in praelio ad Almansam strenuissimam operam navarunt.

Agros aqua impleverant. Non placet. Longe melius : *Superfuso flumine agros inundaverant.*

Scloppis in eos emissis, parvisque tormentis. Parum detrimenti accepissent hostes, si a militibus stationariis scloppi tormentaque fuissent emissa. Non ipsa, sed glandes majoresque pilae emittuntur. Scribe (quod solens facis) *displosis*, seu *laxatis.*

Compluti. Indulgeo, quia utitur Solinus in *de Gruibus.*

Seculares Sacerdotes. Si essent ludi, nihil morarer. Depromito aliquid ex tua penu, quando tam locuples est, quod magis arrideat. Nam id, per Deos, indignum est tam casta dictione.

Catholici Exercitus. Invidiosum Carolo Austriaco, caeterisque foederatis Catholicis, epithetum. Heus tu, sede ad calculos, & tibi consules. Nemo enim scit, quid vesper serus vehat.

Domos exhauriunt. Galli nempe. Nam Hispani, Imperatoris invidia, non nisi laboribus periculisque exhauriendis eximebantur.

Caedibus abstinent. Non tenes rem. Nam prima militum irruptione multi passim confecti sunt; profecto ad CLXXX. Quorum plerique insontes, qui recte factorum conscientia freti, nihil tale verentes, irruenti militi sese objectarant : quasi innocentiae titulum, ac Philippi nomen, in fronte gererent. Hos omnes absumsit Dea nigra. Caeteri, qui caussae suae parum fidebant, partim fuga salutem quaesiverant, partim in diversas latebras sese abdiderant. Bona autem pars (ut in extremis malis fieri solet) ad templa confugerant.

Multa VI. M. aureorum indicitur. Immo XX. millium. Nullum profecto oppidum in tota Provincia calamitosius, nullum quod tot tantasque exantlaverit aerumnas. Quippe quod intra biennium CXXV. aureorum millium jacturam fecerit. Vah! tam immanem summam? Vero tibi dico. Crede mihi, Mignana, vel jurato. Sunt enim apud me instrumenta publica, quae id testatum faciunt. Sunt praeterea tabulae, in quas Illicitani id Philippo ferunt expensum. Partim bona fide erogatum, partim a militibus per vim ereptum, multum denique belli furore absumtum. Nimirum in castris hibernis, pecuniis ultro oblatis, nunciis ultro citroque missis, sapone in usum exercitus, oleo, frumento, vino, hordeo, paleis, ficubus aridis, pecore lanari, suillo, & caprino: sexcentis mularum jugis a militibus in oppidi direptione abactis : minoribus jumentis mille itidem & ducentis, equis sarcinariis sane quam multis. Porro veste, gemmis, auro, argento facto signatoque, supellectili. Damno itidem a militibus dato, agrorum vastatione, aedificiorum ruinis incendiisque, segetibus pabulationi detonsis, demum per sex & quadraginta dies intercepta agrorum irrigatione. Adde, miseria, inopia, morborum vi, ferro, fameque,

ac tandem animorum aegritudine, oppidum, caeteroqui frequentissimum, ad solitudinem pene redactum: cum ex mille & quingentis familiis, quibus illud constabat, vix sexcentae supersint. Quo factum, ut ager ille suopte ingenio feracissimus, cultorum defectu sylvescat.

Capitulum Valentinum. Capitale id est Romano sermone initiatis. Placetne: *Canonicorum Collegium*, vel *Coetum?* Tu videris.

Ejus pueritiae educatori. Longae ambages & ferreae. Latinissime: *Ejus nutritio.* Usus est hoc vocabulo Caesar tuus, tertio *Belli Civ.* Vel, si Ciceronem praefers, *ejus alumno.*

Displosione. Praetulerim hoc loco, *fragore.*

In speciem spectatissimi triumphi. Vox *spectatissimum* semper refertur ad mores, quoniam eos, quos in admiratione habemus, oculis prosequimur. Itaque suffectum i: *splendidissimi triumphi.* Qua voce utuntur fere Scriptores aurei ad declarandum instructissimi triumphi apparatum & pompam.

Ad majoris templi. Melius longe: *Ad templi maximi.*

Procedendae pompae. Apud idoneos Scriptores semper *ducere pompam*: ut *ducere funus.* Itaque dic: *ducendae pompae.*

Osculandam manum obtulit. Num praestaret scribere *manum osculo porrexit?* Sequentia praetermitterem, quod redundent. Ignosce περιεργίᾳ & diligentiae meae.

Ad lacum amoenum. Tu Plinio melius, qui pro *stagno*, *lacum* reposuisti. Sed, heus tu, si hunc lacum accuratius descripseris, & patriam hoc beneficio obstringes, & salva Historiae dignitate id feceris. Per Deos, in hanc rem incumbe.

Senatu Togatorum. Pessime. *XIV. virorum Collegio.*

Pecuniae sequestratae. Non habes quem sequaris. Elegantius & nitidius: *pecuniae apud sequestros depositae.*

Donativum indicitur. Donativum erat proprie, quod a Principe vel Imperatore militibus donabatur: ut Congiarium quod Populo. Utrumque gratuitum. Hic contra, & Princeps a Populo exigit, & invito. Quocirca ab ea voce manus abstine, & scribe, si placet, *pecunia pro cujusque facultatibus indicitur.* Vel quid simile.

Ex malecontentis. Abjice hoc monstrum. Praesto est: *qui odio regiarum partium.*

Principe malo. Nescio qui fiat, quo minus hac voce delecter. Equidem scriberem: *decumano malo.*

Vehementer delectatus sum navali hac excursione. Quae excursiones in Historia interdum necessariae, cum ornatus caussa, tum ut lectorem, caedium armorumque taedio confectum, exhilarent.

Rebus nihili. Tune res istas nihili vocas? imo maximi momenti, in civili hac discordia. Immortali me gaudio beas dum haec haurio. Macte animo, Mignana mi, perge hoc iter quod instituisti.

Initio hujus ſeptimi anni. O bene! quod aliquando temporum rationem inviſti! Hoc nempe eſt, quod a te ſaepius deſideravi. Exactam ſcilicet temporum notationem. Qua ſine, nihil aliud ſunt rerum geſtarum narrationes, praeter involucra quaedam, & indigeſta congeries. Duplici baſe nituntur memoriae ſimulacra, tempore & loco. Quamobrem, ut Chronologia & Topographia in primis eluceſcant, magno eſt opere allaborandum hiſtorico. Exemplo praeivere tibi Graji, qui nihil literis conſignaverunt absque certa notatione Olympiadis Iphiteae, & Athenienſis Magiſtratus. Quae quidem Olympias habita iccirco eſt veluti quaedam cuſtos temporum, vindexque veritatis hiſtoricae. Exemplo item Romani Scriptores, qui ubique, tam Actis urbanis, quam rebus geſtis, Conſules ſuos appingunt. Quo fit, ut mirari ſubeat, tuam, in re tanta, incuriam ac negligentiam. Ex cujus narratione, rerum eventa geſtorumque ſeriem perbelle diſcimus; tempus autem quo ea geſta fuerint, eruere minime poſſumus. Quo vitio tota pene Hiſtoriae ſtructura parum conſtat, atque labaſcit.

Faciendis Chriſtianae pietatis ritibus. Nec ſatis dicunt, nec bene! Scribe, ſi me audis, *juſtis Chriſtiano ritu ſolvendis, ciendisque.* Eſtne? Orichalco contra non cara eſt mea induſtria. Neſcio quocum homine tibi res ſit. Nec Barclajus ipſe Latine magis loquutus eſt.

Naves pontibus ſuſtinendis. Nimis ampla appellatione. Naves ſunt quae navigationi deſtinantur. Has autem inertes, appellabo *Scaphas.* Pene dixi, *pontones.*

Statumina plena. Non capio. Aliquot in hac Urbe vidimus, Luſitanis in hoc bello captas, ejusmodi laminis forinſecus impactis opertas.

Planicies erat. Quod ſaluti fuit militi regio.

Num quicquam te negligentius, qui ſitum ingeniumque loci, in quo nobiliſſima pugna pugnata eſt, tam impudenter praeteriiſti? Audi Polybium in V. *καὶ παρολιγωρητέον τῆς τῶν τόπων ὑπογραφῆς, ἐν πάσαις μὲν ὁποίαις τῶν πράξεων, ἥκιστα δ' ἐν ταῖς πολεμικαῖς.*

Utriusque exercitus alae pertinebant. *Aciei* melius. erant enim in procinctu.

Tranſverſo gladii ictu. Venuſtiſſime dictum. Sed poſtquam libet delicias facere, viſum mihi eſt etiam in hac re ludier. Dixiſſem ego: *gladio caeſim impacto, ejus dextram demeſſuit.* Satisne tibi videor diſertus?

Siniſtro trunco. Niſi addideris *brachio*, nihil dicis.

Auro picto. Melius, *auro intertexto.*

Sunt indicia virtutis vulnera.. Dummodo ne ſint averſa. Itaque adderem *adverſa.*

Reliqui ductores Neapolitani. Non ductores ſolummodo, verum etiam milites gregarii. Unus invulneratus remanſit Cantelmius.

Quan-

Quandoquidem autem ut sua cuique laus deferatur, jus & aequum postulant, mirari satis non possum negligentiam tuam, animumque (pene dixero) a gente nostra aversum. Quippe cum illo die Hispani ea ediderint avitae fortitudinis documenta, eaque patraverint facinora, quae vel hostes ipsos in admirationem induxerint; tu tamen ea, cui istud negotii referebat maxime, perinde silentio obvolvis, ac si ignaviae labe gentis nomen polluerint, vel turpi aliqua ignominia sese impiaverint. Contra Gallos, quibus nihil fuit in eo praelio ignavius, coelo effers. Per eos stetisset, actum profecto esset de Philippi Regno. Ita illi gregatim, more pecorum, trepidantes ac pene exanimati, relictis ordinibus Almansam confugerant. Quod quidem Oppidum terrore compleverant, dum muliebriter ejulantes, ac rimabundi, latebras quaerunt, abjectis extra murum scloppis, ut expeditius per macerias ereperent. Quorum sclopporum, ad mille numero ab oppidanis fuere collecti, cum uno vel altero vexillo. Nec animi consternatio fuit impedimento, quo minus aliqui ad diripiendum templum se converterent, quo specie quaerendae salutis confugerant. Ea est gentis praedandi libido, & sacrorum contemtus. Di bene faciant Donhae, qui in hac Urbe, non solum publice Gallorum ignominiam testatus est; sed in frequentissimo convivio, quo a Galliae Legato opipare fuerat exceptus, palam illi suae gentis exprobrarit ignaviam. Suffuso ad haec rubore Gallo. Nec sua laude fraudandi sunt Praetoriani Batavi, Neapolitanique. Quorum omnium strenue navata opera, virtutisque experimento, illa profecto Philippo parta fuit victoria. Vale. Dat. Mantuae novae in Carpetanis VII. Kal. Novembris MDCCVII.

LIV. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA

Coenobiarcha Valentinus

EMMANUELI MARTINO

Alonensi Decano.

S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

NOn satis pol mihi videris nares emunxisse; etsi te ut purges diligenter, nihil non rerum satagis. Caperat tibi frons jam in primo verbo? Quid si dixissem, cerebrum emunxisse te? Abuti te indulgentia mea. Atqui per te licet. Sed ut ad rem, primum omnium hoc te mihi credere vehementer velim, non me scilicet nescire quae de peregrinis vocabu-

lis.

lis ais, quibus olim Roma usa est, cum apud Quintilianum id ipsum saepe legerim. Et etiam illud me legisse memini apud Vallam quae in tuis monitis initio appinxisti. quod superioribus meis dicere oblitus sum. Equidem venit in mentem nunquam, fore ut ea ad me scriberes. Si venisset, ut mea est in te voluntas, ut tibi parceres, hortatus essem quam familiariter.

Flagitium me fecisse innuere videris in verbo *Comes.* non est. Sub centone, fateor, me saepe facere. cujus rei caussa praefamur honorem. *Comites Palatinos* ab heri & nudiustertius fuisse scio, quos minime aspernantur jurisconsultorum libri. Nec is ego sum qui verear priscos Romanos ab Orco emersuros ut nostram Historiam censoria severitate in ordinem redigant. Videris mihi profecto nullam horum temporum habere rationem. Atqui habuit Carolus Sigonius, qui eo vocabulo & aliis ejusdem furfuris utitur. Quin & *Consules Bononienses* saepe dicit, & *Consules Mediolanenses.* Et mihi non erit impune dicere *Consules Valentinos?* Sed frustra ego ad te haec, cui Sigonius non pluris est quam fungus putidus.

Ecquid illud de evocatis? & alia quae ego superioribus meis? Dixisses saltem illud tritum: *caetera belle.* Quod in tuis est in extremo, perbelle mihi videor callere. Quod ut intelligas, uno verbo: *Oculissimam quam tu habes Historiam, habeo occlusissimam.* Tetigin'?

De Epistola tua ut aliquid dicam, ea est, ut ad illam componendam Musae convenisse videantur. Nihil dici pote venustius, nihil elegantius. Sed ne culpa ingenii. nosti caetera. Quod ad aerumnosissimam Ursulam tuam scribis, mihi curae erit. Vale multum, meque dilige. Val. Edet. III. Kal. Novemb. An. MDCCVII.

LV. EMMANUEL MIGNANA EMMANUELI MARTINO

S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

ETsi saepe a te lacessitus, literas adhuc dederam nullas, quibus satisfacerem amori erga me tuo; tamen humanitate tua ad id officii adactus, posthabitis rebus omnibus, nunc demum facio. Nec tibi persuadeas, mi Martine, id a me usque adeo praetermissum vel negligentia tui, vel scribendi taedio, cum & meum in te animum bene noveris, & ad hujusmodi literarum commercia quam sim devexus. Sed tot curis distineor in hac conversione ac perturbatione rerum tum publicarum, tum domesticarum,

rum, ut vix ad amoena Musarum diverticula animum sevocare queam. Iccirco non tam mihi ignoscendum, quam meam vicem dolendam puto. Diu enim est quum nihil lego, nihil scribo. quo mihi acerbius cadere nihil potest. Quae non adhibui remedia ut animo mederer meo? Frustra omnia, adeo ut quam aram teneam plane non videam. Nam uti quicquam meditari occipio, tanquam e medio cursu revocatus, modo librum, modo calamum abjicere compellor. Saepius neutrum quidem arripere licet. At nunc, cum calamum semel in manum, adnitar hercle, nec incoepto desistam, donicum me tibi sistam memorem gratumque tuorum in me beneficiorum. Et quidem ut talem me praebeam, bene est ut habeam in confesso, nostrae fieri Historiae tuis optimis monitis immanes & doctrinae & elegantiae accessiones. quorum beneficio jam illi extremam imponere manum serio possim, totamque rerum gestarum seriem diligentiore indagine pervestigare. Quod sane haud mihi esset proclive, nisi tua lima uti licuisset. Sed sunt nonnulla (quod cum tua bona venia sit dictum) in quibus impensissime religiosus nodum profecto mihi videris in scirpo quaerere. Itaque eorum me suscipere patrocinium boni abs te consultum iri velim.

Desiderare te, ais, in operis exordio ambitiosiorem consiliorum inter Principes initorum, & belli pariter caussarum expositionem. Faciat id qui totum opus moverit. Ego vero haec levi manu tangenda mihi proposui, utpote quae non totam belli molem, sed partem & quidem exiguam sustinerent, ut verbo tuo utar, ne viderer plane, ut ego aliquando ad te, ex mimo tragoediam facere; atque excidisse animo Horatiana praecepta. Nec primum librum est quod dicas jejuniorem hujusmodi rerum quam alterum, quandoquidem in illo initium motus describitur, qui ab iis tota Provincia exortus est triconibus, quorum consilium rapinae tantum & caedes. quae quidem satis a me pro dignitate sunt commendata. Non tamen nego fore e re nostra hujusmodi Principum consiliorum aliquo lumine exordium aspergere. Quod hercle faciam tum ob alia, tum etiam ut videas quid momenti habeant apud me monita tua. Quod autem in patriae peccato, seu fato potius mones acerbioribus verbis abstinendum, recte quidem mones. censeo id quoque patriae charitati condonandum. Sed aliter me docent Sallustius & Livius, qui in detegendis populi Romani facinoribus adeo sunt libere loquuti. Sed de his ad thesin hactenus. In hypothesi vero quae fiunt obviam sunt quaedam quae non tam scriptori vitio, quam tempori sunt vertenda. Talium enim verborum prodigia haud vitare potuerunt vel clarissimi ante me scriptores, quorum usu satis mollita, minus jam doctorum aures offendunt. Ne tu quidem qui adeo es delicatus barbara ac stridentia verba dedignatus es. Sic enim aliquando ad me scribens: *Bovilius Scaliger Marchionis titulo auctus est.* Et: *Mondexarensis Marchio.* Et: *Excellentissimus Bugrolii Comes.* Viden' quam tua verba factis non congruant?

Quod autem a me requiris eorum qui in fide permanſerunt catalogum, permoleſtam, imo odioſam rem facere jubes, quando Hiſtoriam ego gentis, non ſingulorum encomia ſcribenda ſuſcepi. Unde ſatis eſſe indicare exiſtimavi bonam civium partem & quidem fortiſſimorum fidem non mutaſſe, eaque de cauſſa tot aerumnas exantlaſſe, primoribus nominatis. quod Livius poſt Cannenſem pugnam ſaepiſſime facit.

Neſcire te fateris quid ſint *projecturae*, verbum non ita obvium in hoc ſenſu. Neſciebam & ego. Sed eſt quod Jovio habeam gratiam, qui id me docuit. Ea enim voce *baluartes* indigitat. Et quidem recte ſi rem attente perſpicias. Nam recentiorum mos eſt res novas verbis veterum, ducta ſimilitudine, appellare. ut dicitur *aqua luſtralis, &c.* Placetne vocari *caſtella?* indica. ab tuis partibus ſtabo. Illud etiam: *emittere ſcloppos* ab eodem accepi. quod quidem mihi rei naturam rimanti haud abſurde dictum videtur. Tudes enim ſive malleus in quo haeret pyrites lapis, laxatis retinaculis quibus ſuſtinetur, igni concipiendo emittitur. Ergo ſi *laxare ſcloppum* hac eadem de cauſſa recte dicimus, cur non *emittere* erit dicendum?

Sed miſſa haec facio ut veniam ad illud: *Morbo naturae debitum reddere*, quod nimis σολοικῶς a me ſcriptum autumas. & quidem autumas, quia oblitus es fortaſſe ita ſcripſiſſe *in Regibus* Nepotem illum delicias tuas. quod ſane miror. Illud porro: *naves* pontibus ſuſtinendis a me dictum non probas. ne proba etiam in 1. de Bello Civili id ſcripſiſſe auctorem illum, ibique earundem *navium ſtatumina* commemoraſſe.

Denique cum ſcripſiſſem: *transverſo gladii ictu*, laudatam a te dictionem, tanquam dubium numum aut ſubaeratum, das immutatam. Dicere volui: *de un revès.* quod illa tua περιεργία nequaquam exprimit. Ergo ſi per te licet, integrum hunc locum relinquam.

Quod ad Hiſtoriae veritatem facit, illud de Ponſio, quod dicis, Caſtellae ſcilicet fines non attigiſſe, verum non eſt. Ad Regem ipſum cum omnibus ſuis, unaque Joanne Bergada Valentino, viro clariſſimo in caſtra venit: qui Bergada, quae de Ponſio ſcripſi, ſaepe mihi narravit. Illud dicere voluiſti, non multis poſt diebus quam in caſtra venerat, ad Aragoniae fines infeſtandos cum non magna militum manu fuiſſe remiſſum. Sed haec nihil ad rem noſtram. Quae autem apud Alonem geſta ſunt accepi dudum ſcripto; ſed nonnihil diligentiae in ea re deſidero. Neſcio enim ſub adventum Avilae unde in illud oppidum Galli CC. qui tumultum plebeculae armati compeſcuere. Num eo praeſidii cauſſa miſſi? amabo fac ſciam. Poſtremo in quibusdam monitis ſeu potius caſtigationibus adhuc delibero, ut in *evocatis.* Nam eos eſſe exiſtimo, qui poſt militiae vacationem, difficillimis temporibus, nominatim ad belli munia rurſus vocabantur. Noſtratium vero longe alia eſt ratio. De his tamen alias. Reliqua monita elegantiarum ſunt plena, & te ſane digna, quibus ego meam Hi-

ſtoriam

ftoriam tanquam intermicantibus gemmis exornandam curabo. Addam accuratiorem temporum rationem, ac Topographicam defcriptionem: & ut verbo abfolvam, faciam ut toto opere appareat diligentia tua. Qua de cauffa peto a te, ut fi quae in noftra expoftulatione minus arriferint, me facias certiorem: nec patiaris φιλαυτίᾳ transverfum agi. Tu interim oblecta te quantum pote, & vale. Valentiae Edetanorum. Ipfis Non. Decemb. An. MDCCVII.

LVI. EMMANUEL MARTINUS

Alonenfis Decanus,

EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE,

Coenobiarchae digniffimo, & Rhetorices Profeffori ὁπηρέτην.

Valentiam Edetanorum.

QUo minus ad te refcripferim per proximos tabellarios, capitis gravedine factum eft, qua ita per hos dies obtorpueram, ut vel ipfum literarum nomen perhorrefcerem. Accefferant febriculae quaedam tentationes,

——— *mucusque, & mala pituita nafi.*

tam immani tetroque effluvio, ut viderer mihi aliquando, abiiffe me profecto in Hefiodeam illam Ἀχλὺν,

Ἧς ἐκ μὲν ῥινῶν μύξαι ῥέον.

Hac igitur valetudine impediti, pedem domo adhuc egreffi non fumus. Nec aliquid cepimus literarum oblectamenti, praeter tuarum: quibus delectatus fum ita, ut quum maxime. Id unum me moleftia nonnihil afperfit: quod & timide cauffae tuae patrocinium fufcipis, & veniam praefaris; quafi adverfus hominem pervicacem, vel contentiofum, vel bafilice obftinatum. Ain' tandem? Litigarem tecum, fi fas effet. Apage te homo inepte. Non folum tibi per me licet cauffam tuam defendere, ac perorare; verum etiam, fi libet, conviciorum plauftra in me jacere. Quod quidem, pro noftra inter nos familiaritate, non folùm crimine vacare cenfeo; fed etiam honeftum effe. Qua ego libertate (ut tibi exemplo praeeam) utar profecto in me purgando. Primum objicis, me in epiftolis ufurpaffe *Marchionis* & *Comitis* vocabula. Quod verum eft. Nec de *Marchionis* voce a me unquam expoftulatus es. Cui fine faftidio acquiefco, quoniam ea

Latini ſermonis proles non eſt; ſed a recentioribus novae rei ſignificandae excogitata. Quae quidem peregrina vocabula nec ipſa olim Roma aſpernata eſt, ſed ab exteris mutuata, in patrium ſermonem adſcivit. A Gallis nempe, *rhedam*, & *petoritum*, & *bracchas*: a Poenis *mappam*: a Germanis *frameam*: a noſtratibus *lanceam*, *gurdos*. Ab aliis alia. Porro, cur ego, inepte delicatulus, faſtidiam *Marchionis* vocabulum, quando Cicero ſuos *Barones* toties inculcat? De *Comitis* titulo non eadem ratio. Nam cum vox ſit Latina, a nativa ſignificatione detorqueri in aliam non poteſt ſine maximo flagitio. At perpetratum a me aliquando id ſceleris. Fateor me ita ſemel loquutum; ſed in epiſtola, cui fas eſt interdum hallucinari, ex Tullii ſententia. Quod quam ſit alienum ab Hiſtoriae dignitate, nemo non videt. Praeſertim tuae, in quam omnes confluxere munditiae.

Projectura nihil aliud ſignificat Latinis, quam prominentiam tectorum, ſive ſupercilium, arcendis ſtillicidiis projectum. Unde Cicero in Topicis, *tectum projicere* dixit, quod Graeci ἀπογεισοῦν. *Protectum* dicit Scaevola. Proprie *ſuggrundae*. Sed hoc quid ad rem tuam? Imbricum ſuggrundationes ſuperne projiciuntur. Unde Graeci ſuum γεῖσον ad eas tantum res transferunt, quae ſuggrundarum in modum propendent. Sic in galea vocant γεῖσον id quod in ſummitate ejus prominet. & γεῖσα ὀφρύων, illum quaſi projectum frontis, cui oculi ſubſunt. Murorum autem propugnacula, ſive quo alio nomine appelles eas προβολὰς, quae vulgo dicuntur *baluartes*, e ſolidiſſimo ſolo erumpunt. Quare non recte dixeris ea projici, ſed prominere. Ut in ora maritima promontoria. Xenophon in tertio ἀπομνημονευμάτων, montes ante Atticam ſitos, vocat χώρας προβολήν. Quod verbum id ipſum notat quod tu ex me quaeris. Sed Latine reddi non poteſt. Si ea propugnacula multa fuerint, ut Urbem in ambitu cingant; appellabo ea προβολάς. Quo nomine vocat Lucianus in *De Gymnaſiis*, quae Athenarum murum complectebantur. αἱ ἔκτοσθεν προβολαί. Jovii auctoritas in Romana lingua non mihi pluris eſt quam fungus putidus. Qui *emittere ſcloppos*, pro *laxare*, ſeu *diſplodere*, rectum eſſe dixerit, ſtupidior eſt lapide molari.

Verba illa: *morbo naturae debitum reddere*, ſi ego reprehendiſſem ut parum Latina, dignus profecto eſſem, cui latera batuerentur ſculponeis probe. Id tantum ſcripſi eſſe nimirum περιοδικωτέρα. At uſus eſt nitidiſſimus ille Nepos. Nec id quidem me fugit. Sed non neſcis, eum ſcriptorem omnia e Graeco reddidiſſe, ex Xenophonte praeſertim ac Thucydide. Quorum dictioni, imitandi quadam dulcedine, perſtudioſe adhaereſcit. Quare perſuaſum mihi eſt, Nepotem, per Graecae orationis ambitum Latina verba circumduxiſſe. Quod illi ſolenne. Quae tamen verba ſi loco non moveris, non allatrabo. Aliud eſt caſtigare, aliud monere. Quum *naves* tuas ſuppontanas damnavi, Caeſarem prae oculis habebam expanſum, & in locum a te objectum obtutum defixeram. Sed quid inde tibi praeſidii? Nempe dixi ego:

ego: *Naves ſunt quae navigationi deſtinantur.* Cujuſmodi fuere illae Caeſaris ad Ilerdam. Quippe ait ille: *militeſque his navibus flumen tranſportat.* Contra tuae, inertes omnino, tantumque in eum uſum fabrefactae, ut pontibus ſubſternerentur. Porro, quid Caeſar per *ſtatumina* intelligat, ſcio: nempe ligna tranſverſaria in ventre navis, quae Theophraſtus in quarto *Hiſt. Plantarum*, cap. 3. vocat ἐγκοίλια; Plinius autem Lib. 13. cap. 9. vertit, *navium coſtas.* Tu autem quid *ſtatumina* intelligas, fateor me neſcire. Ut vel inde agnoſcas ingenuitatem noſtram, & mite ingenium.

Verba illa tua: *tranſverſo gladii ictu*, jam olim a me laudata. Quamobrem, non fuit animus illa evertere; ſed per luſum experirier, ut ait ille,

In utramque partem ingenium quid poſſet meum.

Eo ſcripſeram: *gladio caeſim impacto.* Exiſtimabam nempe, te illud efferre voluiſſe, quod vulgo dicimus: *de una cuchillada.* Cui rei exprimendae nihil habet Latina lingua elegantius. ut docemur a Livio Lib. 22. Ubi de Hiſpanorum gladiis: *Hiſpano punctim magis quam caeſim aſſueto petere hoſtem, brevitate habiles, & cum mucronibus.* Quae deſumta ſunt ex Lib. 3. Polybii. Atque id eſt quod vocant Graeci, ἐκ καταφορᾶς & ἐκ διαιρέσεως. Caeterum haec ad luxum potius quam ad caſtigationem. Quare integra tibi res eſto.

Galli, qui ſub adventum Avilae propugnationem ſuſceperant, ex Gallicis navibus, quae tum forte eum portum tenebant, expoſiti in terram fuerant; ut laborantibus praeſidiariis ferrent ſuppetias. Quae res, oppido ſeditionis morbo pene confecto, ſalutem attulit. Perſolvi tuae epiſtolae. Quod ad animum attinet noſtrum, illud cave dubites, quin ego exiſtimationi tuae, famae, ornamentis, diligentiſſime ſerviam. Quare tu, ſi me audies, quem ſoles. Verum ad alia. Urſulae noſtrae graviſſimum infortunium moereo, quae viro ſuperſtite & lateri adhaerente, acerbiſſimam viduitatem experta eſt. novo infelicitatis genere. Qua ego miſeria perinde afficior, ut generis propinquitas, ut illibata fides, ut amor in me ſui poſtulant. Utinam aliquando mihi liceat ejus uti ſocietate & conſortione! Utinam etiam te amplecti, merum mel, & delicias meas! Interim tu nos fac ames. Et vale. Data ante diem IX. Kal. Decembreis, An. MDCCVII. In Urbe regia Carpetanorum.

LVII. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA

Coenobiarcha Valentinus

EMMANUELI MARTINO

Alonensi Decano dignissimo εὖ πράττειν.

Mantuam Carpetanorum.

SI vales gaudeo. Equidem usque valueris perinde incertus sum, ac si dedisses ad me nullas. Meliuscule te habere scripsisti superioribus tuis: in his ultimis, ne γρῦ quidem. Quam facias amori nostro injuriam, vide. Igitur de hac re si te purgatum ad me velis, quando te vis morbi remisit, est ut mihi facias medicinam aegritudine permolesta obsesso. Causam absiste quaerere, cum scias invito mihi ac diu reluctanti κοινοβιαρχίαν tandem esse delatam, qui & honores semper fugerim, & otium meum plus satis amaverim. Nunc vero qui possum, quaeso, in eo versari tot domesticis tricis praepeditus? Itaque in crucem tolli visus sum. Recurro tamen interdum ad studia literarum, ut ex hac animi adversione eum fructum capiam, qui mentis vires saltem reficiat tot curarum fluctibus sustinendis. Dum autem sum in Bibliotheca, & multa mecum ipse volvo, Collectionis Epigrammatωn Graecorum subiit cogitatio; quoniam in nonnulla Stratonis, Meleagri, aliorumque incidi, quae inter ea quae circumferuntur relata non sunt. Iccirco averem scire, qui fuerint Auctores qui in illis colligendis illustrandisque operam praestiterunt suam: & qui fit, ut multa, & quidem elegantissima in 'Ανθολογία illa desiderentur. Nam indiligentiae auctores illos postulare non ausim. At quoniam illud de Epigrammatis quae apud me sunt te pupugit fortasse, quaeres, undenam ea habuerim Fatear verum. Cum essem apud te aliquando, in Bibliothecam me penetravi mero meridie, quo tempore concesseras cubitum, ibique codices nonnullos cum versarem, in quodam multa veterum Graecorum Epigrammata inveni. Transcripsi furtive non multa. Tum quaedam tua fuerunt mihi obvia, quae Latina reddidi. Servat etiamnum memoria illud:

Ἔγχει παῖ οἶνον. ——

Habes rem omnem. Fac igitur, amabo te, ut ejusmodi lucubratiuncula animum aegrescentem reficias. Id unum est quod me maxime potest recreare. Et quidem quae tua est humanitas, spero abs te id factum iri quam liberaliter.

Vale,

Vale, Vir humanissime, meque tui amantem redama. Valentiae Edetanorum, Id. Decembris, An. MDCCVII.

LVIII. MARTINUS MIGNANAE

Ocello suo aureo S.

Valentiam.

PEto a te, ne ita de me existimes. Longe alia mihi mens est, ac Ciceroniano illi, cujus insaniam reprehendit Gravina, damnavi ego. Quamobrem ea te cura liberatum volo. Equidem semper ita me gessi, ut nec ullius offensionem incurrerem, nec deessem officio boni viri. Tot afflictorum tantum ejulatus lacrymis & misericordia prosequutus sum. Deformes species, obscoenaeque saevitiae foeda simulacra exhorrui. Atqui, dices. Nec expavisse tutum est, nec insontium miseriis illacrymasse. At, si minus tutum, est profecto humanum. Qua affectione, qui animum conatur exuere, nae ille humanae societatis vinculum disrumpat, necesse est. Scio equidem & civitatibus & regnis sua esse fata, sicut hominibus singulis. Sed illud quoque didici: Patriae conflagrantis ruinam prudentibus viris pulcherrimum rogi ornamentum esse. Quod olim Hasdrubal ad Gulussam. Audi, si vacat, Polybium ipsum: καλὸν γὰρ ἐντάφιον εἶναι τοῖς εὖ φρονοῦσι τὴν πατρίδα, καὶ τὸ ταύτης πῦρ. Sed quo ego mari tam procelloso? De Ursula nostra video tibi curae esse. De ejus morbo nihil adhuc acceperam. Nunciat esse sibi meliuscule Fer opem, Telesphore, serva illam obsecro. Aguilarium versari in hac Urbe, solo patrio & congressu vestro extorrem, novi permulto ante. Hominem tamen convenire, leviter tantum mihi notum, visum mihi est putidiusculum. Etsi non me latet, eum de me honorificentissime & loqui & sentire. Postquam autem id tibi gratum fore significasti; congrediar illum, eique omnia pollicebor. Quid ais? Pulchello illi comptuloque delata est quaestura metretaria? Vae miseris oenopolis, si graviter oleant! Secundum te, nihil est mihi amicius Coracciano. Itaque saluta illum meo nomine, & impingito osculum. Apud Borrullium male est. Decumbit enim ille πυρεταίνων καὶ τεινεσμώδης. Ego valeo, & te unice diligo. Fac tu contra. Mantuae novae in Carpetanis, XV. Kal. Sext. An. MDCCVIII.

De Sepulchro Saguntino velim ad me quam accuratissime. In inquirenda porro Numismata uti serio incumbas, te iterum atque iterum rogo.

LIX.

LIX. MARTINUS MIGNANAE,

bene rem gerere.

Valentiam.

BOrrullius pater migravit. Quonam? inquies.

Illuc, unde negant redire quemquam.

Vel, si te Graeca magis delectant,

— τὴν οὔπω τις ἐνάντιον ἦλθεν ὁδίτης.

Equidem illum aegrotantem omnibus amicitiae officiis prosecutus sum, atque feci antea. Nec homini ulla in re defui, & amico & probo, donec desiit hominis officia fungi. Quod eo honestius duco, quo ille famæ & existimationi nostrae minus pepercit. Sed non est nostri moris, convitium retundere. Itaque, si quis unquam casus acerbam mihi plagam inflixit; is profecto est. Nec facere possum quin discrucier animi, quoties subit quanta hanc domum impendeat calamitas. Occurrit enim honestissimae foeminae, virique amantissimae orbitas, septem liberi spe fortunae splendidioris dejecti, in iisque virgines tres maturae nubendo, res familiaris iniquitate temporum attrita, & recens migratio. Illum vero prae nobis beatum! qui a teterrimi foedissimique hujus temporis aerumnis subtraxit. Etenim is ego sum, qui mortem, quam miserrimam hanc vitam quam vivimus, amplectendam putem. Quid enim hoc eodem spiritu luctuosius! Sed de his satis superque. Quum has literas accipies, puto te jam fore Valentiae, a Sagunto reversum. Addo, cum lapidis Hebraici καταγραφῆ, & veteri aliquo nummo. Haec enim cura praecipue me tangit. Ut ex iis literis cognosces, quibus ad te misi, cum eo esses profecturus. Habeto Ursulam a me commendatam. Tu autem, mi vulpio, hoc stude unum, ut tibi quam diligentissime servias, & me redames. Vale. Mantuae in Carpetanis, XI. Kal. Septembreis, An. MDCCVIII.

LX. EMMANUEL MARTINUS EMMANUELI JOSEPHO MIGNANAE

rem feliciter gerere.

Valentiam.

UBinam ſunt opes tuae, ubi regnum? homo laute : cui vel ſalutem appingere grave eſt, nedum longiorem epiſtolam exarare. Certe, poſtquam tibi viſus es μοναρχῆσαι, ſordemus tibi omnes; perinde ac ſi nihil amplius ſimus quam umbrae, atque ὀνείρων νερτέρων φαντάσματα. Nam quid iſtud eſt, ſive faſtus, ſive perfidiae? Quantum mihi eſt allaborandum, ut tibi, homini faſtidioſo, paucas literulas exprimam! Quod ſi quando id facis, tribus modo verbis rem conficis, quaſi illa ſufficiant ad nos beandos. At, negotiorum mole preſſus, otii difficultate laboras. Te miſerum! ſi quidem id verum eſt, eo te indigere, quod vocabat Sophroniſci filius κάλλιστον κτημάτων. Agedum, ſubducamus rationes. Quaenam ſunt iſthaec negotia? Nempe itare Saguntum, reditare. Cum veneris, denuo iturire. Ad haec, tabefacit te ingluvies Monachorum. Atqui aliena fame perire miſerrimum eſt. Quid credunt iſti moriones? impoſuiſſe tibi clitellas? Haud tanti eſt paucis pecudibus imperitare, ut tam grave ſaxum tamdiu volvas. Tune totus in frumento emundo, fundis locandis, exigenda pecunia, ornanda culina, augenda re penuaria? Quid cothurno cum clava? Id tamen vocant augere hominis dignitatem. Quod profecto mihi videtur

Perinde ac ſi agrum ſterilem fodiendum loces.

Haec ſunt, niſi me fallit, quae te invitum a veteri literarum conſuetudine retrahunt. Sed fruſtra. Nuſquam enim te quietum eſſe ſinam. Vel ob id ipſum quod moeres. Quandoquidem

Ψυχῆς νοσούσης ἐστιν ἰατρὸς ὁ λόγος.

Qua etiam in re valetudini meae conſulam, qua multos jam dies minus proſpera utor, effuſa per totum corpus χολῇ ἀκράτῳ. Ex quo vehementes cruciatus, ſtomachi anxiae aeſtuationes, crebrae vomitiones, ciborum faſtidium, contumaces vigiliae, virium labefactatio, denique omnium rerum fatale quoddam taedium. Quamobrem gravioribus ſtudiis nuncium remiſi. Deſultoria utor Minerva, eaque remiſſiore ac delicatula. Nam interdum animi cauſſa etiam ad muſcas transfigendas ſtylum converto. Nihil eſt hac tempeſtate me inertius, te uno excepto: qui in arte deſidendi omnium es longe primus : etiam apud me, qui te amo ex animo. Niſi gravaris

etiam hac amoris nostri significatione. Vale mi terrigena. Mantuae Carpetanorum, Nonis Juniis, An. MDCCIX. De numismatis tibi aurem vello.

Antonius Zedillus abiit ad plures. Credo, angustia rei familiaris, qua maxime premebatur. Subirano, Arnavio, salutem a me dicito. Et quidem de meliore nota. Iterum vale.

LXI. EMMANUEL JOSEPH MIGNANA EMMANUELI MARTINO

bene degere.

Mantuam Carpetanorum.

Quasi amoris in te nostri remissionem scribendi cessationem putares, ita me accusas vel indiligentiae, vel desidiae. Sed quoniam novi te, & quam libenter mihi facias ludos, me purgo ad te minus, ne majorem cachinnandi praebere tibi videar occasionem. Scis enim tu probe, in crucem me tolli non aeque ferre moleste, ac dignitate hujusmodi augeri, qui ne per somnium quidem unquam mihi exstruxerim Consulatus ac Dictaturas. Imo sordere mihi ea omnia, quae humana ambitio putat sibi primaria prae Musarum amoenitatibus: neque pluris ea facere quam aurum comicum. Miserum me appellas, & merito id quidem: nam praeter tot hujus difficillimi temporis aerumnas, ne otio quidem meo uti licet; sed licebit, ut spero, brevi. Nam cum Subirano egi, ne mihi esset impedimento in Praefectura abdicanda: qui pro sua humanitate, non id modo mihi dedit, verum & animum laudavit: ac pluribus disseruit de misera Antistitum conditione, hac tempestate praesertim, qua quisque putat sibi licere quae lubent. Praeterea de angustia caritateque rerum omnium, aliisque talibus. Ad haec, eum esse me, qui satis habuerim, ut me tali honore dignum existimassent: ac in rerum administratione per biennium aequitatem ac fidem perspexissent. Rem tamen silentio tegendam usque ad eam tempestatem, quae ad id agendum magis esset opportuna, ne interim, si negotium Monachis suboluisset, paucorum ambitione, & multorum stultitia Monasterii tranquillitas turbaretur. His inter nos deblateratis, legi tuas literas, plenissimas amantissimae benivolentiae, quarum elegantia ac venustate sensi hominem mirifice delectari, simulque gaudere quod in eadem esset sententia, tuisque sensibus tam pulchre consensisset. Callet enim peregregie tricas Monachorum, uti qui abhinc annis quinque hanc Provinciam longe lateque diffusam administrat.

nistrat. His denique condictis, fideque quam sancte data, rursus ad rupem paternam me contuli, hujus desolatissimae domus negotiis explicandis. Siquidem postquam pater suavissimus in humanis esse desiit, rei familiaris cura distractus districtusque, vix somnum oculis videre licet. Ubi autem me expediam, Valentiam statim revertar, & collectis sarcinulis, miserae Urbi, ac miserrimis civibus aeternum vale dicam. Zedillum meum e medio sublatum vehementer doleo. In paucis certe hominem diligebam: nam fuimus una Neapoli per aliquot annos, ubi accepi ab eo pingendi rationem. cujus artis etiam arcana quam amantissime mihi tradidit. De numismatis sine cura esto. Argenteum alterum Romani Principis, alterum aereum Constantinopolitani reperi usque adhuc. Dabo operam ut plures inveniam. Habes epistolam paullo longiorem, ne tribus me verbis rem conficere dicas. Tibi certe mos gerundus est, posthabitis rebus omnibus. De valetudine tua habes me solicitum profecto, qui eam habeo propria chariorem. Si me amas cura ut valeas, & cum meliuscule habeas, facito me certiorem. Subiranus jubet te. Arnavium non vidi, licet per Saguntum iter habuerim. Ego vero Pyrgopalaeum nostrum, etsi ab eo me amari non sentiam. XV. Kal. Quinctileis, An. MDCCIX.

LXII. CUM EMMANUEL MARTINUS
Roma domum remigrasset,
JOSEPHUM EMMANUELEM MIGNANAM
ad se visendum invitat.

Valentiam.

HENDECASYLLABI.

Mignana, o vetus integer sodalis,
Nostri deliciae, lepos, venustas;
Quem tot jam misere tuli per annos
Absentem tacita silere charta;
Si tibi igniculus vetusti amoris
Forte inter cineres adhuc superstes
Manet, nec perii omnis excidique;
Sive Turiacis aquis rigata
Prata, fertilis atque amoena campi,
Sive tu colis inclytam Saguntum,
Et strata Annibalis furore tecta;

Linque Turiacis aquis rigata
Tu prata, atque fide inclytam Saguntum,
Nosque jam propera videre salvos.
Martinus variis freti periclis
Functus, jam patrios tenet penates,
Optatumque solum Illicis praealtae,
Nec tutus rabidas timet procellas.
Martinus vetus hospes atque ocellus,
Quem tu plus oculis tuis amabas,
Et dicta illepida inficetiasque
Laudare es solitus jocosque ineptos.
Ergo si incolumem videre amicum,
Amplectique cupis, mora rejecta,
Festina Jovis ocyor sagitta,
Mignana, o vetus integer sodalis,
Nostri deliciae, lepos, venustas,
Adstabunt Veneres, cupidinesque,
Et crebri sonitum dabunt cachinni.

LXIII. EMMANUEL MIGNANA J. VINCENTIO GRAVINAE S. P. D.

Romam.

EA est tui nominis fama, Vir amplissime, quae totum per orbem vagata est, ut constans sit hominum paullo humaniorum opinio, vel in hac ultima terrarum Hispania, te in ista Italia, in qua natae sunt bonae artes, & altae, principatum obtinere literarum. Quod licet scriptorum tuorum clarissimis monumentis referatur acceptum, quae nimirum ea sunt dignitate, ut in hac luce existimationi tuae abunde subserviant, ac imaginem quandam immortalitatis apparare videantur; tamen bonam, est quod habeas gratiam viro integerrimo Martino tuo, mihique summa familiaritate conjunctissimo, quod te in omnium bonorum animos haud cessat insinuare. Tales namque de te, tuaque singulari doctrina sermones omnibus in locis habuit, ut facile mihi persuadeam, eum qui te non amat, ab omni humanitate prorsus esse alienum. Habes profecto tuarum laudum eum buccinatorem, cujus te poenitere minime debet. Siquidem nullus dubito illam esse viro probo laudem maxime jucundam, quae ab

iis

iis proficiſcitur, qui ipſi quoque in laude vixerunt. Nec in hujuſmodi officiis ejus amor erga te mirificus acquievit. Sed (vel quia debet omnia tua cauſſa, vel cupit mea) inſtare per literas, ſuadere, imo objurgare non deſtitit, uſque adeo donec perpulit me pudore quodam reluctantem hoc literarum ut darem: quod per ego te Deos oro atque obſecro, ut quae tua eſt humanitas, boni conſulas. At quoniam ſemel pudorem illum ſubruſticum abſterſi, abs te vehementer peto, ut ſi quicquam loci reliquum eſt in albo tuorum amicorum, propius Martinum noſtrum, quoad fieri poſſit, me adſcribas. Namque εἰ κοινὰ τὰ φίλων ἐστὶ, μάλιστα δεῖ κοινοὺς τῶν φίλων εἶναι τοὺς φίλους. Hoc ſi a te impetraro, illum huic homini obtigiſſe δαιμόνιον merito dixerim, qui mihi dedit cauſſam harum literarum, quibus apud animum tuum teſtatum relinquerem aliquod amoris erga te mei ſpecimen, atque obſervantiae. quod profecto inter alia beneficia, quibus me ſemper voluit cumulatum, uti maximum referam. Hanc igitur praeproperam nihil eſt quod dicas feſtinationem voluntatis meae. Jam enim diu eſt quum te vehementer diligo, abſentemque memoria colo, aeternumque colam. Quae quidem merita, etſi non magna, apud hominem tamen ſummae humanitatis probitatiſque non fore nullius momenti exiſtimo, ut me in ſuis habere haud gravate ferat. Demum ſcias velim in hac Urbe quam plures eſſe viros nobiles majorum gentium tui maxime cupidos: quos inter Excellentiſſimus Comes Joannes Baſilius Caſtelvinius, qui te in oculis. Cujus verbis eſto ſalutatus. Petrus Borrullius eximius Juriſconſultus jubet te. Vale etiam atque etiam, literarum columen, meque tui proprium habe. Valentiae Hedetanorum, V. Kalendas Martias, MDCCV.

LXIV. J. VINCENTIUS GRAVINA
EMMANUELI MIGNANAE
S. P. D.

Valentiam Hedetanorum.

EMmanueli Martino noſtro tot jam diu nominibus obſtringor, ut ad ejus in me meritorum cumulum vix aliquid majus unquam crediidiſſem acceſſurum. Sed cum a praeſente tam multa & praeclara tulerim, ab abſente mihi novam vidi exorientem ſegetem beneficiorum. Cujus enim eloquentia, eruditio, & acumen ad me propugnandum, atque ad malignos meos profligandos, imo & conterendos Romae praeſto erant; eadem, inviden-

videnda Italiae fortuna, in Hispaniam translata, pari benevolentia, & studio pro me quotidie adhuc excubant, assiduoque laborant viris praestantissimis ad meam familiaritatem adjungendis: quodque antepono rebus omnibus, ex ea natione cujus homines ob antiquissimam ad hoc usque aevum armorum, literarum, & imperiorum gloriam, ac praesertim propter tenacissimam eorum fidem atque constantiam omnibus mihi officiis attrahendos, ac singulari cultu retinendos, merito semper antea, & nunc praecipue duco: quippe usu rerum, & meis non semel casibus expertus, nihil in vita posse Hispani hominis amicitia inveniri generosius, nihil validius, nihil opulentius, beatius denique nihil: ut intelligas qualis apud me pretii munus obtulerint heri literae tuae quae plurium ex inclyta natione doctorum, & nobilium benevolentiam, quovis labore, atque opere mihi deposcendam aperuerunt; tui nempe hominis eruditissimi, & ex nobilitatis pariter ac rei literariae proceribus Excellentissimi Comitis Joannis Basilii Castelvinii, cui me addictum, ac perpetuo in potestatem, ac fidem traditum, deditumque per te cupio votis omnibus. Clarissimo Borrullio, qui jam ante mihi humanitatem praestitit suam, salutem & gratias a me plurimas. Hos qui sequuntur *Originum Juris Civilis* Libros duos, una cum primo jam edito propediem typis imprimendos trademus. In his praeclari quidem, ut a tali auctore prorsus nihil; at adhuc editis minus certe vulgaria. Quamobrem ex postremis potius quam ex prioribus meis scriptis velim eruditiores me, vestrumque similes expendant. Atque utinam ea digna fuerint quibus Excellentissimi Comitis nostri gratiam, quam ille per te adeo benigne profert, ac tuam & Borrullii benevolentiam videar meruisse! Te vero & propriis in me ac literariam Rempublicam singularibus meritis, & Martini communis amici caussa in intimis medullis perpetuo conditum habebo. Vale. Romae, XI. Kal. Jul. MDCCV.

EM-

EMMANUELIS
MARTINI
ECCLESIAE ALONENSIS DECANI
EPISTOLARUM
LIBER III.

I. EMMANUEL MARTINUS
perillustri Viro
JOANNI CASTELVINIO
salutem & amorem.

Valentiam.

PEr totum biduum Æolo ac Neptuno invitis aequoris undas verberavimus. Si quando vero ventorum impetus deferbuerat, protinus inerti malacia circumventi, quasi injectis radicibus immoto salo haerebamus. Denique quibus licuit artibus protrusi, promontorium Tenebrium flexu superavimus, ejusque sinum appulimus. Immane est quam ego aestu ac sole torrente obmarcuerim. Universa facies quaedam veluti pestilenti sidere afflata, cutem deposuit. Solis aestus heic immodicus atque improbus; sed levat hiantes loci ingenium ac secura libertas. Interea ego nihil rerum non satago ut valetudini consulam.

Fac

Fac ſis ut incolumitatem tuam in animo geras, & me deperi. quod hercle facturum te ſcio, ſi ſcias quam ego te. Vale, ſalute mea ſalus ſalubrior. Turre-alba, VII. Idus Auguſti, MDCCI.

II. EMMANUEL MARTINUS JOANNI CASTELVINIO

Praet. Urb. S. D.

Valentiam.

O Illum ſocordem & ſtolidum, cui ad me literas tradidiſti? Miſi qui ex illo quaereret num eſſent ad me literae. Reſpondit, ſe nullas habere ad me prorſus. Urgere hic, negare ille. donec memoria tandem punctus, palma fronte comploſa, me, inquit, vecordem & ſtupidum, quem tam alte inſederat literarum oblivio! & confeſtim e ſinu profert. Quas, cum redditae mihi eſſent, tanta animi alacritate perlegi, tanta, ut ita dicam, oculorum ingluvie; ut quicumque me legentem aſpexerit, facile perſpicere potuerit, me ſumma fuiſſe voluptate perfuſum. Male mihi ſit, niſi mihi ſordent Pactoli arenae & Arabum gazae, prae tuis literis. Sibi habeant ſuam fortunam qui opibus inhiant. Mihine tam immodicas laudes? Ego vero is ſum qui me introſpiciam. Cave igitur, ſis, amoris tui praeſtigias & fucum; ne aliquid proferas, quod te tranſverſum agat, aequiſſimumque illud tuum judicium deturpet ac decoloret. Quicquid ingenii tamen in me eſt (ſi modo eſt) id equidem intelligas velim, me in obſequium tui libentiſſime exhauſturum. Ure, ſeca. Ego hercle de amore erga te nemini concedam. Scis me minime eſſe blandum. Id autem te vehementer etiam atque etiam rogo, ut hanc viam teneas, qua ire coepiſti. habebis me profecto, non adjutorem modo ſtudiorum tuorum & comitem, verum etiam buccinatorem. Ego & Turreſius heri fuimus una horas quatuor fortaſſe. Garrimus quicquid in buccam. Quid? garrimus tantum? immo totum Senecae περὶ ἀέρος καὶ ἀνέμων devoravimus. o helluones! Scis quam ſuo merito diligam adoleſcentem caſtum, pudicum, ſtudioſum bonarum literarum, immo & mei. A te illum ſalvere juſſi. Ille itidem ad te ſalutem. Si noſtra aliquid tu penſi habes. Sive eſt aliquid, ſive nihil eſt, ſcribe tamen aliquid, teque cura. Tuis ſalutem dic. Ex Ædibus noſtris pridie Id. Septembreis, MDCCII.

III. EMMANUEL MARTINUS JANO BASILIO CASTELVINIO, *Praet. Urb.* χαίρειν.

Valentiam.

Ad. XI. Kal. Januarias Valentia discessi, hora fere & dimidia ante lucem una cum mercatore quodam Dertusense. Iter fecimus incertis vestigiis, ac veluti cunctabundi, usque ad diluculum: nisi quod tenebrarum tricas ac dubiae lucis molestias leniebant quodammodo septentriones subrigidule flantes, quos ego, quodam quasi jucundissimo ventilabro recreatus, ore hiante avidissime hauriebam. Quas ego delicias, Di immortales, quas voluptates: Inter equorum ungulas glacies crepitabat, & pruina superinducta candebant prata. Aspexit nos tandem diei oculus sexto circiter ab Urbe lapide, ac hora tertia Saguntum pervenimus. Eam Mignana noster desiderio pacti complexus (absit verbo invidia) impotentissime flagrabat; itaque in nos eminus conspectos irruit, colloque nostro diu pependit. Cum liberaliter essemus pransi, hora quinta iter denuocepimus. Sed nescio quo fati nostri infortunio, essedum revolutum est. Cum enim equus nimis concitato cursu ferretur, nec habenis prohibentibus, sarraco sejuge viam occupante, morasque faciente; e via divertere decrevimus; cumque eodem impetu ferremur, rota in agrestem palmam impacta, in terram devoluti sumus. Innocue tamen: nam & locus erat planus & sabulosus, & equus ipse immotus stetit. Itaque incolumitate nostra animadversa, fieri non potuit quin ego & sodalis meus mutuo nos adspicientes, quasi gratulabundi, quam effusissime cachinnaremur. Essedo denuo conscenso, Castulonem pervenimus nocte jam incubante. Postera die, Castulone profecti sumus, nocte adhuc sopita ac frigidissimo aere, per vias pruina albicantes geluque rigentes, donec coeli everriculo inducto, paullisper disparuerunt. Tandem hora fere secunda, sole adhuc adolescente, ad incunabula nostra pervenimus, incolumes, altissima orexi, ac prospera valetudine. Loci faciem ac vitae nostrae institutum alias describam. Interim nos ama, & valetudini tuae consule diligenter. Nicio Pyrgeo nostro, & Isidoro Costae item nostro, salutem a me plurimam. Vale. Ex Rupe patria, VII. Kal. Jan. MDCCII.

IV. EMMANUEL MARTINUS JANO BASILIO CASTELVINIO

Praet. Urb. S. & amorem.

Valentiam.

NAE ego dignissimus omni contumelia, vel, ut gravius dicam, ὀνειδῶν & conviciorum plaustris; quem tam alte obsedit rerum urbanarum negligentia, & stupor. Nec tamen, si quod a nobis commissum est peccati, patrocinio caret. Affer, si quod habes, dices. Quidni afferam? Tenet me, fateor, aperta haec & rustica simplicitas, ac nativus animorum candor; quos nec afflavit ambitio, nec mollivit luxus, nec civile odium efferavit. Videor equidem mihi aliam videre progeniem, & in hoc saeculo vere luteo, quaedam auri ramenta. Adeo enim sunt homines βαλανοφάγοις illis quam simillimi, ut nisi horrea exstarent & fruges, crederem nondum Saturno amputata virilia. Delectat me praeterea amoena loci facies, & scitissimus totius regionis adspectus, qui, natura lenocinante, oculos animumque mulcendo, illecebrosa quadam voluptate inescat & captat. Ad orientem enim hibernum promontorium quoddam leniter procurrit in duo cornua protensum, quorum alterum, quod solem occidentem respicit, amplexu suo & curvamine stationem efficit navibus fidissimam, nisi quod Africum habet infestum. nullis praeterea flatibus obnoxiam. Nam Favonium objecti e regione montes frangunt ac dissipant. Alterum cornu, quod Boream versus procurrit, dorsum habet contumaci fluctuum insultu scabrum ac pumicosum, nam ita demissum est ac stratum, ut Euris undarum imperio potitis, transcendatur ac diverberetur: raro tamen, nec nisi saeviente mari, & infestissimis tempestatibus. Hunc scopulum *Canis rictum* vocant incolae. Quidni dicam Κυνόρρυγχος, cum licuerit Graecis suum fecisse κριοῦ μέτωπον & Κυνὸς κεφαλάς? Id etiam sinuoso suo flexu tutissimum efficit portum, praeterquam ab Aquilone & Euro. Sed nulla potest esse tam improvisa tempestas & turbo, ut naves ab exitu prohibeant & circumveniant. Nam, si ab orientis plaga urgeat procella, expeditum est effugium, cum in promtu sit portus qui occidentem respicit; si vero ab occidente ingruat, qui orientem. Hujus promontorii dorsum turris coronat, munitissima mehercules atque pulcherrima. In conspectu sunt insulae quaedam incultae & ἔρημοι, quas vocant *Montes Colubrum*. Forte sunt Graecorum 'Οφιοῦσαι. viginti passuum millibus a continenti dissitae. Haec quidem ad conspectum maris pertinent: quem si cum terrestri

ſtri conferamus, pene vileſcat. Oppidum enim ipſum ſitum eſt ſupra collem, ab occaſu quidem inclementer erectum, atque praeruptum; ab oriente vero & meridie leniter declivem, quo verſum muri porriguntur & univerſa aedificiorum facies quaſi inclinata procumbit. Quocirca recentiſſimos excipit ſolis orientis radios, adhuc marino rore madentes. Septemtriones verſus foecundiſſima planicies excurrit, vario plantarum genere confertiſſima; quam excipiunt Turr-albini. Deinde levi flexu, ad ſolis ortum, Iſthmus, ſive Cherſoneſus noſtra, in oculos incurrit. Secundum maris litus herbidiſſima palus protenditur, ad quingentos fere paſſus. Ad glandis porro jactum via curulis, ſive regia, praetercurrit, ultro citroque viatoribus praetereuntibus frequentiſſima. unde rerum novarum immanis proventus. Univerſa praeterea regio cuniculorum, perdicum, leporum feraciſſima. Piſcatio & varia, & expedita. Aquae ſaluberrimae, aer temperatus. Hyemis namque rigorem maris clementia enervat ac frangit, & matutina frigora raro in pruinas & glaciem coaleſcunt. Aeſtate vero Eteſiae ac marini flatus aëris torporem excutientes, corpora aeſtuantia nativo ſuo algore reficiunt. Somni aſſultus nusquam tenaciores, jucundioresque: nam fluctuum murmure veluti irroratus ac delibutus, artus ipſos, imo animam, arctiſſimo quodam illigat ſopore. Sed de his ſatis. Pyrgeum noſtrum a te divertiſſe, moleſtiſſime fero. Ad hiſtriones eſſe converſum; tametſi id ab ejus moribus & vitae inſtituto vehementiſſime abhorret; quid tamen non ab eo Villanovanus & Bovilius Scaliger? De Buſianaea Comoedia velim ad me quam diligentiſſime ſcribas. Uxori tuae, lectiſſimae foeminae, a me ſalutem. Salvebit item a me Iſidorus Coſta. Vale deſiderium noſtri. Ex incunabulis. Pridie Idus Februarias, An. MDCCIII.

V. EMMANUEL MARTINUS

Ornatiſſimo ampliſſimoque viro

JANO BASILIO CASTELVINIO

Praet. Urb. S. D.

Valentiam.

DI te tuamque virtutem honoribus mactent, Vir ampliſſime, patriaeque noſtrae ornamentum & columen: qui ſolus haec ſtudia, avito gentis noſtrae contemtu abjecta atque peſſumdata, pro viribus erigis, refoves, atque ſuſtentas. O utinam

— *τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν!*

 Quod

Quod olim Atrides de Nestore. Juro salutem tuam, nullis me unquam literis tam immortaliter exhilaratum, quam novissimis tuis VI. Kal. Februarias ad me datis. Quibus & a te in universum probari nugas theatrales nostras, & earum non nihil improbari; aperte, &, uti decet hominem ingenuum ac Minervae alumnum, profiteris. Quorum neutrum ab officio tuo erga me ac benivolentia alienum puto. Ais igitur, te in suggestu Praetoris impense addubitare. In eamque sententiam magis propendere, ut existimes, eo loci fuisse aram illam sive pulpitum, quam Graeci dixere θυμέλην. In qua re ut a te dissentiam, plura sunt quae me cogunt. Primum enim, nulla in Latina orchestra thymele; sed in Graeca tantum. In qua munus suum obibant ludii, citharoedi, citharistae, tibicines, lyristae, choraulae, atque id genus symphoniaci, dicti ob eam caussam *thymelici*. Propterea quod in eo pulpito, sive thymele, chori illi tragoediarum, sive comoediarum, caeterique personam non habentes, fabulae inserviebant, histrionibusque in scenam abditis, populum gesticulatione oblectabant. Iccirco monet Vitruvius ampliorem habuisse orchestram Graecos, scenamque recessiorem, minoreque latitudine pulpitum; quod in id scenici tantum prodirent, reliqui vero cantui & saltationibus addicti, in orchestram, unde illi nomen, ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι, a ludiorum gesticulatione. Latini vero, cum eum locum Senatorio Ordini destinassent, remotos inde thymelicos in scenam transtulerunt. Porro locum illum, quem ego Principi vel Praetori attribuo, adeo angustum arctumque scias velim, ut quatuor homines stantes & compressos vix capiat, nedum ut thymelicorum turbae capax esset, eorumque saltationum. Quid igitur? fueritne ara illa, cujus tu mentionem ex Polluce? Minime gentium. Eam enim non fuisse in orchestra, sed in scena: & Pollucis, ac Scaligeri patris testimoniis proditum est, & ipsa adstruunt Terentii verba, quae tu affers ex Andria. Qui enim verbenae sumi possunt a Myside, puero substernendae, si ara illa in orchestra? Ubi non actores, sed thymelici. Nec me latet geminas fuisse in scena aras, alteram Libero, Apollini alteram, Tragoediae ac Comoediae praesidibus. Sed in scena. Cui commune nihil cum orchestra. Quid si dicam male intellectum a Donato & Scaligero eum locum? Equidem longe aliter censeo. Aram nempe illam esse, quam in atrio collocare, mos fuit Romanis, Vestae dicatam: unde *vestibulo* nomen. Ait nimirum Davus:

—— accipe a me hunc ocyus,
Atque ante nostram januam adpone.

En atrium sive vestibulum. Cui Mysis:

———— obsecro,
Humi ne? D A. *Ex ara hinc sume verbenas tibi.*

Id

Id est, ex ara Vestae: quae in omnibus atriis. Nam cum illa pueri adpositio ante Pamphili januam fieret, qui possumus intelligere, verbenas substernendas infanti ex ara theatri esse sumendas? Censeo igitur huic rei aram in scena fuisse erectam cum Vestae signo, verbenasque impositas, quae vestibuli speciem redderent.

Nunc ad Principis suggestum: quem, etsi tu apud neminem antiquorum exstare contendis; ego tamen e ruderibus antiquitatis conabor eruere. vel ab ipso Julio Caesare, quem inter alios honores quos nimios accepit, scribit Suetonius admisisse *statuam inter Reges*, SUGGESTUM *in orchestra.* Ad quem locum ita Berneggerus: SUGGESTUM *vocat pulpitum quoddam eminentius, eo theatri loco, in quo Senatus spectabat.* Eum honorem caeteri deinde Principes avidissime arripuere. Sprevit autem Trajanus. quo nomine eum Plinius commendat in Panegyrico, de Circensibus loquens: *Per omne spatium una facies, omnia continua & paria, nec magis proprius spectandi Caesaris* SUGGESTUS, *quam propria quae spectet.* In eo suggestu sella curuli spectasse Principem, innuere videntur Suetonii verba illa in Augusto: *Commissione ludorum quibus theatrum Marcelli dedicabat, evenit ut laxatis sellae curulis compagibus caderet supinus.* En ad tuam, ad literarum praesidium nate Princeps, quam potui brevissime. Id unum superest: vel proba, vel ἰβίκιζε. Utrumvis feceris, magno me devincies beneficio.

Mignanae literarum prototypon ad te mitto. Ex quibus percipies me ab eo nec opinantem, omnibus contumeliis affectum. Quo meo merito? Duplici. Quod Eustathii scriptionem urgerem, & quod eum ex hara Saguntina Valentiam arcessiverim ac honoribus vitaeque instituto auxerim. Haec totius offensionis summa. Quod ad prius attinet, ille mihi Eustathii Codices exscribendos extorsit, valide renuenti; immo & reluctanti. Quod ad posterius, quid adferam? Si crimen est amicos beneficiis demereri, valeant humanae societatis officia: & in mutuum exitium genus humanum conjuret. Porro cum in ejus Cathedra adipiscenda non ego solus allaborarim; cur mihi uni crimini vertitur? Peccavit uterque Borrullius. Quin tu peccasti. Et vero peccavimus, dum ea beneficia ingrato conferendo, non tam operam impendimus, quam prodegimus. Atqui me reprehendisti, inquit, quod ad tuas literas vel sero responderim, vel nunquam. Esto sane. Nonne id ipsum amoris ac benivolentiae indicium? Mihi male sit, qui hominem ingratissimum tam efflictim deperierim. Hominem inquam, qui publicae amicitiae, arctissimaeque necessitudinis vinculum, velut gladio adhibito praecidit, & verenda hospitii jura turpissime violavit. Taceo reliqua, quae nec ipse negare potest, nec vos nescitis. Illud quoque objicit, me, postquam illum Sagunto avocaverim, Valentia discessisse. Quid igitur? Num dignitatis nostrae reique familiaris augendae occasionem, benigne me respicientem, domo extruderem? Num quum illum Sagunto extraxi, exploratum mihi erat fore ut ab Ecclestae Principe ac-

cerserer? An illum dolo malo adjuvi? Cur igitur isthaec in me cuditur faba? O frontem, frontem! Sero te novi, sed tamen novi. Tu interim, Vir nobilissime, salve cum tua: &, stylo Catilinae, Haveto. In Urbe Regia Carpetanorum, pridie Non. Februarias, MDCCV.
Isidorum Costam vellem valde a me salvere, fratremque tuum, unice diligo.

VI, J. BASILIUS CASTELVINIUS EMMANUELI MARTINO *suo* *S. P. D.*

Mantuam Carpetanorum.

ETsi saepe antea mihi contigit, Vir clarissime, literas ad te scripturum, timide ad id operis accedere; nunc certe magis ita multo, tuis lectis; quas de Theatro Saguntino ad III. Legatum Pontificium Zondadarium dedisti, ut quam viam insistam, non satis teneam. Non enim aequavit modo, verum excessit, de tuis studiis quam habebam opinionem industria tua. Iccirco haereo misere qui plus solito in re hujusmodi nervos intendere nihil audeam. Audendum tamen, ne frustra sit officii nostri expectatio tua. Pergratum me tibi facturum, inquis, si ad te de illa quod sentiam descriptione brevi mitterem. Est profecto humanitatis tuae meum expectare judicium; non autem, ut exiguae sunt ingenii nostri vires, nisi tua comitate coacti, illud ferre. Quandoquidem autem eo res rediit, id facere ut sit necesse, morem tibi geram. Est primum omnium quod tibi gratias agam quam maximas, quod mirandum nobis proposueris spectaculum, gratissimumque, quum Theatrum exhibuisti Saguntinum ingenii tui lumine illustratum. Adeo enim venuste summaque cum elegantia persequutus es omnia ejus ornamenta, ut praeter Davum & Chremem, nihil reliquum feceris, cujus desiderio tangeremur. Nam praeter exactam accuratissimamque descriptionem, qua nobis ob oculos cuncta ponis, ita pura est oratio tua (ne quid deesset quod Theatri imaginem repraesentaret) ut habeant Latini Censores, atque optimi antiquitatis assertores ac vindices multum quod admirentur, quod reprehendant nihil. Ego vero, Plauti manes mihi habeam iratos, si quicquam vidi unquam, aut venustius Latinum, aut luculentius descriptum. Nam etsi leviter attigisti quae pluribus erant dicenda, dixti tamen ita pulchre, ut nihil fieri possit nec breviter prolixius, nec prolixe brevius. Unde apparet illud esse verissimum quod de te saepissime inculcamus amici: esse tibi profecto datum, quod Menelao attribuit Homerus:

Παῦρα

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ ὀ πολύμυθ☉ς.

Quoniam autem & antiquitatis peritia, & Latinae linguae cognitio, utraque tanta in te sunt quanta in alio nemine; nemo fuit sane isti muneri aptior, vel istud muneris nemini fuit aptius quam tibi uni, qui posses & pro singulari tua eruditione fidem facere, & pro non vulgari eloquentia rem adornare. Et licet in omnibus tuis scriptis, non eruditis solum, verum etiam curiosis auribus abunde satisfacias; in isto tamen scripti genere (si quid ultra crepidam sutori permittis) singularem quendam ac mirificum artificem praestare videris: atque in caeteris quidem plurimos, in hujusmodi descriptione te ipsum superasti. Subiit ergo cogitatio, Romanos id opus posuisse, ut Saguntinorum luctum, quibuscumque rebus possent, & hisce praesertim tum temporis amplissimis lenirent, ac infamiam desertae summo in periculo gentis, quod ipsimet erant in caussa cur subirent, obliterarent penitus ac delerent; sed non tam mihi videntur infamiae ingratique animi notam, hoc opere exstructo, abstersisse, quam nomini famaeque tuae consuluisse, ut haberes unde tibi multo praeclarius exstrueres monumentum ac multo perennius. Quod stabit equidem, stabit inquam, quamdiu Latinae elegantiae cultui, rerumque antiquarum memoriae locus erit. Plura dicere volenti, ut est nostra dicendi facultas, obcessit obviam vereri, ne, pro mutua in nos benivolentia, quas merito tuo sincere tribuerim laudes, ab amore potius profectae videantur. Id unum adjiciam quod Mignana noster: (aderat enim una cum tuae ad nos literae) Hoc uno monumento, missis aliis, quibus nomen tuum apud doctorum orbem jam diu est quum maxime inclaruit, facile te, veluti ἐκ τῦ καρπῦ τὸ δένδρον posse cognosci. Vale multum, teque amantem redama. Valentiae Hedetanorum, V. Eidus Februarias; An. MDCCV.

VII. EMMANUEL MARTINUS

Alonensis Ecclesiae Decanus,

JAINO BASILIO CASTELVINIO

Cervelionis ac Bugnolii Comiti, Praetori Valentino integerrimo, viroque eruditissimo, S. D.

Valentiam.

PAtrem tuum scis quanti faciam, Vir nobilissime, cum ob ejus mitem lenemque naturam, & come ingenium; tum ob ipsius studium in promo-

promovendis literis, doctorumque hominum industria fovenda. Quo ego nomine ita illum suspicio atque revereor; ut ab ejus sententia vel transversum unguem discedere, nefas semper duxerim. Eo prosequor amore, eaque benevolentia; ut plane videatur ille mihi vel Veneris cestum habere, vel lyngem Cum igitur proximis diebus una essemus, ac Ferdinandi Villegatis Poematum mentio incidisset; codicis illius edendi desiderio vehementer est inflammatus. Meque, uti de hoc negotio conficiendo diligentissime ad te scriberem, per caput, perque fortunas obtestatus est. Adjecitque, nunquam se destiturum a fodicando, donec perficeret. Eo se quoque accuratius ad te daturum literas. Nosti ejus ingenium. Quicquid cupit, vehementer cupit. Itaque, de te per literas adhortando, sedulo cogitare coepi. Neve ad scrupum aliquem vel leviter impingeres, viam tibi prius complanare volui, atque purgare: ut amotis offendiculis, nihil prorsus esset, quod moram afferre posset rei perficiendae. Codicis mendas, quantum in me erat, ex conjectura detersi. Praefationemque adjunxi oppido necessariam. In ea enim nitidissimi Auctoris memoriam, jam pridem emortuam quasi novo quodam infuso spiritu suscitavi,

—— *Quam nec Jovis ira, nec ignes,*
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Commodum enim accidit, ut apud patrem tuum esset illud ipsum prototypon e Bibliotheca vestra erutum; cujus mihi liberalissime copiam fecit. De Moecenate quaerendo omnis erat deliberatio. Videbatur clarissimi operis amplitudo jure sibi deposcere, ut non nisi ad aras sisteretur alicujus e Consentum numero. Munus enim eximium eximio egebat numine. Igitur optimum factu visum est, siquidem Hispani scriptoris famam, Hispanae Juventuti committeremus. Verum hoc consilium ea tantum conditione ratum fore, si tu probaveris. Habes rem plane extricatam atque expeditam. Reliquum est, ut editionem naviter urgeas. Curae mihi erunt operae Typographicae; si Mantuanas hasce Valentinis praetuleris. Quidni igitur ignavam istam cunctationem excutias? Flagitat pater, cujus opera, studio, diligentia, sumptu, servatum est tam egregium Hispanicae gloriae monumentum. Flagitat (si quid habent ponderis officia nostra) addictissimum tibi caput. Ipsius Auctoris manes supplices (ut ita dicam) tibi manus tendunt, fidemque tuam implorant atque obtestantur. Postulant denique Hispanici nominis decus ac splendor. Ecquid famae tuae turpissimam illam notam inures, ut incuria tua (pene dixeram inertia) nitidissimi Auctoris immortalia scripta in antiquas tenebras devolvantur? Apage hoc scelus. Sitque ornamento Castelviniae genti, quod ex domestica eorum Bibliotheca clarissimum id astrum prodierit, quod fulgore suo Hispanias illustret. Per ego te optimi parentis desideria, per fortunas & salutem

salutem tuam, per charissimum tibi sanctissimumque lectissimae consortis caput, oro atque obsecro. Per utriusque genium, quorum animos non tam lecti genialis foedus atque societas, quam morum studiorumque similitudo conjunxit. Colit enim illa impense amoeniores has literas, Musarumque oblectamenta sectatur. Nec has tantum, quarum venustate, lepore, elegantia, mortalium mentes arcana quadam illecebra deliniuntur. Sed molestas alias ac spinosiores. Cujusmodi est studium Genealogiae. In quo certe quantum illa profecerit, latet neminem. Summorum mehercule virorum exemplo Varronis, T. Pomponii Attici, M. Valerii Messallae Oratoris, Hygini, aliorumque. E recentioribus autem, Raphaelis Volaterrani, Fulvii Ursini, Antonii Augustini, Richardi Streinii, Jani Rosae, & Glandorpii. Teruntur enim omnium manibus illustrium familiarum aliquot stemmata, ab ornatissima foemina summa industria summaque dexteritate concinnata. Quodque magis mirere, id aetatis, quum muliebre ingenium formae studio unice vacare solet. Addo in eximia pulchritudine ac venustate, pene dixi, puella. Minime igitur dubito, quin illa quoque votis nostris accedat. quae rata fore, pro tuo ingenio, pro charitate in patriam, pro observantia erga parentem; proque eximia tua adversus nos benevolentia, facile spero atque confido. Vale. Mantuae novae in Carpetanis, IV. Eid. Septembreis, An. MDCCV.

VIII. J. BASILIUS CASTELVINIUS EMMANUELI MARTINO

Alonensis Ecclesiae Decano

S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

ETsi suasoriam tuam epistolam accipio, ex ea parte, quatenus blandis verbis, comitate, amicoque alloquio me invitare videris, ducere in viam, atque eam mihi digito monstrare, non tamen ipsam probo in qua Censoris veste indueris. Quid me, sponte mea satis incitatum, impellis, & verbis, manibusque hortaris? Currenti calcaria addis? Nonne a me quaeris id ipsum quod abs te flagito? In jus te voco. Te, te inquam, contra te, testem suscitabo. Licetne antestari? Porrige aurem. Meminisse te credo, quot, quantisque te precibus obsecravi, immo fatigavi ut Villegati nostro extremam imponeres manum, ejusque Codicis mendas absterGeres.

geres. Tibi commiſſum opus, quantum temporis latuerit tu certum ſcis, & ego ſane non ignoro. Sed haec ſint dicta potius ut me expertem criminis demonſtrarem, meamque ut tuear innocentiam, quam ut tuam accuſem cunctationem: abſit verbo invidia. Scio quidem, atque exploratum habeo te nunquam manum intra pallium continere; hoc maxime tempore, quo Ecclestae Principis Κειμηλιάρχης, in diſponenda in pluteos nummiſmata, ſuaſve in regiones collocanda, toto pectore incumbis. Hoc enim facit ut non modo diem tibi dictum differam, verum etiam omnino incoepto deſiſtam. Et merito quidem: nam ſi Villegatis Codex perdiu apud te ſepoſitus videretur, id factum puto ut longi temporis uſuram, qua caruimus, uberrimo emendationum tuarum fructu ſarciamus. Illuſtratum mittis: redivivum ſic ipſum reddis, ut nec ego quidem, qui tam frequenter, aſſidue, diligenterque totas ipſius paginas perluſtravi, vix ejus os agnoſcere poſſim: ejuſque faciei lineamenta aegre, imo, ut ita dicam, inaniter rimor. Quantum mutatus ab illo! Ab illo nempe Villegate, qui tot mendis ſcatebat, tot depravatis locis laborabat, cui ergo tot medelas adhibere opus erat. Sed erat etiam cavendum ne frumenti radices ſupra modum effodiendo evellerentur. Quamobrem tu bonus agricola, bonuſque colonus, provide prudenterque te geſſiſti: non temere in ſegetes, ſimul ac in noxias herbas aduncam falcem immiſiſti, ſed eas leviter ſcalpendo, inſtar optimi ſarritoris, a loliis, tribulis, carduis, lappiſque ſarculo purgaſti. Quo ſit ut purgatiſſima meſſe, non tantum Hiſpanam juventutem ſatiaveris, ſed etiam totum literarium orbem ſatis, ſuperque ſaturaveris. Qualem meſſem! vere auream, utpote aureo ſaeculo vere dignam. Sed haec tu ſcis; & qualia, quantique ſint pretii, judicio tuo probata, lecturis oſtendis. Mirari ſatis non poſſum quorundam hominum ingenia, quibus nihil placet, nihil probatum eſt, niſi illud cui inſunt ſtigmata patria, ejuſdemque Civitatis ſigna: illis ſimillima quorum inbecilla palata omnia faſtidiunt, praeter ea quae proprio ſolo nata, longa aſſuetudine, grata percipiunt: vel potius aliis, quibus adulterini, ſuſpective qualeſcunque ſunt nummi extranea ſignati nota. Iſti ergo critici, iſti pſeudo-Ariſtarchi, neſcio qua cenſoria virga, Hiſpanorum hominum nomina ſeveriſſime notarunt, eiſque ademerunt humaniorum diſciplinarum amoenitates, & Philologiae, ac linguarum notitiam; ſed immerito quidem (fremant alii, licet: dicam quod ſentio) nam in Graecae palaeſtrae exercitatione plurimos palmas tuliſſe nemini latet, Barboſas ſcilicet, Sepulvedas, Vergaras, Lacunas, Pincianos, Verzoſas, Covarrubias, Statios, Marianas, Nunneſios, Mendozas, Poncios: quibus etiam ſimul & in arena Romana, a cuncto eruditorum conſeſſu plauſus eſt multiplex datus. Ubi nec eis invidiſſe ignotum eſt, incompertumque, illos omnes Antonios, Vilchios, Reſſendios, Zuritas, Vivês, Tevios, Ciaconios, Foxios, Matamoros, Perpinianos, Auguſtinos, Oſſorios, Alvaros, Cerdas, Miedes,

Blancas,

Blancas, Calvetos, & quamplurimos, qui aequali curſu, & gloria, citra pulverem, ad metas properarunt. Sed quorſum tendit oratio! Quo me trahit & patriae, & veritatis plus quam dulcis amor! Redeamus in viam: in illam nempe praeruptam, ſalebroſam, quam explanaviſti, ipſiuſmet Villegatis ſcriptis illuſtraſti: cujus, e tenebris oblivionis, paene obliteratam memoriam vindicaſti. Dolebam tecum, ac vehementer angebar, cum viderem tot incaſſum noſtros iviſſe labores, ut neque penes amicos aequaleſque ſcriptores, quos ipſe recenſet, tanti viri mentionem aliquam introſpicere liceret. Dolet, inquam, mihi, cum nec apud Hiſpanos homines eruditos, qui proprias Hiſtorias tractarunt, nec etiam apud eos qui Genealogi vocantur, ipſius Villegatis, vel ipſius operum, memoriam cernere, immo nec veſtigia in pulvere percipere fas ſit. Unus eſt mihi, praeter Nicolaum Antonium, a te allatum, Laurentius nempe Van der Hammen, qui in ſuo libello Philippi Prudentis, illuſtre noſtri Auctoris teſtimonium reliquerit poſteritati. En verba, ut ſonant Latine, ex Hiſpanico idiomate translata: *Floruit Ferdinandus Ruizius Villegas excellentiſſimus Poëta Latinus, ut ejus multa, & docta ſcripta fidem faciunt.* Et en omnes fructus noſtri laboris. Caeterum, ut jam ad ſcopum epiſtolae tuae revertar, inhoneſtum mihi foret, immo & turpe, ſi inſtitutae orationi finem imponerem, priuſquam tibi gratias agerem. Pergratum mihi eſt quod ſuades de Villegatis editione adornanda, cum ſummo ſtudio curaſſem, quod tu curari volebas: ſpero fore, ut ex eo mihi aliqua gloriola contingat; & Bibliothecae noſtrae non parum honoris: fateor me tibi hoc officio magnopere devinctum eſſe: efficiam ut tuum in me beneficium, ad te, ſine mora, non ſine foenore, redeat. Ecquando, inquies? Diſpereamn, niſi in primis ego velim: ſed tempora quae impendeant vides. Jubeo nihilominus te bene ſperare, & bono animo eſſe: facti erimus voti compotes. Sed dum in conſultationibus his me exerceo, Franciſca mea etiam atque etiam urget, atque adeo flagitat me, ut te deſiderare diutius non patiar Villegatis editionem. Tanti enim eſt a tali viro laudari. Trahimur omnes laudis ſtudio. Satis, vel etiam nimium multa me ſcripſiſſe vereor. Vale mi Martine; noſque, quod ſoles, ama. Valentiae in Edetanis, Prid. Kal. Octobr. An. MDCCV.

IX. EMMANUEL MARTINUS
Alonensis Ecclesiae Decanus
HISPANAE JUVENTUTI
S. D.

CUjusnam tutelae posthumam hanc nobilissimi parentis prolem commendarem, cum paullo attentius deliberarem, pulsavit animum, Juventus Hispana, eximia illa tua virtus, & generosa indoles, ingeniique opibus florentissima. Cui enim nostratis hominis famam tutius committerem, quam tibi; ut eam copiis, patrocinio, auspiciis tuis consecrares? Perierat funditus tanti viri memoria atque evanuerat, nisi ita fors tulisset, ut in eum ego Codicem incidissem; ac Janus Basilius Castelvinius, Praetor Valentinus, in curam incubuisset, ejus luce publica donandi. Quando igitur ille ex oblivionis tenebris erutus ac redivivus, squallore deterso; vestram fidem implorat jure Quiritium; ferte opem, & salutem maxime indigenti. In quo profecto, elegantissimi Poëtae famae, atque immortalitati consuletis, unaque patriae gloriae, atque ornamento. Habetis domesticum exemplar quo studia vestra colliment. Absolutam poëticae elegantiae imaginem quam imitemini. Arripite praestantissimum hoc munus e coelo delapsum (veluti alterum Minervae simulacrum) ea alacritate, qua studia literarum ac disciplinas soletis capessere. Non amplius Latinae venustatis auctor foris est accersendus. Domi habetis cujus sectemini vestigia. Habet tandem Hispania nostra, quod opponat exterorum contumeliis. qui adhuc ob inscitiam nostram Latini sermonis, vel potius ob neglectum ejus cultum, in existimationem famamque Hispanici nominis quasi facto agmine irruerunt, conviciorumque plaustra in nos impudentissime conjecerunt. Jure ne an injuria; non ausim dicere. Volo enim consulere verecundiae vestrae. Non tamen me abstinebo a vos exhortando, ut in curam elegantiores has literas revocandi quam diligentissime incumbatis. Philologiae manum porrigite, jam dudum animam agenti, ac tantum non mortuae. In memoriam revocate praeclara illa nomina, Antonium Nebrissensem, Franciscum Sanctium, Ludovicum Vivem, Antonium Augustinum, Petrum Ciaconium, Ferdinandum Pincianum, Alvarum Gomesium, Perpinianum, Palmyrenum, Sepulvedam, Ramirezium, aliosque. Quorum fama tandiu perennabit, quandiu suus literis constabit honos. Quorumque gloria cum turpissima ignaviae nostrae exprobratione conjuncta est. Abolete igitur hanc dedecoris notam jamdiu generi nostro inustam. Non aliunde vobis comparandae copiae, sed abunde in

vestra

veſtra ſitae ſunt poteſtate; quibus mortales univerſos mentis acumine, ingenio, induſtria; longe antecellitis. Exſerite, Hiſpani Juvenes, vires veſtras, nervosque omnes intendite, ut pulcherrimam hanc, omnibusque deliciis affluentem amoeniorum literarum Provinciam, in veſtram redigatis poteſtatem. Cujus Provinciae potiri, non tantum ſumma laus eſt, ſummumque ornamentum; ſed & ſumma voluptas. Non enim per ſterilem aut ſpinoſam aliquam ſolitudinem, vepretis ac ſenticetis horridam, ingrediendum eſt vobis; neque arida ac ſiticuloſa regio calcanda. Sed virentia undique prata, florum varietate eximia, uberrimisque fontibus, quadam velut illecebra, ſenſus delinientia. quorum hauſtus incredibilem affert voluptatem. Nihil homini liberali dignius praeclaro hoc ſtudio; cujus afflatu nec barbarie inquinamur, nec foedamur ſordibus, cujus ductu in abditiſſima ſanctiſſimae antiquitatis ſacraria penetramus. Quo praelucente obſcura quaeque illuſtrantur atque pateſcunt, enodantur irretita, perplexa explicantur. Quae igitur inſania (abſit verbo invidia) honeſtiſſimae matronae calcem impingere, fucumque ſectari, & inanes umbras? Vos praeſertim quibus natura ſolers, ingenium acre ac vegetum, diſciplinisque & artibus exhauriendis quam aptiſſimum. Quod iccirco repetere volui, ut ne veſtrae navitatis vel ignari, vel obliti, praeclariſſimum hoc ſtudium deſpondeatis. Omnia vobis plana; aperta omnia, dum modo in eam incumbatis cogitationem, dum modo ad laudem & gloriam connitamini, atque allaboretis. Priusquam autem ad ea ſtudia gradum conferatis, aliquid monere per mihi viſum eſt neceſſarium. Nimirum, ſine literis Graecis irritos eſſe conatus, & inanem operam. In illis enim praeteritorum temporum notitia, omnis eruditio, elegantiae omnes, omnes ingenuae diſciplinae, humanitas denique ipſa continetur. Sine cujusope ductuque ſi quid in his ſtudiis proficere tentes, perinde facies ac ſi mari te commiſeris ſine velis, remisque. Quid M. Tullium ad ſublime illud eloquentiae faſtigium evexit, ejusque memoriam famae immortalitate conſecravit, niſi acre illud aſſiduumque in iis literis ſtudium; cum ea quae legiſſet Graece, Latine redderet? ut divinam illam ſibi compararet ubertatem varietatem, copiam. Quo *Latinus orator ſine Graecis literis pervenire non poteſt*, ut ipſemet teſtatur in *de Claris Oratoribus*. Ea fini, cum adhuc adoleſceret e Graeco tranſtulit Arati *Phaenomena*, *Oeconomicum* Xenophontis, contrarias Orationes Demoſthenis, & Aeſchinis, & Platonis Protagoram, & Timaeum, quem appellavit *de Univerſitate*. Sui Conſulatus Hiſtoriam Graece ſcripſit. In quo ὑπομνήματι ſe jactat omnes Iſocratis munditias conſumpſiſſe. Quod cum legiſſet Poſſidonius, qui tum Rhodi maxime florebat, idemque argumentum cogitabat literis commendare, faſſus eſt ſe a ſcribendo plane deterritum. Conturbavit enim eo ſcripto, ut ipſe ait, Graecam nationem. Tradit Suetonius eum usque ad Praeturam Graece declamaſſe. Qua animi contentione id adeptus eſt, ut in utraque lingua

aeque disertus, opes illas atque ornamenta, quibus Graeci caeteris mortalibus anteibant, ad Romanos transtulisse videretur. Quod Apollonius Rhetor aliquando fassus est stupore quodam correptus, cum eum Rhodi Graece declamantem audisset. Id ipsum ante Ciceronem alii Romanorum clarissimi factitaverant, ut Q. Ennius, qui Epicharmi, Pythagorae discipuli, Librum *de Rerum Natura* Latine vertit: nec non Euemeri *Sacram Historiam*. Tragoedias denique quam plurimas ex Aeschylo, Sophocle, Euripide. Mitto Tragicos illos Attium, Naevium, Pacuvium. Comicosque, Plautum, Terentium: qui Fabulas suas e Graeco verterunt. Q. Fabium, & L. Cincium Romanorum gesta Graeco sermone scripsisse; veterum monumentis proditum est. M. Catonem Censorium literas Graecas in senectute didicisse satis constat. Lucullus Graece condidit poëma. Acilius Historiam. T. Pomponius Atticus sic Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur. Librumque Graece conscripsit de *Consulatu Ciceronis*: Vir priscae libertatis, & acris subactique judicii. Qui ea quae minus probasset in Ciceronis libris, notare miniata cera solitus erat. Unde ajebat Cicero cerulas illas miniatulas se valde extimescere. L. Crassus, ut copiam facilitatemque dicendi sibi compararet, vertere Graeca in Latinum solebat. Uti & Valerius Messala Orator. Bruti Graecae epistolae exstant in Bello Civili ad diversas Civitates scriptae, summa venustate atque acumine. Sex. Clodius opus Graece composuit *de Diis*. Africanus major, cum Proconsul in Sicilia esset, tanto literarum Graecarum amore captus est, ob earum leporem ac venustatem, nt Romano cultu deposito iis operam dederit, assumpto pallio crepidisque. Quo nomine Fabius Maximus illi apud Populum invidiae faces subjecit. Octavianus Augustus Graecas disciplinas maximo studio professus est, Magistro dicendi usus Apollodoro Pergameno. Claudius etiam Graece scripsit Historias Τυρρηνικῶν & Καρχηδονιακῶν. M. Aurelius Antoninus conscripsit Graece Libros XII. τῶν ἑαυτοῦ. Mitto alios Principes, Romanosque viros clarissimos, qui contempta majestate patria, labores suos ac studia Graecis literis consignaverunt. Quorum catalogum texere, perquam esset putidum, perquamque molestum. Caussa duplex. Altera Graeci sermonis copia, venustas, elegantia. Altera, quod cum ejus peritia in universum orbem pervasisset, iis literis conscripta monumenta legerentur ubique terrarum. Contra vero quae Latinis, angustis admodum finibus continerentur. Quod vel Cicero ipse fatetur in Orat. pro *Archia Poëta*. Eo celebres illae per universum fere terrarum orbem a Graecis institutae Scholae generis humani erudiendi caussa, quarum nobilissimae Athenis, Rhodi, Apolloniae, Alexandriae. Massiliae etiam, quam majores nostros maxime frequentasse, ut Graecis disciplinis imbuerentur, priscis monumentis traditum est. Quin etiam vel in ipsam Hispaniam nostram ea studia irrepsisse. Constat enim ex Strabone, Asclepiadem Myrleanum in Turditania Grammaticam publice docuisse. In eas Scholas, quasi officinas quas-

quasdam dedolandis mortalium animis institutas, Romana Juventus confluebat. Unde in Urbe olim utriusque linguae usus promiscuus. Qui quidem Graece loquendi amor Romanam etiam plebem adeo invaserat, ut vel foeminae ejus studio insanirent, nec ulla satis sibi videretur diserta ac blanda, nisi Graeco sermone uteretur. Existimabant enim eo venustatem, leporem, elegantiam sibi comparari. Quae Graece nescirent, ineptae habebantur ac putidae. Quam insaniam acriter exagitat Juvenalis in Sexta. Quid mirum omnium gentium eo conspirasse animos, unde lumen liberalibus disciplinis adipiscendis? Ea face extincta, foeda barbarie obruuntur omnia, humanasque mentes quaedam veluti rubigo obsidet. Quod reapse experti sumus. Regna ac Provincias ad Occidentem sitas densissima ignorantiae caligo obscuraverat. Sed expugnata a Mahometo Secundo Constantinopoli, Anno Christiano MCDLIII. imperante Constantino Palaeologo; exitialis illa clades & luctuosa, quae Orientis opes prostravit, Graeciae splendorem extinxit; Occidenti nostro (quae sunt rerum humanarum vicissitudines) sapientiae lumen attulit, cultumque literarum veluti postliminio restituit. Nam multi Graeci, eruditione ac scientia clari, vel patriis sedibus ejecti, vel Turcarum crudelitatem exosi, cum in Italiam se recepissent; literarum studia jam pridem emortua, & exanimes Scholas suscitare conati sunt. Quorum primus fuit Emmanuel Chrysoloras, qui Venetiis primum, mox Florentiae, Romae deinde, ac tandem Ticini, literarum Graecarum studium tam prospero eventu professus est, ut ex ejus Schola summi viri prodierint, Leonardus Aretinus, Franciscus Barbarus, Philelphus, Guarinus, Poggius, aliique. Cui successit Bessarion secta Platonicus, in amplissimum postea Cardinalium Collegium cooptatus. Æqualis illorum fuit Georgius Trapezuntius Cretensis, Peripateticus. Hic Romae renascentibus tum temporis literis, primus habitus est, qui Graeca felicius in Latinum verteret. Amurathe deinde Graeciam omnem igni ferroque vastante, ad Italiam appulit Theodorus Gaza Thessalonicensis, vir, cum acumine ingenii, tum linguae peritia, Graecorum longe Princeps. Quippe & Graiam, & Romanam locutionem tam scite calluit, ut utram in cunis didicisset, dignosci facile non posset, ut abunde testantur Historiae Aristotelis *de Animalibus*; ac Theophrasti *de Plantis* ab eo in Latinum elegantissime translatae. Quod sane mirabile in tanta argumenti varietate, Latinique sermonis inopia. Sed occurrentes identidem scopulos superavit ingenii solertia, conflatis miro lepore ad analogiam vocabulis, quibus carebat Latium. Porro. Librum M. Tullii *de Senectute* tam scite Graece expressit, ut profecto cum eo de palma contendisse videatur. Eadem Turcarum immanitate patria ejectus est Joannes Argyropylus Byzantius, qui Florentiae publice praefectus est erudiendae juventuti. Eam Scholam ab Argyropylo desertam ac jam collabentem, instauravit Demetrius Chalcondylas. Quem excepit Marcus Musurus Cretensis,

sis, qui Patavii Graecos Auctores interpretatus est. Insignis Grammaticus ac Poeta praestantissimus Joannes item Lascares, Graecorum qui Othomannicis armis patria pulsi sunt, generis nobilitate clarissimus. Qui bis a Laurentio Mediceo, magno illo literarum fautore, atque parente, ad Bajazethem Byzantium missus est, ut Graecos codices omnibus latebris extractos, & quantivis coëmptos, in Italiam exportaret. Eodem tempore floruit Michael Apostolius Byzantius, qui Graecorum Proverbia collegit. itemque Gnomas & Apophthegmata. Nec non Emmanuel Moschopulus. Ex quibus quatuor Graecae linguae praecepta conscripsere: Chrysoloras, Gaza, Laschares, Moschopulus. Nam maximus Planudes, qui Caesarem *de bello Gallico* Graece vertisse creditur, aliquanto fuit superior. Cum circa Annum MCCCLXX. floruerit, suasque ediderit *Institutiones*. Hisce Magistris initiisque res literaria radices agere coepit in Italia. Quemadmodum enim campi cultu atque irrigatione cessante sterilescunt, foedoque aspectu squallent; illis autem revocatis, pullulant denuo ac revirescunt; haud aliter Italia, quae ob barbarorum irruptiones intermisso literarum cultu exaruerat, Graecis fontibus irrigata, Graecorumque studiorum calore tepefacta, coepit frondescere. Ipsaeque disciplinae liberales, quae in coeno ac sordibus jacuerant, oculos attollere coeperunt, & in coelum respicere; manum porrigentibus praestantissimis illis literarum patronis atque fautoribus Nicolao Quinto Pontifice Summo, & Cosino Mediceo. Quorum ille Graecos etiam codices ad tria millia in Vaticanam Bibliothecam intulit, Graecia exportatos. Quorum ope & auxilio ea brevi incrementa fecere scientiae, ac disciplinae, eoque clarorum virorum proventu floruit Italia; ut saeculum illud doctorum hominum consensu *aureum* appellari meruerit. Tum primum eruditae antiquitatis amor mortalium animis insedit, unde orta est Critice; quam animam sapientiae merito dixerim, studiorum facem, ac veritatis altricem. Qua sine, caligant omnia atra nube densisque tenebris obducta. Tum primum Latini sermonis virtus ac splendor humanos praestrinxit oculos. Et qui antea barbarorum faece pollutus, nativum illum colorem amiserat; pristinam coepit faciem ostendere, nitidumque cultum: ac veterem decorem dignitatemque recuperavit. Neque haec tantummodo inde emersere; verum & illae Graeciae artes civili cultui tantopere necessariae, Tectonice, Pictura, atque ars Statuaria. Allexerant namque hominum ingenia, & industriam acuerant, mirabiles illae Graecae statuae, quae vel Romae adhuc supererant veteris majestatis reliquiae, vel e Graecia exportandas curaverant summi illi viri Cosmus & Laurentius Medicei. Qui erudiendis mortalium animis, ornandae patriae, ac disciplinis liberalibus restituendis, immensam pecunae vim liberalissime insumpsere. In Gallias, utpote finitimas, statim irrepsere Graecae literae. Nam Gregorius Tiphernas e Chrysolorea Schola profectus, omnium primus Lutetiae Parisiorum summa cum laude eas publice

publice professus est. Nec multo post in Hispaniam nostram pervolarunt. Sed pervolarunt tantum, nec diu constitere. Haec eo commemoravi, Hispana Juventus, ut ne nesciretis, quantum afferant momenti ad scientias rite adipiscendas Graeca studia. Monet Quintilianus, ut pueri e Graeco sermone potius literarum initia auspicentur, quam a Latino. Ratio nemque subjungit: *Quia disciplinis Graecis prius instituendi sunt, unde & nostrae fluxerunt. Existimabant enim Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse*, ut tradit Cicero. Et certe ejus aetate lingua Graeca, antequam Latina, erudiebantur. ut priscis temporibus Etrusca: propterea quod illa, Auguralis disciplina, ritus fere Deorum ac ceremoniae; aruspicini ac fulgurales libri; magna denique pars Romanae πολιτείας, in ritualibus Etruscorum continerentur. Utar denique in vos adhortando iis ipsis verbis, quibus usus est Tullius ad M. filium: *Ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina conjunxi; neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci; idem tibi censeo faciundum; ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem, nos (ut videmur) magnum attulimus adjumentum hominibus nostris; ut non modo Graecarum literarum rudes, sed etiam docti, aliquantum se arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad judicandum.* Ad illam igitur, omnis venustatis, leporis, jucunditatis, eruditionis, elegantiae, parentem animos intendite. Quod si obtinuero; profecto mihi videbor mortalium omnium felicissimus; qui tam bene operam nostram locaverim. Vos autem exteris nationibus ostendetis, non naturae vitio, ingenii hebetudine, aut laboris detrectatione, ab iis studiis abstinuisse; sed fato quodam gentis, & injuria temporum. Quae in posterum fore laetiora, non tantum confido; sed & praesagio. Valete. Mantuae novae in Carpetanis, Nonis Septembr. An. MDCCV.

X. EMMANUEL MARTINUS

Alonensis Decanus

LECTURIS SALUTEM.

EN amice Lector, novum quoddam, & inexspectatum φαινόμενον: non tamen ex eorum genere, quae ingentium calamitatum praenuncia mortalium animos terrere solent, atque concutere. Sed eorum, quae jocundo splendore voluptatem potius afferunt, atque oblectationem. Rem totam paucis absolvam. Da operam. Cum abhinc quinquennium Valentiae Hedetanorum agerem, ac Josephi Castelvinii, Marchionis Villatorcani Bibliothecam paullo diligentius lustrarem; cum animi causa, tum ut codices acervatim ac temere in pluteos conjectos, in certas classes aptum-

que ordinem redigerem (nam Castelvinius penum illam Librariam, in Portu Magonis Balearico ab se coëmptam, nuper advexerat, cum e Provincia discederet, quam fere per septennium cum imperio rexerat) dum eximias illas Minervae opes contemplor; oculorum obtutum in codicem quemdam defixi, qui visus mihi est antiquitatem quamdam prae se ferre. Erat enim compactus tabellis quibusdam aluta obductis. Quod solenne priscis bibliopegis. Novitate illectus, statim scalas admoveri jussi, iisque conscensis, in codicem incidi carmina ac poëmata varia continentem, auctore Ferdinando Ruizio Villegate. Pupugit me altius novi hominis nomen ignotum, nec ullis adhuc famae imaginibus nobilis. Multoque vehementius ubi aliquot versibus perlectis, mirabilem in iis nitorem deprehendi, cum nativa quadam facilitate, ac poëtico oestro. Sed de his alias. Igitur cupido omnes invaserat, ignotum hominem ex oblivionis tenebris eruendi. Quare, rimari omnia, obvios quosque de illo contari, Nicolai Antonii Hispanam Bibliothecam evolvere, Ludovici Vivis (quem Praeceptorem habuit) Budaei, aliorumque, quos inter amicos recenset, scripta consulere. Tandem Burgos, ejus patriam, accuratissimas literas scribere; ut si quae in domesticis monumentis de eximio hoc Poeta vel legissent, vel fando audivissent, ea nobis minime inviderent. Sed omnia ne quicquam. Incredibilis enim oblivio tanti viri memoriam deleverat. Fati contumeliam! Quam ob rem in eas angustias devenimus, ut nitidissimi Poëtae memoriam alioqui funditus obliteratam, ex ipsiusmet scriptis cogamur eruere.

Natus igitur est Ferdinandus Ruizius Villegas Burgis in Hispania. Ipse in quodam disticho.

Burgensis vitam praestet mihi patria, bustum
Praebeat ignota vel niger Indus humo.

In lucem editus est III. Nonas Aprileis. quod ipse memoriae prodidit in Carmine *de Die natali*, iis versibus:

Nunc ego crediderim Veneri accubuisse Gradivum,
Et posita amplexus casside ferre Deae.
Nuper abit, mensemque suum secum abstulit ille,
Vulcano ut melius sic, puto, verba daret.
Tertia lux haec est Martis contermina mensi:
Ah! sine Marte Venus tres sit amante dies!
Adde quod est Veneri mensisque diesque sacratus,
Atque aperit veris dives Aprilis opes.

Fuit patricia familia, multisque majorum imaginibus clara, ut idem prodit in eodem Carmine:

Sparge

Sparge Rosas, & funde merum, multisque penates
Floribus, & fictos stipite sparge lares.
Stipite crediderim fictos, quos Troius heros,
Eripuit patriis Urbe cadente rogis.
Ista pium atque gravem scimus coluisse Quirinum
Numina, & haec eadem sacra fuisse Numae.
Hos quoque ab innumeris proavisque atavisque Penates
Quid mirum, & fictos stipite habere lares?
Qualescumque tamen, puer eja age, sparge coronis.
Haec coluit multos numina noster avus.
Haec tutam tenuere domum tria saecula nostram:
Et teneant post haec saecula multa precor.
Divitiae periere quidem, princepsque potestas:
Sed Villegatum stirpsque decusque manet.

Et in de Genethliaco ad Uvilchium:

Est illustre mihi, fateor, genus; attamen hoc sum
Culpandus, proavum ni sequar acta magis.

Recenset deinde majorum suorum egregia gesta, ac facinora a Roderici clade. Subjungitque:

Num Villegates sedem hanc habuisse, minores
Unde decus summum nobilitatis habent.
His quoniam terris, atque his in montibus orti,
Bellando qui rem restituere, duces.

Descendit deinde ad Alphonsi, cognomento *Sapientis*, tempora, ac utriusque stirpis Villegatum nimirum, & Ruiziorum gesta commemorat. De illis autem alibi etiam.

——— illustris numeret, seu stemmata gentis
Et Villegatum longos ab origine patres.

Praeturam gessit Burgis. De Genethliaco ad Uvilchium

Quare ego, amice, tuo vel motus carmine, vestram
Praeturam cura cum meliore geram.

Texuerat enim Uvilchius in Genethliaco Villegatis majorum seriem, eosque summis laudibus ornaverat. Ut eum forte suorum aemulatione ad virtutem accenderet. In Carmine etiam ad Gundisalvum Illescam de Historia sua Pontificali, appellat se patricium Burgensem, & Praetoria dignitate illustrem. Rei familiaris angustia laborasse, ac pristinae dignitatis splendorem amisisse; ipse indicat in de *Die Natali*, eo versu:

Divitiae periere quidem, princepsque potestas:
Sed Villegatum stirpsque decusque manet.

Videtur etiam cum duriore fortuna conflictatus. Ut ipse innuit in *Cybdelo-mastige*, illis versibus:

Nec sinit absentes mala nostra plangere, si sunt
Quos miseri moveant impia fata viri.

Ex quibus apparet malevolum hunc, quem Cybdeli nomine maledictis proscindit, ejus infortuniis insultasse, famamque carpsisse. Quem iccirco Archilochio sale perfricat; ac diris & exsecrationibus devovet. Gravissimo morbo aliquando fuisse correptum, tradit ipse in Elegia ad Virginem Matrem, cujus opem implorat. Morbi genus ipse prodidit hisce versibus:

Ad te confugio supplex. miserere jacentis
Diva tui famuli, quem premit atra lues.
Obruta ferali languent mea membra dolore,
Nec facit officium pesve manusve suum.

Miram in eo fuisse in pangendis versibus facilitatem, cum ex ipsis patet (non enim tam arte, & labore constare videntur concinnarique, quam sponte sua, ac naturali quadam facilitate fundi, atque fluere) tum ipse testatur in Epigrammate quodam ad Uvilchium, ibi:

Quod scribis nostris peccatum versibus, esse
Agnosco, & culpam, Uvilchie, confiteor.
Vel quia stans uno centum pede carmina scripsi,
Et tot scribendis versibus, hora fuit.
Vel quod & haec fuerit male libera, nempe rogatis
Bissenis dare ... testibus, atque tribus.
Adde, quod a multis numeros oblita diebus
Musa, per insuetum non bene currit iter.
Acceleransque, manum vix primam passa, relicto
Auctori nullo carmine, stulta abiit.
Quo fit ut excuses merito me. Quare age, nostros
Aut dele, aut versus corrige, vel patere;
Me tamen excusa. Nisi sim culpabilis, una
Quod scribo, & testes pergo rogare meos.

Vides eum, dum munus praetorium obiret, una testes ad tribunal stantes rogasse, eaque carmina fudisse, quae ad Uvilchium miserat. Mariannam quamdam a Lerma Civem suam efflictim deperiit. A qua,

A qua, tamquam a principio omnium auſpicatiſſimo, opus ſuum orditur. Ecloga ſcilicet principe, quam *Mariannae* nomine inſcripſit. eamque in ſcriptorum ſuorum limine affigi voluit, tanquam famae ſuae tutelam, atque praeſidium. Nihil tam Auctoris noſtri ingenium exercuit, quam Marianna. Tabeſcebat miſer, atque omnes curas, cogitationes, aeſtus, omnes denique aegritudines, verſibus mandabat; atque (ut ita dicam) Mariannae foribus appendebat. Exſtant enim ad eam inſcripta ſex & viginti epigrammata. Tandem caſtiſſimae ac nobiliſſimae virginis amori ſuccumbens, eam duxit uxorem, veluti ab aris, ac pulvinaribus detractus. Semper enim in votis habuerat ſacris initiari iiſdemque addici. Eoque Eccleſiaſtico cenſu fruebatur, quem ſponte dimiſit, ut forma potiretur tantopere concupita. Sed malis avibus id factum ac δυσοιωνίστως. Siquidem Jocundiſſimum illud ſibi caput Mariannam paullo poſt extulit repentina morte extinctam. Quique nuper laureatus Epithalamium cecinerat, lautoſque pueros genialem facem lucere viderat, & praecinentes tibicines; mox veſpillonibus ac praefica accitis, floribuſque cupreſſo funeſtis, epitaphium conſcribere coactus eſt. Quod habetur in extremo libro. In diſciplinis apiſcendis Magiſtro uſus eſt ſummo illo viro Ludovico Vive, cujus mortem acerbiſſime deflet Ecloga ſecunda, cui titulus *Vives*. In ea enim legitur:

> *Aut mihi ſi celebrare datum per rura magiſtrum eſt.*

Quod etiam repetit in ſepulchrali ejuſdem elogio, hiſce verbis:

> *Vives ille meus Magiſter, ille*
> *Magnus, ſaecula priſca quem timebant.*

Hujus Eclogae meminit Nicolaus Antonius Hiſpalenſis tom. II. Bibliothecae Novae Hiſpanae pag. 214. hiſce verbis: *Rodericus Fernandez de Villegas ſcripſit Eclogam in obitu Ludovici Vivis ad D. Menciam Calabriae, & Zenetti Duciſſam, ſive Principiſſam. Quae olim fuit in Bibliotheca Antonii Auguſtini Tarraconenſis Praeſulis Cod. CCCLIII.* Unde apparet, quam obſcura fuerit adhuc praeclariſſimi hujus Viri memoria.

Guillelmum Budaeum inter praecipuos amicos habuiſſe videtur, cujus manibus parentat Ecloga VI. cui titulus *Budaeus*, nitidiſſime mehercules, atque elegantiſſime ſcripta. Inter amicos etiam recenſet Antonium de Fonſeca Pompejopolitanum Epiſcopum, cui carmen quoddam, ſive SERMONEM, προσφωνεῖ, de Urbe Pompejopoli. Joannem itidem de Peſquera, cui *Sermonem* alium dicat cum hoc elogio:

> *Peſquera egregium Phoebi decus, Aonidumque,*
> *Praeſidiumque ingens, cultae, & tutela Minervae.*

Nec non Antonium Valdelomarum, cujus etiam nomen carmini cuidam praefigit hiſque verſibus ornat:

Valdelomare novem Musarum gloria, fontis
Bellerophontei, cui labra implesse liquore
Contigit haud tantum, & bijugum superasse cacumen.

Gundisalvum Illescam, Auctorem Historiae Pontificalis Hispanico sermone conscriptae summis laudibus ornat, ob praeclarissimi operis dignitatem, atque amplitudinem, dictionisque elegantiam. Illiusque facultatem in scribendo Graece & Latine valde commendat. Familiariter quoque usus est Salcedo quodam, eximio Poeta, quod ipse prodidit in quodam epigrammate, hisce versibus:

——— O veteres inter numerande Poetas
Et nulli vatum vates cessure priorum.

Maxima quoque illi intercessit necessitudo cum Joanne Verzosa, cui epigramma inscripsit, in quo miris laudibus extollit opus quoddam poeticum, quod ille tunc pangebat. Aloisiam Sigeam rebus humanis defunctam lacrymis prosequitur moestissimo quidem epigrammate, sed elegantissimo. Ubi eam appellat Hebraicae, Graecae, Latinaeque linguae peritam:

Illa Palestine, Graece, Latieque perita,
Quam decimam Musis addidit Hesperia.

Et in alio epigrammate:

Phoebus Idumaea, Latia, Graecaque loquela, &c.

Et in ejus epitaphio a se scripto, addit linguam Arabicam, ubi ait:

Quam docti stupuere Viri, quam maxima Roma,
Quam Graeci, & Solymi, quamque perusti Arabes.

Quando autem in clarissimae hujus foeminae mentionem incidimus; temperare mihi vix possum, quin eorum manibus male precer, qui castissimum illud caput pudore, ac verecundia insigne, dignum judicarunt, cui infamem illam turpissimae obscoenitatis notam inurerent, impurissima illa Satyra vere Sotadica, sive Dialogis flagitiosissima libidine exsecrandis, qui ejus nomine circumferuntur. Doli artifex Janus Meursius. Qui improbo ac petulanti consilio Hispanae Virgini propudiosum illud opus impegit, quod vel Philenis ipsa erubesceret, vel Elephantis. Hominis os! Eadem insolentia grassatus est impurissimus nebulo in famam & existimationem Ludovici Vivis hominis sanctissimi; spurcissimam fabellam commentus, qua tanti viri memoriam incredibili mendacio apud posteros deturparet. Cui diligentius recitandae totum impendit Dialogum VIII. Satyrae suae Sotadicae impudentior cane catulliente. Sed mali corvi malum ovum. Sed a diver-

diverticulo in viam. Habuit etiam Ferdinandus noſter inter amicos P. quendam Beneventum Pompejopolitanum, quem poëticae facultatis nomine ſaepe laudat, variis ad illum inſcriptis epigrammatis. Andream item de Cardenas, quem in ejus epitaphio a ſe exarato, appellat:

—— *Phoebi clarum jubar, una ſororum*
Gloria. ——

Nec videtur Eraſmo fuiſſe ignotus, cui non unum ſcripſit carmen ſepulchrale cum verſibus hendecaſyllabis, tum elegiacis. Haec ſunt, quae ex Auctoris ſcriptis expiſcari potuimus ad ejus vitam concinnandam. Quandoquidem illum ex oblivionis tenebris extractum, ac redivivum, nunc primum vitali luce perfundimus. Feſtinemus ad alia. Habes candide Lector Poëtam nitidum, venuſtum, elegantem. Mira in eo facilitas cum felicitate conjuncta. praeſertim in Epicis, & Bucolicis. Quid enim elegantius poëmate *de Nuptiis Philippi II. & Iſabellae?* cujus poſtremus liber eſt de Taurorum Ludicro Spectaculo, Cannarumque luſu. In quo ſummus Poëta omnes ingenii ſui vires exſeruit. Mirabile in eo artificium. Per Deorum namque miniſteria, & divini furoris imagines res alioqui difficiles ac perplexas mira dexteritate extricat, atque expedit. Quid quod Theocriticam ſimplicitatem magis referat, ac Virgilianam ſuavitatem, quam Auctoris noſtri Eclogae? Inter quas equidem illam cenſeo facile principem, quae inſcribitur CIVICE. Eſt enim plena paſtoriciae ſimplicitatis, miraeque varietatis. Affectibus praeterea maxime turget. De utroque igitur genere ita ſentio. Nihil eſſe prorſus, quod magis referat divinum illud Maronis ἀρχέτυπον. Ita enim exprimit imaginem priſci aevi, ut niſi argumentum & Auctoris nomen prohiberent, ſaeculi Auguſtei prolem judicarem. Dictio in iis pura elegans, caſtigata; numeri ſonori, teretes; ſententiae perſpicuae, novae, vividae, toroſae, inventio mirabilis. Fluit ſane grandiloquus ſine tumore, elatus ſine faſtu, ſine abjectione verecundus, diligens ſine moroſa περιεργία. Nec tamen diſſimulabo quaedam occurrere apud illum hyperbata, quae legentis impetum remorantur, Quo ſine nihil eſſet hoc opere perfectius. SPHAERA MUNDI duriuſcula eſt, & longis amfractibus ſalebroſa. Quo itidem vitio laborant AESOPI FABELLAE. CYBDELOMASTIX poëmation eſſet nec illepidum, nec injucundum niſi eruditionis oſtentandae, dum omnia verrit convaſatque, moderationis finibus exceſſiſſet. Quidquid enim ubique gentium accidit infortunii, tam apud Graecos, quam apud Latinos illo acceſit, diris, & exſecrationibus ſuis concinnandis. Quo fit, ut legentis animus immenſa illa hiſtoriarum congerie obrutus, nec ulla recreatus varietate, faſtidio legendi deficiat penitus, ac fatiſcat. SERMONES ad Horatianum characterem propius accedunt. Dummodo ſententiae nervos feliciter

feliciter exprimat ac Romane; ut ut verba cadant, ſusque deque habet. Structurae nitori unice ſtudet, ac proprietati; numeros ſonoremque contemnit. Satis illi viſum, ſi verba ad metri leges trahantur, etſi non fluant. Itaque in iis legendis ceſpitabis potius, quam curres. Pleni autem ſunt optimis praeceptis, & ſapientiae ſucco, moribuſque vel formandis vel emendandis, oppido quam aptiſſimi. EXSULTATIO ob Navalem Victoriam ad Naupactum, poëmation quidem eſt aridum, & exſangue. Crediderim illud in primo animi exſultationis ardore, ac laetitiae motu effudiſſe potius quam lucubraſſe. In reliqua variorum epigrammatum congerie, quam vocat FARRAGINEM, multa reperies ſumma elegantia ac venuſtate. Nonnulla autem, quae forte exſpectationi tuae minime reſpondeant. Equidem exiſtimo, Auctorem noſtrum quaecunque ab adoleſcentia uſquam unquamve paraviſſet, in hunc librum conjeciſſe; non tam ut luci publicae committeret, quam ut ſe penes in unum collecta volumen, tutius, cautiuſque ſervaret. Itaque ego, niſi religione impedirer, facerem quod diligentes paſtores ſolent, quum oves rejiculas a ſano ac valente grege diſpeſcunt, atque abjiciunt. Sed quas in me conjicerent tragulas moroſi iſti hypercritici? Itaque de hoc volumine quicquam detrahere, religioni duximus. Ea tantum praemonere viſum, quae ad Lectorem inſtruendum, officiique noſtri rationem pertinere arbitratus ſum. Auctori, qui ſuperiore ſaeculo vixit, explanationes annotationeſve appingere, non nihil habere mihi viſum eſt levitatis, ne dicam putidiuſculi ac futilis. Quare Auctoris nudum exemplar orbi literario proponimus: pauciſſimis admodum exceptis; iiſque leviſſimis, quae rei dilucidandae adjecta ſunt. Unum eſt in quo nec operae, nec ſtudio peperci. In reſtituendo ſcilicet exemplari, quod librarii inſcitia mendis adeo ſcatebat, ut majorem ego moleſtiam in eo emendando ſubierim, quam Hercules in Augiae ſtabulo repurgando. Num ea diligentia aliquid praeſtiterim, ſcires profecto, ſi volumen ipſum manu exaratum tractaſſes. Nec tamen ea ſum confidentia, ut mihi perſuadeam omnes meas lectiones eſſe ἀληθέστερα τῆς Σιβύλλης καὶ Βάκιδος. Cui enim tam defaecati ſunt oculi, quibus non aliquae adhaereant Saturniae lemae? Non mea ſponte hanc Provinciam ſuſcepi, ſed adigente viro graviſſimo mihique omnibus officiis conjunctiſſimo, Jano Baſilio Caſtelvinio, Praetore Valentino, Muſarum corculo, cui omne ſtudium omnemque operam navare, per mihi honeſtum viſum eſt, arctiſſimaeque amicitiae legibus maxime conſentaneum; cuique poëſeos ſtudioſi maximas gratias referre debent, quod eo annitente atque allaborante, immo Auctore, elegantiſſimi Poëtae carminibus frui licet. Qui uni illi ſuam debet ἀνάγκην. Labore igitur ac diligentia noſtra, quali quali fruere Lector, & vale. Mantuae novae in Carpetanis, Pridie Kal. Septembreis, An. MDCCV.

XI. EM-

XI. EMMANUEL MARTINUS

Excellentiſſimo Domino

JANO BASILIO CASTELVINIO

Marchioni Villatorcano, Comiti Cervilionis, Hiſpaniae Magnati, ac Caeſaris a Conſiliis,

S. D.

Viennam in Auſtria.

Literae tuae XIV. Kal. Septembreis ad me datae, redditae mihi ſunt, quo tempore ſummis occupationibus ita diſtinebar, ut eas vix potuerim raptim ac feſtinanter oculis percurrere. Reſcripſi tamen fratri tuo, de faſciculo ſolicitudinem abjiceret, eſſe enim me penes. Tibi autem reſpondere, cum res eſſet acrioris ſtudii ac meditationis; in id tempus diſtuli, quo moleſtiſſimis hiſce tricis expeditus animus, ac paullulum recreatus, ſe colligeret. Quando igitur nactus ſum tantillum laxamenti; ad ea enitar, quae eruditiſſimi Viri, Apoſtoli Zenonis ſchedula continet, quam tu in faſciculum inſeruiſti. Tametſi nonnihil tibi ſubiraſcor, quod ingenium noſtrum, pertenue admodum perque imbecillum in has anguſtias conjeceris. Quid enim proferre poteſt homo in hanc literarum ſolitudinem abjectus, atque a doctorum hominum conſuetudine penitus ſecluſus? Tamen etiam, poſtquam tibi ita viſum eſt, ſententiam noſtram aperiam: non quidem eruditionis oſtentandae; ſed ut deſiderio tuo pleniſſime ſatisfaciam.

Quaerit primum Zeno, num verum ſit quod vulgo jactatur, poſt extinctum Caligulam nullos reperiri nummos Imperiales in Hiſpaniarum Coloniis ac Municipiis percuſſos? Reſpondeo reperiri quidem, ſed adulterinos, & mera παραχαράγματα. Deſicit enim in iis repente non ſolum artis illa quaſi vernacula indoles, ac nativus character; ſed & ipſius formae rithmus: & in peregrinam quandam inſolentiam deflectunt. Quod in Claudio praeſertim fieri vix potuit, ac ne vix quidem. Quomodo enim ἀμέσως in ſucceſſore irrepere potuit mutatio illa enormis atque abſona? Cum adhuc ſupereſſent ſuperiores Principis flatores atque artiſices. Adde ſis, quod ita viſum eſt Vaillantio. Cujus ego judicio in re nummaria plurimum deſero.

Contatur deinde Zeno, num Hiſpanienſia illa numiſmata, quae Harduinus profert, tanquam ſub Galba, aliiſve poſterioribus Caeſaribus per-

cusa, exploratae sint auctoritatis; an eorum fides vacillet? Uti etiam illa a Golzio edita. Cui respondeo, omnes fere nummos Hispanienses ab Harduino editos, ex Thesauro Golzii corrogatos, quos ille quasi per lusum, ex proprio cerebro pepererat, ut Jupiter Minervam. Nam quod homini privilegium irrogatum, ut inter caeteros mortales, uni ipsi tot numismata sese ostenderent? Eruditae posteritatis diligentiae se subducerent? Quaenam beatissima illa cornucopia, quae omnes divitias in Herbopolitae gremium effudit; ne nucis quidem pineae nucleo posteris relicto? Nec miror tam doli fabrum, ejusque frontem perfrictam, quam quod Harduinus, Vir eruditissimus, ac criticorum omnium ὑπερκριτικώτατος, in ea offendicula impegerit sciens volens. Sed nosti hominis genium ad quidvis novum ac paradoxum suapte natura pronum atque devexum. Communi hominum judicio adhaerere, & cum multis sentire ineptum ducit ac putidum. Novi tramites aperiendi sunt, & in loca avia connitendum. Adde scabiem illam ἀντιῤῥητικήν. Quam pruriginem abunde ostendit in Antirrhetico illo adversus Vaillantium. Ubi hominem de re antiquaria optime meritum perinde ac data opera fodicando, pene confodit. Quin forsitan tot nummis adulterinis, tot quisquiliis vel fidem adhibuit, vel certe adhibuisse videri voluit, ut a Vaillantii sententia discederet. Itaque meras nugas puta & cassas glandes, quum legeris splendida illa Coloniarum ac Municipiorum nomina: *Bedunia* & *Nebrissa* in nummis Claudii, *Claritas Julia* in Neronis, COL. AUG. FIRMA BERBESULA, MUN. BARGIACIS, DEOBRIGA, LACCOBRIGA, PAX JULIA, SALMANTICA, TALABRIGA, in Galbae. BERDIGUM FLAVIUM, & MUNDA, in Titi. Nec hisce finibus se continuit Golzii impudentia: sed superioribus etiam principibus nummos tribuit, quos nemo unquam mortalium nactus est: ut ASTURICAE Augusto. BURDOVAE CORD. PATRICIAE, FIDENTIAE, LOBETI, SEGISAMAE, Tiberio. ARABRICAE. COL. HISPAL. JULIOBRICAE, Cajo. Idem judicium esto de FLAVIA BRIGA Augusti, & AMANOBRIGA Vespasiani, quae extant in Collectaneis Pyrrhi Ligorii, Harduino teste. Quas ego merces Deos omnes iratos habeam, si emam vitiosa nuce. Quid credidere impostores illi, posteros fore fungos aut stipites? Videor mihi tamen ejus rei caussam assequutus esse. Viderant nimirum apud Plinium Coloniarum & Municipiorum Hispaniae laetam segetem. Viderant praeterea complura ex illis jus habuisse cudendae monetae. Hinc amor atque illecebra tot figmenta procudendi. Bellum enthymema scilicet. Licuit multis; ergo omnibus. Augustus certis Coloniis ac Municipiis, vel ob eorum erga se merita, vel ob nobilitatem splendoremque, facultatem concessit cudendae monetae cum principis effigie: quae nota erat honoris eximii. Hinc in variis Coloniarum nummis ambitiosa illa privilegii ostentatio: PERMISSU CAESARIS AUG. COL. EMERITA. PERM. CAES. AUG. COL.

PATRI-

PATRICIA. PERM. CAES. AUG. JULIA TRADUCTA. PER. AUG. MUN. ITALICA. PER. DIVI AUG. COL. ROM. Reliquis Coloniis quarum integrae fidei nummi reperiuntur, quamvis eodem honore ornatae fuissent, jus tamen illud, indulgentia Principis concessum, in nummis ostentare visum fortasse est, vel minus necessarium, vel nimis ambitiosum, vel omnino putidum. Itaque ejus facultatis usu contentae, titulum omiserunt.

Quaerit deinde Zeno, quare Claudio imperante ademptum sit Coloniis ac Municipiis Hispaniae jus cudendae monetae, quod superiorum Augustorum ac Caesarum tempore obtinuerant? Respondeo, id esse magis obscurum quam cimmeriae tenebrae. Non a Claudio. sed a Cajo Caligula, ea privilegia abrogata sunt. Si enim Claudius eam facultatem ademisset; aliqua extarent numismata in ejus honorem percussa sine νοθείας suspicione: quibus Coloniae ut novi Principis gratiam captarent, quasi gratulabundae, initio statim imperii, severum illud decretum praecurrissent. Cum praesertim ea essent solertia in Augustorum benevolentia demerenda. Non enim fieri potuit, ut ejus interdicti tanta fuisset festinatio, ut animos in adulationem praecipites occupasset. Cum nullus igitur extet Claudii nummus exploratae fidei; in eam sententiam vergo, ut Caligulam ejus interdicti auctorem fuisse existimem. Cujus etsi nonnulli reperiantur, minore oppido copia quam in Augusto Tiberioque etiam subducta exigui ejus imperii ratione. Unde ariolari licet, eam privilegii abrogationem adulto jam Caligulae principatu contigisse. Qua caussa quave Hispanorum culpa mihi prorsus ignotum.

Interrogat praeterea Zeno, num praeter Municipia & Colonias a Vaillantio editas, reperiantur in nummis aliarum nomina, in quibus extarent officinae monetariae? & quaenam illae fuerint? Cui respondeo, nunquam me incidisse in nummum aliquem imperialem, in quo novum aliquod Coloniae seu Municipii nomen esset insculptum; quamvis immanem eorum copiam per varias Hispaniae regiones tractaverim. Uno excepto maximi moduli, metallique ditissimo, quo Hispali donatus sum ab amico integerrimo, τῷ μακαρίτῃ, Francisco Orbio, Matheseos professore. In eo erat Augusti caput, satis affabre sculptum, quique αὐθεντίαν prae se ferebat. ante faciem AUGUSTUS. In aversa area templum magnificentissimum, cum epigraphe: URSONE. Sed id quidem

Rara avis in terris, nigroque simillima cycno.

Itaque in ea sum sententia, post Caligulae caedem nullos extare nummos Hispanicos intemeratae fidei. Quod recte Vaillantius animadvertit, ille in re nummaria Coryphaeus ac longe Princeps. Cum enim ut mirabilem illum Coloniarum ac Municipiorum librum pangeret, omnia Europae

Musea oculis lustrasset; nullum post Cajum reperit nummum, qui falsitatis nota non laboraret. Itaque in eo Principe Coloniarum Hispaniae seriem claudit. Henricus Norisius, postea Cardinalis, cum indulgentia magni Etruriae Dynastae tria nummorum millia recens Hispania Florentiam advecta diligenter perlustrasset; nullum reperit post Cajum occisum. Mihi porro cui studium rei nummariae semper fuit eximium, quinque tantum numismata invenisse contigit post Caligulam percussa. Duo nimirum Claudii. Alterum cum epigraphe: COL..... GAD. Alterum: COL. TOLETUM. Utrumque spurium. Neronis unum, in cujus parte adversa, ejus effigies. In aversa autem, ejus statua, in cujus basi MUN. ILLITURG. In orbem: CHRISTIANORUM SUPERSTITIONE DELETA. Aliud Hadriani, in postica parte OSSIGI. Ac denique Antonini Pii, cum inscriptione: DIVO ANTONINO PIO. In averso nummo MUNIC. SUCCUB. Municipium nempe Succubitanum, unde Annius Verus M. Aurelii Philosophi proavus paternus. quae eodem κυβδηλείας vitio laborant.

Pergit Zeno, rogatque, num sub Augustis reperiantur aurea numismata in Hispania percussa? Nam ex argento reperiri, fando se audivisse, etsi raro admodum. Ab se autem nunquam visa. Respondeo, nullos reperiri nummos aureos Augustorum tempore in Hispania percussos. Qui aliter tradidere, meras nugas garriunt. Ex aere omnes. Praeter Tiberianos, qui fere ex metallo Corinthio. Caussa in promptu. Ut ne scilicet Coloniae Hispanienses honore ac praerogativa Senatui Romano anteirent. Cui facultas tantum concessa aeris cudendi. Unde S. C. nota metallorum soli vilissimo impressa. Jus autem aureae, atque argenteae monetae flandae feriundae ad Principis majestatem pertinebat. Quod si aliquando in nummis aureis argenteisve ea nota reperitur; non hercle S. C. legitur, sed EX. S. C. Quod minime ad cudendae monetae facultatem pertinet, sed ad Senatusconsultum, quo decretum fuerat in Principis obsequium, quod in averso nummo continetur. Postmodum vero triumviri monetales, vel quibus id muneris injunctum, ea quae Senatusconsulto continebantur, in nummis sculpebant, connivente Principe. Addam pro corollario, mirum semper mihi visum, inter tot aereorum argenteorumque nummorum Hispaniensium acervos, vel ignoto charactere, vel Latino, sine Principis effigie percusos; nullum adhuc comparuisse ex auro conflatum. Cujus rei caussam non assequor, si enim argenteos conflare licebat; cur non itidem aureos? Nisi forte dicamus, cusos illos esse vigente adhuc Reipublicae libertate. Sed esto. Quid igitur obstabat, quo minus aureos quoque cuderent?

Nummus Augusti, qui in Museo Caesareo asservatur, extat apud Erizzum. Sed adeo detritus, ut literis abeuntibus, tantum legeretur SOC. . . Penes me fuit olim nummus maximi moduli ejusdem Augusti; cujus in adversa area ejus effigies cum epigraphe singulari: IMP. CAES.

OCTA.

OCTAVIANUS AUG. In aversa autem Sphinx, & MUNIC. CASTULON. Sed absque literis subjectis: SOCE. Erat autem ille adeo rudis ac barbarus, ut Gothicum potius redderet saeculum, quam Augusteum. Quocirca, nae ille mihi videtur abuti opera ac tempore, quisquis in eas literas extricandas serio incumbit. Cum nummus sit aperte adulterinus. Ut ipse Zeno fateretur, si ejus contrectandi daretur copia. Neque enim dubito quin sit ejusdem furfuris.

Habes ad Apostoli Zenonis interrogationes. Nescio an satis apte. Si utrique vestrum nugae nostrae arriserint, bene est. Sin autem (levis est jactura) epistolam discerpite. Interea tamen vehementer gaudeo tibi cum isto viro tam arctam intercedere necessitudinem. Sed de his satis. Eustathii versionem accepi non inconcinnam, nisi quod Graeci characteres parum habent nitoris atque elegantiae. Annotatiunculae subjectae levissimae sunt, atque insubidae. Nullus in iis peregrinae eruditionis succus; sunt enim strigosiores, quam saeculi nitor postulabat. Patriae nostrae incolumitatem tibi de meliore nota commendamus. Ut in eam cogitationem diu noctuque incumbas, oro te atque obsecro. Uxori tuae lectissimae plurimam a me salutem. Salveant quoque filiae, venustissimae puellae, matri pudicitia, ingenio. forma, quam simillimae. Ut valetudini tuae consulas, oro te iterum atque iterum. Vale. Alona, III. Eid. Octobreis, An. MDCCXXVII.

XII. J. BASILIUS CASTELVINIUS EMMANUELI MARTINO *suo* *S. P. D.*

Alonam.

XAῖρε mi Martine, crediderasne, longe a campis ultimis, post tot temporum intervalla, me hospitem insperatum venisse? Ecce, adsum, & plena manu. En Villegatem nostrum: potiori jure dicam tuum; nam ipsum, qui pulla, sordidaque veste, sepositus, abjectusque inter tineas, blattasve, inglorius latebat, e profundo eduxisti; & divina quadam ἀναστάσει a tam altae oblivionis injuria mirum in modum revocasti. Non sic ursa catulos lambendo format, ut tu rudem, incomptum foetum expolivisti. Tuum ergo Villegatem agnosco: tibi reddo, postquam toties ad me clarigatum misisti. Me quidem alicujus morae reum candide profiteor; sed si perturbatum rerum ordinem aequo animo attenderis, spero fore, ut ne totam hanc mihi maculam velis inustam: potissimum cum promissi tardius exsoluti

usuras praestem. Editionis nitidissimae decem exemplaria pro foenore habeto: ad quam adornandam nulli peperci sumptui, nullumque laborem recusavi: nec rem, ni fallor, cessisse credam infeliciter tentatam. Praestantiores quidem ista non esse Gallicas illas, Britannicas, Batavasque editiones, asserere haud haesitabo. In dubio est? Domi presto sunt: rem cum re compara: ut est purpura juxta purpuram dijudicanda. Praeterea emendationibus, correctionibusque tuis ad amussim obtemperavimus: alte animo eas infiximus. diligenter pertractavimus: eis addere quicquam, vel detrahere ab ipsis, religioni duximus: ita ut nusquam ab eisdem discesserimus, aut transversum digitum, vel unguem latum. Ipsissimis his legibus se obstrinxit Bernardus Lama, & ea, qua praeditus est modestia, doctrinaque, exemplar novissime recognovit: arva circumivit, ut si forte facta messe aliquid spicilegii sibi superesset. Haec sunt, quae te scire volui, ut cum Typographus Venetus Libros tibi tradi curarit, de nostra editione consulte possis judicare. Caeterum en, mi Emmanuel, vota praeteritorum annorum nuncupata jam laeti persolvimus. En tempora fortunatissima, quibus Poëta noster sua commendat carmina, cum sub Pastoris persona, divino quodam afflatu de se ipso canebat in Ecloga illa, quam inscripsit *Vivem*:

Tunc ego nostra satis (nam sunt) male culta videri
Carmina posse reor; spero tamen affore silvis
Pastores, qui inculta tamen laudanda putabunt:
Atque hodie multi qui sunt sine honore, videbunt
Tunc inscripta rosis magna cum laude per agros,
Perque altas incisa legent sua nomina silvas.

Vale, & fruere, & nos amare non desinas. Vindobonae, in Noricis, Kal. Jan. An. MDCCXXXV.

XIII. EMMANUEL MARTINUS VINCENTIO TURRESIO *suo* *S. D.*

Valentiam.

EGo vero te, Turresi jucundissime, singulari semper studio ac benevolentia prosequutus sum. adde, si vis, observantia. Quod equidem cum ob multa facere mihi videor, tum etiam ob affines literas, & par in omni politiori doctrina studium, quo in hoc quasi literarium conjugium quam

quam arctissime veluti concrevimus. In quo quidem miratus saepe sum, non modo perspicacissimum acerrimumque illud judicii tui acumen; verum etiam sagacitatem in deprehendendis apiscendisque fugacibus verarum lectionum vestigiis. Quod nisi eruditissimis consultissimisque, datum est nemini. Quae cum ita sint mirari profecto subit, te ingenii nostri (si quod est) inopiam ac tenuitatem tanti fecisse, ut ejus opera te aliquid compendii laturum judicaveris. quod perinde se habet, ac si subula leonem exceperis. Amor certe in me tuus tibi oculos perstrinxit, ac fucum fecit. Quandoquidem autem id mihi oneris imposuisti, sustinebo qua potero. Heus tu, si me nutantem adspexeris, admove latus. Multum aestuare te scribis in illis verbis Livianae Historiae de Numa: *Ne sacra regiae vicis desererentur*, *Flaminem*, *Jovi assiduum Sacerdotem*, *creavit*. Ubi legendum censes, *regiae vitiis*. Quam equidem lectionem non tam veram censeo, quam disertam. Ait enim Livius, ipsummet Numam plurima sacra obiisse. Quoniam vero in civitate bellicosa plures Romuli quam sui similes Reges putabat fore, iturosque ipsos ad bella; ne sacra illa quae ad Regis officium pertinebant (id enim significant illa *sacra regiae vicis*) desererentur, Flaminem, Jovi assiduum Sacerdotem, creavit. quem iccirco vocat *assiduum*, quod Flamini Diali noctem unam manere extra Urbem nefas esset. Cave tamen putes, Reges, post flamines creatos, re divina penitus abstinuisse. Nam & ipsi quoque sacra quaedam publica obibant. Quae caussa fuit ut post Reges exactos umbraticum illum Regem sacrificulum crearent, ne ubi religioni ac Deorum immortalium cultui detractum aliquid viderent, Regum denuo accersendorum obreperet libido. Quod disertissime traditur ab eodem Livio Lib. II. cap. II. Quorsum enim pertineret Regis sacrorum institutio (in Populo praesertim recens in libertatem vindicato, ac a Regio nomine penitus abhorrente) nisi eos religio impulisset, ne ea sacra, quae Reges promiscue obire consuessent, una cum regio nomine abolerentur? In quo illis exemplo praeiere Athenienses. Nec te latet, olim Reges Pontificum Regumque munia promiscue obiisse, ut docent Plutarchus & Plato in Polit. De Priamo & Anio credo te legisse, nec non de gente Julia, in qua Pontificatus maximus multis saeculis perduravit. Habes ad epistolam. Ecquid superest? etiam. Nos hodie bene mane ad mare fuimus, sane quam commode. Iter enim confecimus via nec aestuosa nec pulverulenta. Nacti sumus mare cinaedo mollius. litus ipsum sine murmure, sine tumultu. quidni dicam ἀφλοισβον? Dum mare prospecto, ingens Romanae Urbis desiderium pervasit animum. Steti quasi navigabundus. immo, cogitatione velificante, ad Tyberim appuli. Cupiebam etiam nunc plura garrire: sed nox ingruit, & stare volo illud: HODIE AD MARE. Tu, mi Turresi, crebro ad me scribe, vel quod in buccam venerit. Fac plena manu. Nihil enim mihi optatius cadere potest. Fac valeas. Ex Aedibus nostris, VII. Idus Septembreis, MDCCII.

XIV.

XIV. EMMANUEL MARTINUS VINCENTIO TURRESIO *suo* *S. & amorem.*

Valentiam.

LArgus ubique mendaciorum proventus: non apud Graecos modo late ſerpit haec lues. Nullaque eſt tam diligenter ſarrita ſeges, in quam non obrepat hoc lolium. ſua cuique fallendi libido. Ecce tibi, noſtrates, quos adeo cenſes veritatis ſtudioſos, frontem etiam perfricuerunt. Quid enim a veritate magis abhorrens, quam immane hoc commentum? Atqui eo plauſu eſt, ut alii in alias orbis regiones avidiſſime tranſtulerint. Quippe idem narratur de lacu quodam in tractu Foxenſi, quem vulgo *Tabor* dicunt. De alio item in agro Tridentino. Quin & Helvetii id ipſum referunt de lacu quodam apud ipſos, cui nomen Lucernae, ut Auctor eſt Joachimus Vadianus Notis ad Melam. Qui addit mendacio fimbriam: tumultuari tantum & intumeſcere, ſi dedita opera, ac veluti per ludibrium diverberetur, atque appetatur. Sin autem caſu aliquid illabatur ac defluat, de tranquillitatis gradu minime dejici. Quaſi non ille plagam, ſed illatae ſibi injuriae contumeliam perſentiſcat. eoque vindicabundus ſtomachetur ac ſaeviat. Hominis os! Quis, niſi perſonatus, haec audeat effutire? Sed multorum experimento exſibilavit Kircherus *in Mundo Subterr.* Idem memoriae proditum eſt de Scaſagiolo lacu in Apennino, uti tradit Boccatius. Nec non de Canato monte in ulteriore noſtra Hiſpania, ut eſt apud eundem Boccatium, & Lucium Marinaeum *de Reb. Hiſp.* adeo, ut tam enorme portentum exemplorum crebritate obſoleverit, & copia ipſa miraculo dignitatem detraxerit. Tibine in re tam futili & inepta philoſophari placet? Adeone tibi ſordet tempus? ſcio te jocari. Poſtquam autem inſaniendum eſt, non quid ego dicam (cor enim mihi ſalit) ſed quid alii forte dixerint, proferam. Nempe fieri poſſe, ut metalla ſulphuris, chalcanthi, & aluminis ſint in lacus fundo. Quod quandiu limo obductum eſt, ac ſpiritus illi cohibentur, ſuperior aquae facies tranquilla jacet, nulla vi inferne agitante. Ubi vero praegrandioris alicujus lapidis jactu fundum concutitur, ac limoſa illa cruſta diffinditur, meatus illi quos coenum obſtruxerat, laxantur atque aperiuntur, & ſpiritus illi ſubjectorum metallorum calore concepti, erumpere geſtientes; ſimul exitum nacti ſunt, impreſſionem faciunt. Unde aquarum ille tumultus, ac veluti conflictus, inſtigante ſpiritu. Habes ad aquarum commotionem & turbamentum. Ad tempeſta-

pestates vero, quid? Sine paullisper, dum sudorem abstergo. Fieri potest, ut exhalati illi spiritus, ad ignem concipiendum idonei (utpote sulphurei) cum in apertum aëra evaserint, calore solis excandefacti, in fulmina abeant, & fulgura. Quoniam vero necesse est, ut iidem spiritus, dum altissimam illam aquarum molem penetrant, humoris plurimum contrahant; haud incongruens sane videtur, ut vapor ille in altum elatus, concursuque spirituum concretus ac glomeratus, tandem congelascat, & in grandinem coëat. Atque ita, quod est fulminibus aptum & ὁμοιομερὲς (ut spiritus sulphurei) migrabit in fulmina; quod vero imbribus (ut vapores illi humecti) in imbres. Non una insaniendi facies. Forte aliquis dixerit, spiritus illos e fundo erumpentes, dum per obstantes aquas exitum sibi parant, ac veluti terebrant acri illa & contumaci colluctatione illisioneque, mirum in modum excandefieri atque exardescere. (haud secus ac terebra assidue perforando adeo excandescit, ut lignum accendat) unde nullo negotio in fulmina transeant & fulgura. I nunc, & Graeciae garrulitatis audaciaeve crimen impinge: quando tam expeditum nactus es Philosophum. Cedo assem. Pro fabula, ineptias. Tu tamen dummodo aliquid scribas, vel fabulas scribito. Vale, & me arde. Ex Ædibus nostris, VII. Kal. Octobreis, MDCCII.

XV. EMMANUEL MARTINUS VINCENTIO TURRESIO *suo* S. D.

Valentiam.

ILle sane ego sum, qui venae incisionem plus oderim, quam fullo ululam. Ea tamen est vitae nostrae conditio, ut, inter caeteras aerumnas, quibus miserrime affligatur colliditurque, parendum quoque sit medicorum imperiis, plus quam Syllanis. En medicus noster Lopezius, φλεβοτομανίας insectator acerrimus, venae mihi sectionem (quod bene vertat) in crastinum indixit. Caussa, interna quaedam jecoris agitatio, ac mordicatio pertinax, qua nonnullis abhinc diebus molestissime afficior. quae quidem ex redundantis atque effervescentis χολῆς acrimonia evenire creditur. Hac re, sanguinem mihi extrahendum censet ex vena hepatitide, vel, ut Palinurus Plautinus, hepataria. Quocirca plenis faucibus te obtestor, ut ad me cras. Id enim pergratum mihi erit, perque jucundum. Si id abs te, omnes abstergebo molestias. Heri Joannes Turritanus Gravius noster domum venit nos visendi. Sed me non invenit. Eram enim apud

Josephum Castelvinium, etiam φλεβετομηθέντα. Valetudini tuae servi, si me valere vis. III. Kal. Octobreis. Ex Ædibus nostris.

XVI. MARTINUS TURRESIO *suo* S. D.

Valentiam.

EX quo redditae mihi sunt literae tuae, nihil habui antiquius, quam de reditu ad Urbem serio cogitare. Proinde, totus in eo sum, ut molestas hasce tricas, quibus vel invitus detineor, ac retrahor, procul amoveam, & excutiam. Cupio enim, mi Pyrgee

Οἴκαδ' ἔτ' ἐλθέμεναι, καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι.

Ut te amplectar ac dissuavier, charissimum mihi caput. Itaque ad XIII. Kalendas Aprileis Ilercaonibus vale dicto, postera die ero ad Urbem. Heus tu, fac ut mihi praesto sis, vel in ipso domus limine. Inauspicato enim me domum revertisse credam, nisi te praestolantem offendero; ac prius quam familiares ipsi, tui me complexus excipiant. Castelvinium nostrum a divino suo Alcide ad ludicra divertisse, vehementer doleo. Nam & operis argumentum perquam erat venustum, & juvenis ingenium acre, atque ad ejusmodi dramata pangenda industrium & sagax. Quare, quicquid temporis rebus aliis impendit, id profecto famae suae detrahit, cum maxima nominis jactura.

Quod ais, Lupercalibus te domi continuisse; laudarem profecto, si tibi opus esset laudis irritamento ad honestatem sectandam atque amplectendam. Sed cum probe calleam, te morum ingeniique tui indole virtuti ac rebus honestis esse addictum; abstinebo laudibus: si prius tamen dixero, me nihil unquam tam esse miratum, quam nonnullorum hominum, stuporem ne dicam an vecordiam? qui quidem dummodo personati in publicum prodeant, omnia susque deque habent. Dî boni! quam dissimiles tum videre est mortalium mentes, atque ab origine sua degeneres! quam turbidas, ac veluti sede motas. Quidam veluti furiis acti, ac Tisiphonae flagellis instincti, insani ac bacchabundi feruntur. Quosdam vino saucios credas, & crapula distentos. Nonnullos tenet verba fundendi cupido. Quam inepta! quam futilia & quod gravius est, argutari tum praecipue sibi videntur, quum maxime delirant, ac fatuantur. Omnium incessus fractior ac petulantior; verba procacia, vox in alium sonum detorta. Sunt ne aliud Luperci,

perci, ac Larvati isti nebulones, praeter inania obversacula, & puerorum terriculamenta? Sed de his satis.

A Villa-novano nihildum de fidibus mihi rescriptum. Quem tamen a me jubeas velim. Item Isidorum Costam & Barserium, duo mihi charissima pignora. Salveat a me quoque Bovilius Scaliger. Vale, & nos propediem exspecta. Ex incunabulis nostris, V. Idus Martias, An. MDCCIII.

XVII. EMMANUEL MARTINUS PETRO VINCENTIO ZAPATAE *suo* S. D.

Ad Oppidum S. Matthaei.

SI vales, bene est; ego quidem valeo. Scripsit ad me Pater proximis diebus, sibi de fratre meo, quem tu instituendum suscepisti, parum grata nunciari. Ideoque me iterum atque iterum rogat, ut tibi illum quam arctissime commendem. Quod ego hercules eo acrius atque contentius facere constitui, quo ille aversissimo a studiis animo licentius atque impudentius debacchatur. Quid? ain' id esse inflare rete? Profecto ita censerem, nisi ad meliorem spem me erigerent tot perspectissimae industriae ac diligentiae tuae documenta. Novi equidem adolescentem superbum, ferocem, protervum, ingenii ad deterrima quaeque propensi, animique a studiis & literarum cultu sane quam abhorrentis. Idcirco summa ope niti debes, ut eum ad meliorem frugem reducas, dignumque efficere, qui tuis praeceptis imbutus videatur. Per fortunas igitur & genium tuum, per ea quae tibi jucundissima sunt in vita, per hanc te denique dexteram oro atque obsecro, ut ne illum totis habenis praecipitem deseras atque destituas. Immo potius ut omni tua cura, opera, diligentia, severitate compescas, atque coërceas. Si id abs te impetravero, scias velim maximam te initurum a me gratiam, insigni me affectum iri beneficio. Nimis languide: proprium me tui fore mancipio & nexu. Quod sancte juro. Cura ut valeas. Valentiae Hedetanorum, X. Kal. Septembreis, MDCCII.

XVIII. EMMANUEL MARTINUS THOMAE BARSERIO *suo* S. D.

Valentiam.

HAbes quod a me petisti. Unum id superest, ut commendatione tua dignum censeatur. quod in votis maxime gero. nihil enim mihi optatius cadere poterit. Id si obtinuero, supero Croesum divitiis. Igitur posthac, si me amas, utere, imo abutere ingenio nostro. Vincam meis Issi ciis cogitationes tuas. Date operam ut valeatis tu & uxor tua Caecilia oectissima foemina. Vale. Ex Musaeo nostro, ipsis Kalendis Aprilibus, An. MDCCIII.

XIX. EMMANUEL MARTINUS JOSEPHO BORRULLIO *Juris Consulto* S. D.

Salmanticam.

NÆ tu me solicitudine magna liberasti jocundissimis exspectatissimisque tuis literis, postridie Nonas Octobreis ad me datis, quibus me certiorem facis, te Salmanticam (quod felix faustumque fiet) incolumem pervenisse. Qui quidem adventus, tametsi jam a patre tuo nunciatus mihi erat; tamen etiam maximus voluptati nostrae cumulus accessit, quod abs te audimus, quod ab incolumi, quod ab hilari: quodque ego plurimi facio, quod verbis studio adversus me ac benevolentia plenis, luculentissimoque tui in me amoris ac observantiae testimonio. Equidem jam diu animi pendebam exspectatione tuarum literarum; quas amicitiae nostrae veluti gluten esse voluisti. Posteaquam igitur mutuo isto inter nos officio placuit nobis esse obstrictis; utar profecto ea libertate in te admonendo, quam & amor erga te meus, & tuorum in me collata beneficia, & arctissimae necessitudinis jura oppido quam postulare mihi videntur. Non, medius-fidius, quo te hortatione nostra indigere existimem ad hoc studium decurrendum, ad cujus pulverem subeundum tanta animi alacritate accinctus es; sed quod muneris esse nostri arbitror, ea monere, quae te ad virtutem

tutem ſtudiorumque laudem ſponte devexum, ac tuapte natura vergentem, vel inflammare poſſint, vel impellere Prora igitur (ut ajunt) & puppis noſtrae παρρησία eſt, ut te virum praeſtes, ut te larem, patriam, parentes, ea lege exiſtimes reliquiſſe, ut exiſtimationi, gloriae, dignitati tuae quam diligentiſſime ſervias. Dies noctesque in eam cogitationem incumbe, atque animo verſa, te in hac Urbe quam plurimos reliquiſſe tuarum laudum obtrectatores atque aemulos; quorum livoris aciem niſi virtutis tuae ſplendore hebetas atque perſtringis, turpiſſimam tibi ignominiam ac dedecus comparabis, illos vero maximo perfundes oblectamento. Sed haec ad exiſtimationis, famaeque tuendae curam pertinent: quae in ſtudiis ſectandis, literiſque apiſcendis, neſcio an tam nos movere debeat atque allicere, quam ipſiuſmet ſapientiae amor ac deſiderium. Quid enim majore cum niſu allaborandum nobis eſt, quam ut eo per ſtudia obrependo perveniamus, unde nulla fortunae vis, atque ſimultas, nulla humanae ſortis tempeſtas ac turbo deturbare nos poſſit atque dejicere? Scilicet, animi tantum bona mortales jure mancipii, jureque optimo poſſidemus; externarum rerum, uſus tantum apud nos eſt, proprietas & arbitrium penes fortunam. At, vel id ipſum, quod aliquam commodi noſtri ſpeciem prae ſe ferat, ſordere forſitan videatur. Quid enim eſt aliud a fortunae injuriis cavere, quam ſibi conſulere, ipſiuſque fortunae emolumentis adhaereſcere? Illud mehercule eſt ab humani ambitus conditione penitus ſemotum, ac, ut ita dicam, θεόταλον; ſapientiam ipſam deperire: ob id tantummodo quod Deo nos efficiat quam ſimillimos, & a reliquis hominibus ſegreget atque diſpeſcat. Quantum enim ex literarum ſtudiis hauſerit, tanto homo homini praeſtabit, imperito ſapiens intererit. Ad id igitur, jocundiſſime Borrulli, totis viribus allabora atque enitere:

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

ut votis et exſpectationi noſtrae reſpondeas. Habes optimi fratris exemplum quod imitere, doctiſſimi patris veſtigia quae premas, amici monita quibus inſiſtas, Per fidem igitur & amicitiae noſtrae foedera, per genium amantiſſimi genitoris, per lacrymas optimae parentis, te obteſtor atque obſecro, ut omni niſu contendas, maximamque naves operam, ut eorundem ſpei ac deſiderio cumulatiſſime ſatisfacias. Quid ais, mi oculiſſime? Tune Terentium? ὑπείρευ. Macte igitur animo, Borrulli ſuaviſſime: in ea te confer penetralia, unde nihil, niſi divinum, promere licet. Quid de te ſperare non auſim, quando tam pulchre otium locaſti? Heus tu, ſi quid novi, confeſtim ad me. Sin, ſcribe quicquid in buccam, dummodo quid. Ardeo enim ſtudio tui & amore. Tu nos redama, & vale. Valentiae Hedetanorum, IX. Kal. Novembreis, MDCCII.

XX. EMMANUEL MARTINUS JOSEPHO BORRULLIO *desiderio suo* S. D.

Salmanticam.

AMabo te, mi Borrulli: Tene hanc viam, cui semel institisti. O me beatum, nisi hanc tuam diligentiam dies enervat ac frangit! Sed una me spes alit ac sustinet: indoles tua & ingenium. Novi humanitatem tuam comitatemque, & (quod caput est) spectatissimum in me studium ac benivolentiam. Tametsi maxima iis literis a te affectus sum injuria. Scribis enim, valde te vereri ne per medium te traducam. Ain' serio, an ludis? Ego ne te per ora hominum? quem in oculis fero? Cujus mihi oratio vultusque ante oculos dies noctesque versantur? cujus desiderium impotentissime fero! Abjice hanc curam. Neque enim adeo ab humanitate abhorret animus, ut amici σφάλματα in propatulo exponam. Nec sum nesciens, ea potius fuisse incuriae lapsus aberrationesque, quam inscitiae peccata. Quae quidem, ita sim salvus, pater a me tuus invitissime extorsit. Quin illum pluribus verbis obtestatus sum, ut ne tibi hanc infligeret aegritudinem. Fieri enim posse, ut tam acerba animadversione desponderes animum. Sed amor tui vicit obsecrationem nostram. Quodnam igitur ego peccatum admisi? Obtemperavi patris tui precibus, fratris obtestationibus de gradu deturbatus sum, ac dejectus. Me illis dedi. Dabo operam in posterum, ne aliquam tui offensionem incurram: quandoquidem te ego ipsa Lubentia lubentiorem esse cupio. Tu interim, mi Borrulli, Punicum illum libertum e sinu nunquam & complexu tuo dimittas. Dum haec scribebam nunciatum est Americanam classem in Coronii portu partim conflagrasse, partim obterebratam & demersam. Quod a nostris desperatione rerum factum scribunt, prementibus Anglis Batavisque, ne Indica Gaza in hostium potestatem veniret. O fati ludibria! & spes hominum inanes & fluxas! Quam apte Menander:

Ὡς εὐκόλως πίπτουσιν αἱ λαμπραὶ τύχαι!

Quam immane auri pondus absorbuit voracissimus ille ἐννοσίγαιος. Quis a lacrymis temperet in hac publicae calamitatis plaga? Vale. VII. Idus Novembreis, MDCCII. Valentiae Hedetanorum.

XXI.

XXI. EMMANUEL MARTINUS JOSEPHO BORRULLIO

Codicis Justinianei Primario Professori

S. D.

Salmanticam.

LIterae tuae Hispalim ad me datae redditae mihi sunt Mantuae in Carpetanis, quo perveneram VI. Idus Quinctileis: diligentia quidem amici cujusdam Hispali ad me transmissae. Quod equidem summi beneficii loco reposui. Tum quod mihi non erat exploratum, quo loco & res & studia tua essent, cum per quinquennium abs te nullas accepissem, tum quod de voluntate tua concussa quaedam mihi subortae fuerant suspiciunculae. Quando igitur & vales, & honoribus mactus es, & in voluntate manes; quid amplius a Diis immortalibus, vel mihi jucundius, vel tibi fortunatius petere possim, haud video. Praesertim cum honos iste delatus tibi sit omnibus amplissimi ordinis sententiis. Quod non nisi summis viris accidere solet, quorumque virtus praestantia sua invidiam enervat, ac malivolentiae aculeum obtundit. Quod hodie sane tibi contigit, qui pertinaci in studiis labore ac constantia in eum evectus es dignitatis gradum, ut ad gloriam summae laudis perveneris. Quod unum ac jocundissimum esse debet strenue navatae in literis operae, haustorumque laborum praemium, testante Aristotele: τῆς παιδείας τὰς μὲν ῥίζας εἶναι πικράς, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς. Si igitur hodie mihi res esset cum homine aliquo leviter noto, utendum profecto mihi erat magno orationis ambitu, verborumque pompa, viresque exerendae in adornanda gratulatione. Quoniam autem te alloquor, qui & animum mentemque nostram plane habes perspecta; id unum adjiciam, quod in solennibus solebat precationibus: *Quod vertat bene.*

Nunc ad secessus nostri rationes περιηγητικὰς; in quibus (ni me fallit) utramque complevimus paginam. Hospitio excepti fuimus, non liberali tantum; sed pereleganti admodum perque opulento. In Ædibus nempe Ducis Alcalaei, quas Hispali habet magnificentissimas splendidissimasque, varioque veterum monumentorum genere conspiciendas. Nimirum statuis, anaglyphis, sigillis aeneis, vasis sacrificalibus, tabellis, columnis marmoreis, jaspideis, porphyreticis, cimeliorum loco repositis. Urnis itidem, inscriptionibus, nummis. & (quod omnium caput est) instructissima Bibliotheca. Sed (pro Deum hominumque fidem!) omnia isthaec, sacratiore custodia digna; adeo ignorantia, contemptu, ac ludibrio gentis nostrae, vel

vel potius ſtoliditate, abjecta jacent, & ingloria; ut eruditis potius lacrymas exprimant, quam eorum oculos oblectent. Nec finem adhuc hujus dementiae. Ego autem cum neque me excruciando, neque quiritando, quicquam proficerem; ad mitiora conſilia me contuli, librorum ſcilicet delinimentum: avulſo ex animo moerore, quo altius conficiebar. Quod ego adverſus animi aegritudines ſubſidium jam vel inde ab adoleſcentia mihi comparaveram. Tanquam alterum nepenthes. Igitur in tam opportuno otio, in tam ſecunda librorum meſſe; nuſquam falcem continui, ſed omnia proſtravi ac demeſſui. Dies noctesque in ſtudia literarum incubui. Adeo ut ſtupori eſſem Hiſpalenſibus, qui vel coeli inclementia, vel ſolis torrentis afflatu, vel maligni alicujus ſideris inflictu, in pertinaci ſtudio durare non poſſunt. Sed vires mentiſque alacritas immodico labore fatiſcunt, ac veluti marceſcunt. Inviſum oppido Minervae ſolum, ſi oleas excipias. Inter haec antiquis numiſmatibus exquirendis multum operae impendi. Nec fruſtra. Collegi enim ingentes nummorum acervos, majore Baeticae parte everſa exterſaque. Immo in antiquae Italicae veſtigio erutis ruderibus. Aliquot praeterea gemmas antiquae ſculpturae. Nec his finibus ſe continuit diligentia noſtra; ſed omnibus angulis luſtratis, omnibus pluteis excuſſis, vetuſtos aliquot nactus ſum codices. Nam Ariſtophanis Comoedias vili pecunia comparavi. Manu hercle bene vetuſta. Adjectis etiam Scholiis nondum in lucem editis. Codicem praeterea, qui inſtar eſſe poteſt penus oratoriae. Continet enim illuſtriores Demoſthenis orationes, uti & Ariſtidis, Philoſtrati Vitas Sophiſtarum. Excerpta ex Philoſtrati de Vita Tyanei. Ex Himerii Sophiſtae Declamationibus. Item ex Libanio, Hyperide, & Plutarchi Parallelis, Platonis item Gorgiam, ſive de Rhetorica, & alia. Videtur autem hic codex fuiſſe olim Nicephori Grogorae, ut oſtendit ejus chirographum in interiore tabella hinc inde ſcriptum. Quo etiam nomine permagni a me aeſtimatur. Aretaei itidem Cappadocis Libros περὶ ὀξέων νούσων Illius nimirum, Hippocratici Ioniſmi feliciſſimi aemulatoris. Rufi Epheſii ὀνομασίας τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων. Non quidem ineptas & jejunas, ut fere ſunt Grammaticorum; ſed laborioſas me-dius-fidius καὶ ἀκριβεῖς. Fuit enim profeſſione Medicus Trajani tempore. Nec praetermittendus eſt Manuelis Atramytteni Liber Θεοσοφίας, in quo vaticinationes Sibyllinae ad Chriſti adventum ejuſque ſalutiferam legem pertinentes, cum divinis oraculis componuntur παραλλήλως. Feſti denique Pompeji *de Verborum Significatione*. Ergo dives veteris metalli chartarumque, Mantuam repedare viſum eſt. Quo in itinere variis incommodis aerumniſque vexatus, ut eſt hoc anni tempus, tandem ſalvus perveni. Fractis tamen adeo viribus dejectiſque, ex alvi profluvio, quo acrius laboraveram; ut peropus fuerit per aliquot dies & lecto & domi me continere. Supervenit fatalis quaedam ἀνορεξία, conſequente ἀγρυπνίᾳ, continenteſque ἀκράτου χολῆς ejectiones, tandemque febricula: quae tamen duobus tantum λήψεσι conten-

ta;

ta foras sese proripuit. At praesto fuit ὀδονταλγία, quae me per hos dies pessime habuit. Sed & hac molestia liberatus sum. Modum quaeris? ope forcipulae. Itaque nunc, superatis tot hostibus, cum bile tantum mihi res est, cujus καθημεριναὶ ϗ πρωιναὶ ἐμεσίαι large me infestant: Ut hanc Urbem attigi, omnes in me oculos conjecerunt, tanquam unum cui Musei regii cura committi jure deberet. Omnes mea extollunt ac mirantur, sed nemo manum porrigit. Iniquitatem temporum praetexunt, cum sit re vera fatalis quaedam & θηλυχώρειος inertia, ac literarum contemptus. Incredibile autem est, quam ego ista non curem. Dic mihi, Borrulli: Decet ne Martinum ambire, prensare, captare fumos, & quotidiana verba? Absit a me hoc ludibrium. Porro, quis novit in Hispania Martinum? Nescio quo nominis mei rumore vel strepitu percussi, tanquam pelves, sive tintinnabula tinniunt, sine veri cognitione. Quamobrem latebras Alonenses serio cogito. & vere jam iturio. Quicquid autem egero, continuo scies. Ita enim de me mereris. N. nostro ter in sermonem veni. Vin' dicam quid sentio de homine isthoc? Heus tu, tibi habeto, nemini dixeris. Desidero in homine gravitatem & pondus. Mobilitate ac levitate quadam ingenii nusquam loco consistit, cumque multa agitet, nihil agit. Ad haec Dodonaeo aere loquacior est, & populari vento perflabilis. Saepe ad me visit, saepe una fuimus, quandoque etiam communi mensa usi sumus. Nec unquam tantillum temporis vacavit, ad audienda ex scriptis nostris, vel tria verba. Diem eximebat vel suis, vel Martialis poëmatiis recitandis. Me interim prae taedio pene exanimato, & rana Seriphia taciturniore. Nostris mercibus interea in arca putrescentibus. Ergo facessat a me hoc crepitaculum. De fratre tuo Vincentio meis deliciis, aveo scire quid agit, quem locum obtineat in Minervae acie, ut sese gerat. Quem a me salvere jubebis. Uti etiam Chafrionem, si usquam terrarum est.

Franciscus Bonicius eques Hierosolymitanus, amicus noster, domesticorum negociorum caussa isthac transiturus est. Significavit mihi desiderio se teneri lustrandi istam Urbem atque Academiam. Petiitque literas ad aliquem, qui se peregrinum deduceret. Annui. Igitur, mi Borrulli, rogo te atque etiam oro, sic medius-fidius, ut majore studio facere non possim, ut ejus lateri adhaereas, & omnibus officiis prosequaris hominem mihi conjunctissimum, ita ut re ipsa experiatur meam commendationem non vulgarem fuisse. Sed importunum immo turpe jam est me pluribus agere tecum. Sic sum. Si placet, utere, & vale cum tuis. Mantuae novae in Carpetanis, XVI. Kal. Septembreis, An. MDCCXV.

XXII. JOSEPHUS BORRULLIUS EMMANUELI MARTINO

Alonensi Decano

S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

JUcundissimis exspectatissimisque tuis literis plenis officii, humanitatis, benevolentiae XVI. Kal. Sept. ad me datis vehementer gavisus sui, & eo mihi gratiores fuere, quo longiores uberioresque, & quod ego in propinquiore amicitiae parte puto, te secessus tui, indefessique laboris mihi rationem reddere haud dubitasse. Quisnam ego sum ut de te tale mereri potuerim? Nec mihi unquam in mentem venit. Est ne tua sedulo navatae operae commemoratio desidiae meae exprobratio, atque inertiae, ut his quasi calcaribus admotis alacrior, animosiorque reddar ad studium posthac strenue capessendum? Nullum profecto imperium potentius quam exemplum. Scite Xenophon τίς γὰρ ἂν ἐθέλησεν ἀπειθεῖν ὁρῶν τὸν βασιλέα πειθόμενον; ut ut sit immortales tibi grateis ago, quod me tuorum consiliorum, internarumque cogitationum participem efficere, simulque exemplarium, nummorumque, quos sedulitas tua comparavit, notitia locupletare non graveris: & haud inferiores Diis immortalibus agam, quod te animae dimidium meae tot laboribus, aerumnis, languoribusque, quos aestatis vis, itinerisque longitudo attulerant, liberarunt. Vere dives Mantuam repedasti. Nusquam Africanus ille, vel quicumque cum imperio in Baeticam sunt missi, tam referta, tamque opulenta praeda Romam sunt reversi; nec tantum in aerarium coegere, quantum in Remp. literariam intulisti. Igitur quando haec non sine divinae mentis numine, consilioque in manus tuas pervenere, quid aliud te monent, atque hortantur, nisi ut his tam firmis praesidiis, munimentisque Hispaniam nostram illustres, & ab innumeris fabellis, quae in hujus Historiam irrepsere, vindices, & velut alter Alcides tot monstra fundas fugesque. Aliter nummi quos tecum attulisti sine usu inutile pondus. Nosti illud Horatii: *Sordidus, ac dives.* Magna Diis immortalibus ingentium dotium, quas in te contulerunt, quasque studio, vigiliisque comparasti ratio erit tibi reddenda. Quapropter Alonenses latebras non probo. Nec aliena a te puto prensationem dum id unum assequaris: nimirum ne tua abjecta jaceant, & ingloria. Nunquam Ligur ille novum orbem gemmis auroque nobilem, nobis aperuisset, ni invicta animi pertinacia totum ferme

ferme septennium in aula Ferdinandi potentissimi Regis per se, suosque amicos instasset, ursissetque. Igitur ut tu Hispaniam nostram (de qua te aliquando cogitasse bene memini) languentem, dejectamque subleves, in gradumque reponas, ac veluti novam nobis aperias, aliqua tibi esse perferenda non erit indecorum, remque pergratam nobis efficies. Ut saltem ab his calamitatibus, quas nostra videt aetas, ludibrioque ad quod redacti sumus, oculos avertamus, rerumque olim gestarum cognitione reficiamur, ac recreemur: aut si res haec immensi operis, laborisque tibi videatur, aliqua ex anteacto labore in lucem ede, immo omnia. Vin' tuis accuratissimis scriptis auro gemmisque ditioribus tineae, blattaeque pascantur? Quapropter summa ope niti debes, totisque viribus contendere, ut Bibliothecae Regiae praeficiaris: via unica ad auspicium regiumque patrocinium demerendum.

Tuum de Ayala judicium adeo diligens, accuratumque ut nihil supra. In eadem semper fui opinione. Vincentius frater meus sedulam navat operam Jurisprudentiae. Praecedente anno aliqua ex Jure Civili deprompta Theoremata pro rostris strenue propugnavit. Per triennium extra ordinem Justiniani Institutiones voce explanavit, & si diutius in hac moraretur Academia, brevi in Candidatorum scriberetur albo. Sed quia facultates nostrae id aegre patiuntur, iis pene exhaustis mea diuturniori mora, proximo anno remeaturus est Valentiam, ut foro, ac negotiis serio vacet. Sat datum est contemplationibus Academicis. Bonicium adhuc exspectamus. Omni ope enitar, ut is facile intelligat nullam commendationem tua esse mihi potiorem. Chafrionius, & Vincentius plurimam salutem tibi impertiuntur. Multum te amamus. Vale saeculi decus. Salmanticae, IX. Kal. Septembr. An. MDCCXV.

XXIII. EMMANUEL MARTINUS JOSEPHO BORRULLIO,

in Academia Salmanticensi Codicis Justinianaei primario Professori

S. D.

Salmanticam.

FAcetas tuas literas! quibus me hortaris ut vestem candidam induam, huc illuc cursitem, ac ignavissimorum morionum ludibriis objiciam verecundiam meam. Est ne hoc, Borrulli mi, consulere dignitati, famae, existimationi nostrae?

Mordicus petere aurum e flamma expedit, e coeno cibum,

quam hoc me ſcelere obſtringere. Tamen etiam, gliſcit rumor Bibliothecae Regiae omnino me iri praefectum. Uno verbo: calet res. Solus ego inter utrumque. Neque tergiverſor, neque ambio.

De Theorematis a fratre tuo tam gnaviter propugnatis, enarratisque Juſtiniani Inſtitutionibus extra ordinem; immortaliter gaudeo. Eſt in adoleſcente ſuapte natura ingenium; ab ope tua ac diligentia, diſciplina. Una deerat exercitatio. Quae tria requirit in juvene Ariſtoteles. φύσιν, μάθησιν, ἄσκησιν: O duras ac praeruptas ſtudiorum ſalebras!

Ἀρετὰ πολύμοχθε γένει βροτείῳ!

Et te & illum amamus valde multum. Reſcribes, ſi quid voles. Chafrioni ſalutem imperti, & vale. Mantuae Carpetanorum, pridie Kal. Septembreis, An. MDCCXV.

XXIV. EMMANUEL MARTINUS

PETRO BORRULLIO *J.C.*

& VIII. viro litibus judicandis,

S. D.

Valentiam.

SAlve, mi Borrulli. Balda meus tuusque meliuſcule ſe habet. ſed meliuſcule tantum. Omnes enim ejus conatus, ut eſt hoc anni tempus, aeris inimica gravitas enervat atque proſternit. Scis quam infenſum paralyſi frigus. Etſi ea liberatus jam eſt opera Priſci medici Neapolitani. Sed emergunt identidem neſcio quae maligna ἀλγήματα, quae toto corpore ſerpunt: lue Gallica infeſtante. Modo ex crure laborat, modo ex brachio. In officio tamen eſt, & cogitatione rerum tuarum. A me vero tibi omnia paratiſſima eſſe, confidas velim. O mihi lucem, qua id videam! Ille noſter a conſiliis jacet in moerore. Filiam dedit nuptum. Impendent nuptiae. nummos ei opus eſt, nec invenit cui emungat. Suſtinere ſumtum qui poſſit, non equidem video. Quaeris de genero? Nae ille non ſemiſſis homo. Merus bucco & ſtipes. Ego clitellas, ſi ab eo aliquid extorſeris, quod hominem ſapiat. Multum ſermonis ſubit in hac Urbe, homo facetiſſimus: qui aliquando ſponſam interrogaſſe perhibetur: Num eſſet virgo? Cui illa perlepide perque falſe! Quum haec clauſtra ingreſſa ſum, equidem eram.

Altera

Altera natu minor, lente (nisi me fallit) tendit ad orcum: nam & gracilens admodum, &, ut ille ait, cadaverosa. Quod dolendum sane id aetatis. Bovilius Scaliger nudius quartus ad vos, Marchionis titulo auctus. Scire aveo, quid isthic nam de recenti illius honore? Num has phaleras aliqui detrectent. Nam Valentini calcitrones fere & sternaces. Ubi ad regium sacellum ero adscitus, faciam te scitiorem. Gerendus mihi mos est in hac re Lavarae Principi, quae nullum non movit, ut honoris hoc titulo dignitatem nostram augeret. Quamvis ego in alia omnia, sed tamen gerendus mihi mos. Extorsit mihi Eeclestae Princeps, Moecenas meus, supplicem libellum. Quare pendeo, non tam animi exspectatione, quam metu. Mignana in Eustathio exscribendo nimis lentus & deses. Si ei calcar addideris, virum te putabo. Teneor enim incredibili videndi desiderio. &, ut ait Syrus:

Etiam celeritas in desiderio mora est.

Quare, conveni hominem, & volentem nolentem operi admove. Id erit mihi vel maxime jucundum. Coraccianus operam & fidem nostram implorat, ut in Academiae vestrae sive stipendiis sive praemiis decernendis, ejus inopiae, studiis, exantlatis laboribus, eatis consultum. Scio fore, ut in ea re plurimum possis, inque tuam sententiam caeteri pedibus eant. Itaque, si quid in me ponderis, tibi illum majorem in modum commendo. Nosti Matheseωn utilitatem & fructum. quae sola apud veteres proprie μαθήματα. Quid iis magis necessarium in civili hac vita, & πρακτικῇ? Si pulcherrimas hasce Divas, jam dudum fugientes, revocare vultis; facite quod mellarii ubi apes migraturiunt: adhibete aeris tinnitum. Nam, ut recte Publius,

Spes praemii laboris est solatium.

In hanc rem si incumbitis, largam habebitis mellationem, & favorum affatim. Mihi cum Egeria & frequentia colloquia & nocturna. Valde me apud eam gratiosum censent. Modo garrimus, modo φιλοσοφοῦμεν, modo ad historias, modo ad Musas. Sic vita truditur. Felici Roderico salutem a me plurimam. Depereo illum, cum ob ejus humanitatem & come ingenium; tum ob animum humanioribus hisce literis excultum, quas Juris scientiae veluti comites adjunxit. Quod in nostratibus portenti instar habendum. Vale, cum lectissima tua, & liberis. Mantuae novae in Carpetanis. Ipso brumae die, ningente coelo. MDCCIV.

XXV. EMMANUEL MARTINUS PETRO JOSEPHO BORRULLIO *J.C.*

S. D.

Valentiam.

FAma est Epistolas quasdam a Berbikio interceptas a plerisque nostratibus ad hostes exaratas, quibus nunciabatur hujus Urbis tumultus atque trepidatio, in eaque animorum perturbatione omnium animos atque consilium funditus cecidisse. Eaque de causa uti adventum maturarent, nec moras texerent. Bone Deus! Fraudis, atque insidiarum, & perfidiae plena sunt omnia. Addunt praeterea quatuor optimatum epistolas in eo fasciculo deprehensas, in quibus cum hostibus consilia miscebant. Tametsi id quidem compertum non habeo. Quare nec habeo fidem, donec veritas sese prodat, memor Epicharmei illius effati: *Nervos atque artus esse sapientiae non temere credere.* Certe tabellarius in tormentis est. Quod ad eliciendam veritatem plurimum valet. Tu quoque vale, & me ama. Mantuae novae in Carpetanis, III. Nonas Maji, An. MDCCVI.

XXVI. EMMANUEL MARTINUS

Clarissimo Viro

JOANNI TURRITANO GRAVIO

haereticae pravitatis ἐξεταστῇ

S. D.

Valentiam.

SCribam ne ad te, Vir amplissime? vellem profecto. & quidem jam diu est cum calamus noster ad te scripturit. Impedior tamen verecundia & veteribus exemplis, quibus amoris nostri nullam habuisti rationem. Ideo mihi per silentium elapsum hoc tempus. An igitur te retaliem? debebam profecto. Sed amor noster acrior & sui impotens, nullo sufflamine cohibetur. O fidem, non dicam male locatam, sed male solertem, & simplicem! Quid, si ambitione mea conturbem officium tuum? Alter nodus. Qui tamen dissolvendus a me est: & quo res cumque cadat, tibi literae

literae impingendae. Igitur nunc, ne forte sis nescius, in Moecenatis nostri numisimatibus ordine digerendis omnes industriae ac diligentiae nervos intendimus. Quae numismata ad vicies millia numero pervenient. In iis quae ad Caesarum pertinent seriem, a Pompejo & Veneris postero usque ad Heraclium: (extremis Reipublicae vulneribus.) In alios ordines rejecimus quae ad Graeciam utramque, & celebre illud antiquitatis Theatrum, Siciliam. Grajos item Imperatores & tyrannos. Quae ad Romanorum pertinent familias seorsum centuriavimus, & elementorum serie digessimus. exemplo summi viri Fulvii Ursini. Hispaniae item nostrae Municipia & Colonias. Illustrium virorum foeminarumque icones propriae classi addictae. Materiem quaeris? Metallorum illa τετραχτύς, aurum, electrum, argentum, aes. Nec thesaurus iste sine gemmis. Non eas dico inertes, insanae avaritiae oblectamenta & humanae sortis ludibria, sed scitas illas & elegantes, quarum amor non nisi illos tangit, quos nostra Φιλολογία. Sunt praeterea lucernae, strigiles, sigilla, acerrae, claves, aliaque antiquitatis ad aevum hoc nostrum ejectamenta. Moveo tibi salivam? Quam vellem ego te adjutorem & socium! Sed quando haec optare potius licet quam assequi, feramus aequo animo hanc aerumnam, & malignae sortis plagam, quae nos animorum consensu, paribusque studiis conjunctos, avellit abducitque. Per fortunas igitur, mi Turritane, renitamur, & adnitamur: atque hanc oris vultusque jacturam alternis literarum alloquiis compensemus. Hoc si indulges, in coelo me collocabis. Principi nostro in oculis sumus. Utinam & tibi: quem vere amo & sine fuco. Valetudinem tuam cura diligenter, & a me salve. Mantuae novae in Carpetanis. Prima Saturnaliorum, MDCCIV.

XXVII. EMMANUEL MARTINUS JANO BAPTISTAE CORACCIANO *Matheseos Professori* S. D.

Valentiam.

Diu est cum ad te scripturio. Sed nescio qua cessationis dulcedine illectus captusque, ab hac cogitatione abducor ac retrahor. Cave, sis ut amori nostro crimen impingas. Officii tantum hic languor: non item adfectus. qui integer, & in dies vegetior, ac vere ἐκ φρενῶν μυχοῦ. Postquam vero ita superioribus mensibus me gessi, ut in laesae fidei suspicionem adduci forsitan queam; dabitur opera a me posthac, ut cogitationem, qua

qua te abſentem complexus ſum, literarum documentis prodam. Quandoquidem tuorum adverſus me meritorum memoriam nec dies obliterare poteſt, nec ullum locorum intervallum. Sed de his plus ſatis. Quid enim excuſet qui citra culpam eſt? cui nihil objicitur? Igitur ad rem literariam. Blanchinus ad me proximis diebus Problema ſuum de Cyclo Paſchali. Scio illud abs te olim enixe admodum, ſummoque opere expetitum. Si tibi eadem videndi libido; indica. mittam primo quoque tempore. eo libentius, quod ejus lectio tibi non ingrata fore mihi videtur, ob judicii doctrinaeque inter vos ſimilitudinem & conſenſum. In eo enim omnes diligentiae nervos contendit, ut adſtruat, inſiſtendum eſſe ſanctioni Gregorianae, eamque cum Nicaenae Synodi decretis apprime convenire, a Doctoribus Alexandrinis egregie intellectis. Imperitiae deinde notam abſtergit, Innocentio I. & Leoni τῷ μεγάλῳ ab aliquibus inuſtam. Quod ad mea ſtudia attinet, omnem operam, curam induſtriam, cogitationem, diligentiam, mentem denique omnem, in priſcis numiſmatibus fixi adhuc & locavi. Nunc feriamur, uſque ad Euſtathii noſtri adventum. Utinam ille quam primum: ne hibernae iſtae noctes, Minervae gratiſſimae, inertes abeant & vacivae. Marmanillio & Toſcae, geminae patriae noſtrae lampadi, ſalutem verbis meis nuncia: quorum capitibus, per caput hoc meum quod tango, juro ac teſtor nulla mihi eſſe chariora capita. Mignanae etiam, corculo ac deliciis noſtris, meis verbis ſuavium impinge. Iſidoro etiam Coſtae a me multam ſalutem; non quidem chartaceam illam Plautinam, ſed Dea ipſa Salute ſalubriorem. Valeat item a me Illuſtriſſimus Caſtelvinius. Quin tu etiam atque etiam vale. Nos hic recte. Utinam & tu iſthic ſine quo mihi vita gravis & acerba. Mantuae (ut ajunt) Carpetanorum, IV. Eidus Decembreis, MDCCIV.

XXVIII. EMMANUEL MARTINUS

JANO BAPTISTAE CORACCIANO

Matheſeos Profeſſori, deſiderio ſuo, χαίρειν.

Valentiam.

ECquaenam iſta ſocordia? Coraccianus ad me tribus verſiculis? Sed tamen utcumque illae ſint, o literas mihi tuas jucundiſſimas, exſpectatas, & vel in ipſa brevitate diſertas! Quid Croeſi divitiae prae iſtis? Id unum mihi moleſtum quod de Problemate. Quid ais? nonne tibi redditum a Villamario? Atqui conceptis mihi verbis juravit, nihil ſibi fore antiquius,

tiquius, quam ut mandata nostra diligentissime persequeretur. Conveni igitur hominem, si vir es, ejusque memoriam refrica. Enim vero quid isthuc sit rei, exputare non queo. Nili inundationem tam cupide exspecto, quam solebant Ægyptii. Nam ut illi suas inde opes annonaeque mensuram auspicabantur; haud aliter ego spero fore ut ejus adventu omnibus voluptatibus irriger atque perfundar. Insulas porro fluitantes donec miseris, animo fluitabo. Laudes, quibus Theatrum nostrum ornasse Mignanam scribis, suspectae aedepol mihi, fideique sublestae. Quidni ita censeam de homine umbra subeųis leviore? Homine inquam, qui mihi securo & incauto omnibus insultavit maledictis, ac veteris sanctissimaeque amicitiae compage disrupta, res meas mihi habere jussit. Caussam requiris? Ea vero inepta & praepostera. Agedum, sedeamus ad calculos. Illud in primis mihi objicit, quasi totius rei cardinem; me scilicet illum e Saguntinis latebris produxisse. At qua fini? Ut ei situm & illuviem abstergerem, literatorum oculis sisterem, famae luce aspergerem, dignitate vitaeque instituto augerem. Addam: ut sibi charissimo admoverem pignori. Sorori Vestali. Quonam igitur crimine erga illum me impiavi? Quid admisi, quo verenda amicitiae jura violaverim? Num amicos studio persequi, beneficiis obstringere, scelus est? Siquidem id scelus, nae ego omnium bipedum scelestissimus, qui tot in eum bene facta profudi. At inquit, postquam me Valentiam arcessisti, contubernio nostro posthabito, ad Carpetanos demigrasti. Quid inde nam? An fidem obstrinxeram, me ita radices acturum in ista Urbe, ut nullae unquam inde vel casus, vel fortunae vires avellerent? Si serio me amasset, fortunam illam mihi illucescentem cum secundo plausu & congratulationibus excepisset. Alia expostulatio. Quod in Eustathio nostro describendo ejus lentitudinem & socordiam reprehenderem, opus urgerem. Qui id non facerem, post septem menses per summum otium elapsos? Praesertim cum ultimus chartarum scapus illum penes esset, sine quo nobis studia intercepta, & ulterius progrediendi cupiditas, penitus delusa. & quidem hyeme media. Quod ego tempus Minervae semper eximium duxi, studiis capessendis oppido quam opportunum. Illud etiam criminatur: me illum reprehendisse, quasi ad literas nostras vel sero responderit, vel nunquam. Reprehendi, fateor. sed amanter, sed leniter, sed benigne. Non ne illa amantium importuna expostulatio est? Absentium animos oblivionem incessisse? Sunt enim plerique omnes φιλαίτιοι. Quid igitur mirum me in ea impegisse verba, qui hominem tam efflictim deperierim? Ob eam caussam *impostorem* me appellat & *fallacem*. Proh Deum atque hominum! Ibone ultum? Absit. Immo equidem de eo semper amicissime & loquar & sentiam. De reliquo, utrum illi utilius aut honestius videatur, id eligat: vel amicitiam, vel simultatem. Si quidem ille in officii viam redierit, res erit integra. Sin autem. Sed ad res tuas.

Ubi supplicem libellum miseris, omnes adhibebo nervulos ut voti fias

compos. Cum utroque Consiliario conterraneo nostro magna mihi intercedit necessitudo. Arctissima vero cum Marchione Villatorcano. Ego ad eum perendini debeo, de nocte. Officio meo fungar. Excellentissimum virum Janum Castelvinium velim a me salvere plurimum. Toscam item & Marmanillium, duo illa patriae nostrae lumina. Isidorum Costam in oculis fero. Vale mi anime, & me dilige. In Urbe Hispaniarum domina, III. Eidus Februarias, MDCCV.

XXIX. EMMANUEL MARTINUS JANO BAPTISTAE CORACCIANO,

Matheseos Professori, suo

S. D.

Valentiam.

AMplius biennium est quum siles, & nunc ad me, cum ista tua fronte perfricta ac ferrea? Quid putas? Eum me esse, quem pro libidine, & impune abjicias, & repetas? Volo nempe ego quoque etiam consulere gravitati meae, & censorio supercilio caperare frontem. Sed temperare me cogunt ab hac severitate ac τύφῳ amor in te meus, quo prae, cuncta mihi sordent. Ignoscam igitur ignaviae ac socordiae tuae, dum modo fidem interponas, te fore in posterum diligentiorem, tenacioremque (quod certe debes) mutui officii, quod jure veteris amicitiae abs te postulo. Cujus voti me fore compotem, ut credam, facit omen, quo faustum, felix, fortunatumque mihi auspicaris jam jam appetentem τοῦ ἁγίου Σωτῆρος diem natalem. Accipio illud quam libentissime. ac vicissim, ut impendentis anni curriculum victricibus quadrigis praetervoles, Deum immortalem obsecro atque obtestor. Interim id scias velim, neminem usquam esse hominem, qui te majori studio, observantia, benivolentia prosequatur, ac complectatur arctius; quam ego ille, quem tanto tu opere, sive negligis, sive fastidis. Mignanam nostrum ad Minervae gremium rediisse, ex ejus quoque literis intellexi. Nos scripturimus potius, quam scribimus. Contrahitur enim alacre caeteroqui desiderium vi spurcissimae hujus tempestatis, qua jactamur animi anxii, infido acerbissimorum casuum aestu pavidi semper ac trepidantes. Sed quidquid fors tulerit, haeremus clavo rationis ac prudentiae, a quo vis nulla nos excutiet. Vale mi anime, nostrique memor esto. Postridie Larentalia, Anno MDCCIIX. Mantuae novae in Carpetanis.

EM-

EMMANUELIS

MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

EPISTOLARUM

LIBER IV.

I. EMMANUEL MARTINUS RAPHAELI FABRETTO C. F.

Canonico Vaticano.

S. D.

Romam.

EA est hujus regionis incuria rei literariae, & iners silentium, ut nunc denique temporis (proh Deum atque hominum!) Inscriptionum tuarum ad nos fama pervaserit. Quod equidem opus ita me hercule sum amplexus, ut qui impotentissimo tui conveniendi desiderio flagrarem; cui jam pridem in literis principatum detuli. Nunc vero, quibus te laudibus efferam nescio, postquam tuis honestissimis studiis, laboribusque aeternitate consecratis, hunc etiam cumulum addidisti. Di immortales! quanta animi solertia, quanto mentis acumine ac perspicacia, quam sagaci vestigatione, quam accurata indagatione, lubrica & fugacia antiquitatis vestigia rimatus es! Ipsam profecto veritatem, inter ve-

vetustatis latebras, & rudera ipsa, miserrime latitantem, & obrutam; manu veluti porrecta, in lucem extraxisti, situ & pulvere deformatam. Plura a me postulabant, cum operis ipsius dignitas, tum officii nostri ratio, summumque erga te studium & benivolentia; nisi commendatione nominis nostri id effecisses, ut te satis laudare non possim, sine magna assentationis & κολακείας suspicione: itaque desiderio meo vim inferam, & alio me convertam. Jam pridem, mi Fabrette, opus mihi erat te convento. Perquam enim aveo scire, num Theatri Saguntini nomen vestras Alpes transcenderit. De quo hercules, jure mihi dubitare videor. Etenim cum ego in hac Urbe per multos annos fuerim commoratus, a qua Saguntus XII. millia tantummodo distat; in ea eram caligine, ut praeclarissimum hoc antiquitatis monumentum (proh pudor!) penitus ignorarim: donec eo profectus quatuor retro mensibus, ut ea oculis vestigarem, quae temporum evasissent naufragium; illud profecto tum mentis, tum oculorum aciem perstrinxit: adeo ut stupore quodam perculsus, exclamarem:

ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι!

E vestigio ad ejus descriptionem animum intendi. metiri omnia, rimari, contemplari. In quo mihi adjumento fuit Vincentius Turresius, juvenis & mihi valde necessarius, & antiquitatis apprime studiosus. Ride historicorum nostrorum inscitiam, & stolidissimam ἀπειρίαν, qui *amphitheatrum* id appellare haud sunt veriti, cum tamen & semicirculus sit, & pars scenae supersit, ipsiusque proscenii vestigia. Scire igitur abs te velim, antequam id opus aggredior, num aliquis ante me id ipsum praestiterit: ne nihil agam. Si quid porro habebis, quod ad ejus κτίσιν pertineat, diligentissime ad me scribes. Nam quod afferunt nostri, Cimmeriae tenebrae, & merae nugae. Nos in Eustathii παρεκβολὰς totis viribus incumbimus. Prior & altera Rhapsodia donatae sunt jam Civitate Romana. Vereor tamen ne impar sim tam gravi oneri ferundo. eoque, animo concidam, ac tam improbo labori succumbam. Connitar tamen: si ob nullam rem aliam, saltem quia te praesertim auctore in hanc arenam descendi. Tenes ne memoria? Tu mihi nunciasti, universum orbem literarium insigni a me affectum iri beneficio. Laurentio Zaccagnae, si tibi commodum, a me salutem. etiam Blanchino. Cura ut valeas. Valentiae Hedetanorum, XIII. Kal. Octobreis, MDCCII.

Cum haec Epistola missa est, jam Fabrettus diem obierat extremum.

II. EM-

II. EMMANUEL MARTINUS JOANNI BAPTISTAE MYRONI,

Monacho Casin. Bibliothecae Vaticanae primo Custodi,
πολλὰ χαίρειν.

Romam.

QUem locum apud me semper obtinueris, Vir clarissime, non tam verecundiae nostrae est dicere, quam humanitatis tuae & fateri, & praedicare. Quod equidem feci, cum arcana quadam animi in te nostri propensione; tum etiam utilitatis & emolumenti caussa. Etenim id animo haeserat (quandiu mihi licuit esse beato) nullius ex congressione tam mihi fore uberem doctrinae ac literarum proventum, quam ex tui familiaritate ac necessitudine. Habent enim studia, immo ipsa virtus, id cum vitiis commune, ac pestilentibus morbis, quod assidua contagione contrahuntur atque adhaerescunt. Iccirco te unice observandum putavi. Eoque nihil non rerum fategi, ut te omni laude, cura, studio, benivolentia, summis denique officiis prosequerer. Quae cum ita sint, non dubito quin diuturnum ac veternosum hoc silentium, quam maxime sis admiratus. Cave tamen existimes, amoris fuisse deliquium, vel officii nostri aberrationem; sed animi languentis aegritudinem atque torporem: qui studia mea omnia sic interceperat, obsederatque, ut omnia fastidirem, quasi nauseabundus. Quid enim facerem in hac bonarum literarum contumelia atque ludibrio? Nosti τῶν Ἰβήρων studia, ad lucrum tantum modo & quaestum collimantia: quibus literae ad mercimonium comparatae: apud quos iis tantum honos studiis, quae victum suppeditant & annonam. Amoeniores hae literae ac ϑειοτέραι, quas lucrum non contaminat, obsolescunt ac sordent. Nihil tamen fuit tanti, ut me a pristino instituto removeret. Itaque memet collegi, consiliaque nostra & latebras amplexus sum. Neve inerti otio diffluerem, ac mente obstupescerem, incumbere decrevi in Eustathii παρεκβολὰς, quarum jam duas Rhapsodias Latinas fecimus. Deterret me tamen, cum operis vastitas, tum lectorum inopia, quibus instigantibus ad hoc stadium decurrendum inflammer atque propellar. Haud tamen negare possum absque piaculo, esse in hac Urbe unum aut alterum (sane perraros) quos bonarum literarum charitas tangat; quorum consuetudine ac familiaritate ex orci faucibus retractus mihi videor, ac nova quadam aura recreatus. Hi sunt, Joannes Castelvinius, hujus Urbis Praetor integerrimus, Vir nobilitate conspicuus, Matheseωn peritissimus, ac politioribus studiis, Musarumque opibus ornatissimus. Joannes preaterea Turritanus Gravius, haereticae pravitatis ἐξεταστής. Ac Vincentius Turresius studiorum affinitate nobis con-

conjunctissimus. Tria mihi charissima capita. Absque iis esset, vel hanc mihi vitam acerbam putarem. Zaccagnam nostrum salvere velim jubeas plurimum: quem equidem ante me diligo. Vale. Valentiae Hedetanorum, pridie Kal. Octobr. MDCCII.

III. EMMANUEL MARTINUS LAURENTIO ZACCAGNAE,

Bibliothecae Vaticanae Praefecto

S. D.

Romam.

DE ingrati crimine a te merito expostularer, si per hoc temporis intervallum cum te praeterierim, aliquos ex vestratibus a me per literas fuisse conventos, haberes exploratum. Sed cum diuturnum ac pertinax nostrum silentium omnes una amicos involverit; quo minus ad te scripserim, nolim memoriae nostri vitio factum existimes; sed quodam veluti animi marcore, ac male sane tabescendi libidine. Ita enim obtorpui in hoc gentili otio, ac vernacula nostrorum inertia, ut quicquid ab hac cessandi dulcedine avocaret animum, penitus aspernarer atque refugerem. Pungebat me tamen interdum memoria tui, & obversabantur ante oculos colloquia illa & congressiones Attica venustate refertae, ac reconditissima eruditione conditae. Moriar, nisi plus in te uno doctrinae positum semper judicaverim, quam in universa ista Urbe, quam incolis. Di immortales! Quam expedita totius Historiae, qua sacrae, qua profanae cognitio! Quam acre in scriptis perpendendis conferendisque judicium? Quam immanis, & humano captu major, librorum notitia! Sane, ut id affirmare minime verear, longe copiosiorem in te considere Bibliothecam, quam illa ipsa sit, cui meritissime praees. Quid de Graecis literis dicam? quas (per Jovem lapidem juro) ita pulchre apteque calles, ut ab ipsa nutrice una cum lacte suxisse videaris. Quid plura? tua temet virtus, nulla adscita externorum opera, ad eum te dignitatis gradum evexit, unde facile ad summos honores conniti possis. Sed justissimae laudationis vela contraham, ne te (quae tua est modestia) rubore suffundam. Jam pridem scire aveo, num opus illud, quod animo versabas, περὶ Πατριάρχων ἀνατολῆς, luci publicae commiseris; an adhuc sub lima. Collectionem praeterea opusculorum fragmentorumque veterum ἀνεκδότων, quorum jam nobis praesente plenus tibi erat manipulus. Ea res quo loco sit, facies me certiorem. Si quid

quid praeterea in re literaria, quod ad nostrum palatum. Fabretti Inscriptiones, & Gravinae Librum *de Ortu & Progressu Juris Civilis*, avidissime devoravimus. Nos in Eustathii παρεκβολαῖς vela fecimus. Vereor tamen ne nobis sint contrahenda. Immensa enim panditur aequoris vastitas, nullaque inter nostrates horum studiorum aura, qua cymba nostra juvetur ac propellatur. Quare, etsi duas jam Rhapsodias Latinitate donaverim, pene est ut deficiam, nisi tu me titubantem erigis atque confirmas. Nullius enim tam interest, quam tua, qui me in procellosum hoc mare projecisti. Imo, qui me instrumento ad hoc opus aggrediendum ornasti. Utor enim eo ipso Eustathii exemplari, quod tu mihi discedenti ultro largitus es. Quod quidem exemplar, ob id praesertim habeo eximium, ac plurimi facio, quod sit veluti quoddam amoris in me tui testimonium ac pignus, ac veteris necessitudinis monumentum. Quoties enim illud intueor, occurrunt animo deambulationes illae nostrae Tyburtinae & Tusculanae, quarum memoria non medius-fidius facile dixerim, utrum me magis oblectet an torqueat. Id serio existimes velim, neminem cuiquam, neque chariorem, neque jucundiorem unquam fuisse, quam te mihi. Myroni nostro salutem articulate dices. Cura, obsecro, ut valeas. Valentiae Hedetanorum, V. Nonas Octobreis, MDCCII.

IV. EMMANUEL MARTINUS FRANCISCO BLANCHINO,

Canonico, ac Bibliothecae Ottobonianae Praefecto

S. D.

Romam.

QUod post discessum nostrum, & extremos amplexus, nullas ad te literas dederim, Vir clarissime, commodo tuo a me consultum velim existimes. Nefas enim mihi visum est, gravissima illa studia, in quae toto animi nixu incumbis, importunis ac inanibus literis interpellare, avocare mentem a Mathematicarum inquisitionum contemplatione, auresque tuas ineptissima garrulitate obtundere. Iccirco molestissimum nobis silentium indiximus, maxima cum profectus nostri jactura atque dispendio. Immo cum aliqua forsan ingrati erga te animi suspicione. Haerent enim recordationi nostrae jucundissima illa facilitas, comitas, humanitas tua; cum summo erga me studio, ac benivolentia conjunctae. Quid a te librorum postulavi, quod non mihi praesto esset? Ecquae veterum exemplarium libido pervasit unquam animum, quorum non a te mihi paratissima facultas? Memini, in instructissima illa Bibliotheca, cui meritissime

ſime praees, mihi ſaepe dies exactos. Di boni! qua voluptate! A propoſito mihi tamen ſilentio, conſtitutaque verecundia, digredi me cogit aliquantiſper ignoratio cujusdam rei, ac neceſſitas. Scire equidem velim, quidnam ſit deprehenſum in Kalendario Romano vel luxatum, vel fallax, quod indigeat caſtigatione. Num vitium ſit in Canone Paſchali, an in Cyclorum Solis & Lunae computationibus, an in biſexti intercalatione, an in ipſo anno Juliano. Tota res quorſum recidat, cupio ad me quam diligentiſſime perſcribas. Tenentur enim hujus rei deſiderio viri docti, qui mihi id muneris impoſuerunt. Licet enim ex Zaccagna & Myrone, omni mihi olim officio conjunctiſſimis, totius rei ſeriem indagare facile potuerim; cum illi quoque graviſſimo huic negotio interſint; nihilominus, a te mihi hanc rem iri explanatum, vehementiſſime opto. Per fidem igitur & genium tuum, mi Blanchine, excute nobis has tenebras, & ſumma illa, qua polles, eruditione, enucleatius extrica. Fabrettum noſtrum ſalvere jubeo. Vidi ejus *Inſcriptiones*, in eisque luculentiſſimum ſui erga te amoris teſtimonium. Itemque, in *de Ortu & Progreſſu Juris Civilis* Gravinae noſtri. Si quid a te forſan luci publicae donatum, facies me certiorem: nam cum ego Urbe diſcederem, neſcio quid erat ſub praelo. Valetudinem tuam cura diligenter. Valentiae Hedetanorum, Non. Octobr. MDCCII.

V. EMMANUEL MARTINUS ALEXANDRO ZONDADARIO,

Eccleſiae Senenſis Archipresbytero, Abbati Divi Salvatoris, & Praepoſito Piſtoricenſi, Viro ornatiſſimo & fautori ſuo

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

Diu mihi cogitanti, Vir doctiſſime atque integerrime, quonam potiſſimum indicii genere memorem acceptorum abs te beneficiorum animum mentemque ſignificarem, nullum profecto viſum eſt nec ſincerius, nec praeſtantius, quam ſi aliquo ſtudiorum noſtrorum monumento initae abs te gratiae teſtificationem poſteris exaratam relinquerem. Praeſertim cum eo ſemper in me fueris animo, ut (quae tua eſt humanitas) ingeniolum noſtrum & literulas, ſi quae modo ſunt, minime habueris deſpicatui. Igitur cum per hos dies, otii potius exercendi cauſſa animique oblectandi, quam ut diligentiam putidius oſtentarem; disquiſitionem illam, ſane quam implexam, mihi enodandam ſuſceperim, de Auctore Collectionis

nis veterum Epigrammatum; eique, ut in proverbio eſt, ſummum jam aſſuerim centonem; nihil duxi antiquius, quam, ſi quid demum id eſt lucubrationis, pro jure officii & obſervantiae in te noſtrae, ad te mittere. Tu in me vel caſtigando, vel admonendo, ea utere libertate, qua debes in hominem impenſe tibi addictum.

Epigrammatum Graecorum Collectione, quae *Anthologiae* nomine circumfertur, vix aliquod ad nos pervenit eruditae antiquitatis monumentum, vel utilius, vel illuſtrius. Multi enim qui bene de literis meruerunt, longa oblivionis caligine obvolverentur, niſi eorum nomina, per has veluti propagines, ad aevum eſſent noſtrum transmiſſa & propagata. Multorum etiam ſcripta funditus intercidiſſent, quorum nos deſiderium conficeret. Adde, argumentorum varietatem, ſententiarum acumen, facetiarum leporem, multiplicem rerum abſtruſarum notitiam, totiusque antiquitatis veluti complexum. Unde, tanquam e penu locupletiſſima, quidquid libuerit, depromere licet. Tanti igitur operis dignitatem cum animo meo reputanti, ſubiit aliquando cogitatio de Auctore ejus Collectionis, praeſertim cum viderem, eam rem eruditorum pleriſque ignotam, aliquibus vero non bene compertam. Omnibus denique negotium faceſſere. Quae quidem cura cum acrius me pupugiſſet; omnes jam adhibueram nervos ut hanc rem eruerem; operique altius me accinxeram; quum incidi opportune in Epiſtolam quandam Leonis Allatii ad Gabrielem Naudaeum, quae exſtat in Reſponſis Fortunii Liceti ad quaeſita per epiſtolas. In qua Vir ille eruditiſſimus diligentiae meae praecurrerat, conſulto etiam inſigni illo Palatino codice, nunc Bibliothecae Vaticanae, quem ego huic rei indagandae accuratius evolveram: copiam mihi ejus faciente Laurentio Zaccagna, ejus Bibliothecae Cuſtode digniſſimo, mihique, quandiu egi in Urbe, omnibus officiis conjunctiſſimo. Igitur ab ea cogitatione tum retractus, alio animum adjeceram. Tametſi non diffiderem, me, illa ipſa quae Allatius ſcripſerat, longe uberius atque enucleatius mandare literis poſſe. Nam ille, ut canis Nilum, obiter tantum ac in tranſcurſu, argumentum hoc delibat potius, quam abſolvit. Totius autem rei accuratius explanandae cupidine quadam nunc denuo tactus, ea quae ſuper hac re comperta mihi ſunt, in medium proferam confiſus fore, ut noſter hic labor Graecarum literarum ſtudioſis nec inutilis omnino evadat, nec injocundus. Primus igitur omnium, qui Graeca Epigrammata hinc inde diſperſa, in unum corpus collegit, fuit Meleager Eucratis filius, natione Phoenix e Palaeſtina, patria Gadarenus. Hic nempe, vetuſtiorum Poëtarum Epigrammata cogens ſcitiora, Auctorum nomina literarum ordine digeſſit, eamque Collectionem CORONAM inſcripſit, dicavitque cuidam, cui nomen Diocli. Quod diſerte habetur in Codice illo Palatino, qui Heidelberga Romam translatus eſt. Cui praejacta eſt *Corona* Meleagri, in cujus margine haec annotata ſunt, minutiſſimo charactere, literiſque pe-

ne abiturientibus : Οὗτος ὁ Μελέαγρος Φοίνιξ ἦν τῶν ἀπὸ Παλαιστίνης. Ἐποίησε δὲ τὸν θαυμάσιον τυτονὶ τῶν ἐπιγραμμάτων στέφανον. Συνέταξε δὲ αὐτὸν κατὰ στοιχεῖον. Et paucis interjectis : ὁ Μελέαγρος Γαδαρηνὸς ἦν, τὸ γένος Σύρος. Ἐτελεύτησεν ἐν Κῷ τῇ νήσῳ. Recensitis deinde Poëtarum nominibus, subjungit: Ἔγραψε δὲ τὸν στέφανον πρὸς Διοκλέα. In Bibliotheca Barberina exstat *Corona* isthaec Meleagri, manu exarata, in qua hoc legitur sepulchrale distichon:

Εἰς τὸν σοφὸν Μελέαγρον, τὸν τοὺς στεφάνους τῶν ἐπιγραμμάτων πλέξαντα,
τὸν υἱὸν Εὐκράτεος τοῦ Γαδαρηνοῦ.

Εὐκράτεω Μελέαγρον ἔχω, ξένε, τὸν σὺν Ἔρωσι
Καὶ Μούσαις κεράσαντ' ἡδυλόγους Χάριτας.

Natus est Meleager, uti diximus, Gadaris, seu potius Atthide, Oppido ad Euphratem, haud procul Padaris. Utrumque enim habemus ex duplici epitaphio, quae homo, famae suae non incuriosus ante funus sibi exaravit, senio jam confectus. In quibus genus suum, patriam, parentes, ingenium, & scripta recenset. Quorum alterum exstat libro tertio *Anthologiae*. Alterum exhibet Codex Barberinus. Prioris exemplar hujusmodi est:

Νᾶσος ἐμὰ θρέπτειρα Τύρος· πάτρα δέ με τεκνοῖ
Ἀτθὶς, ἐν Ἀσσυρίοις ναιομένα Γαδάροις.
Εὐκράτεω δ' ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος,
Πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας χάρισιν.
Εἰ δὲ Σύρος τί τὸ θαῦμα; μίαν, ξένε, πατρίδα κόσμον
Ναίομεν· ἓν θνατοὺς πάντας ἔτικτε χάος.
Πουλυετὴς δ' ἐχάραξα τάδ' ἐν δέλτοισι πρὸ τύμβου.
Γῆρας γὰρ γείτων χ' ἀγγύθεν ἀΐδεω.
Ἀλλά με τὸν λάλον καὶ πρεσβύτην σὺ προσειπὼν
Χαίρειν, εἰς γῆρας κ' αὐτὸς ἵκοιο λάλον.

Posterius autem ita se habet:

Πρῶτά μοι Γαδάρων κλειτὰ πόλις ἔπλετο πάτρα,
Ἤνδρωσεν δ' ἱερὰ δεξαμένη με Τύρος.
Εἰς γῆρας δ' ὅτ' ἔβην καὶ δία θρεψαμένη Κῶς,
Κᾀμὲ θετὸν (1) μερόπων ἀστὸν ἐγηροτρόφει.

Μοῦσαι

(1) μερόπων.] Meropes dicti sunt Coi, a Merope Triopae filio.

Μοῦσαι δ' εἰν ὀλίγοις με τ̃ Εὐκράτεω Μελέαγρον

Παῖδα Μενιππείαις ἠγλάϊσαν χάρισιν.

In utroque hoc epigrammate incubabat mendum, quod facile detersimus. In primo enim legebatur: Πρῶτα μὲν ἱππείαις, in secundo vero: Παῖδα μιλητείοις. quae vox nihili est. Pro quibus restituimus: Μενιππείαις. De priori, jam nos ante monuerant Henricus Stephanus, Joannes Brodaeus, & Vincentius Opsopoeus. De hoc ultimo, in proclivi res est. Fuit enim Meleager Menippi aequalis, & civis, & in scurrilibus aemulator, ejusdemque cum eo sectae. Diogenes Laërtius cum dixisset Menippum fuisse ἀνέκαθεν, sive a majoribus, Phoenicem, subjungit: Τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει, καὶ τί ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου. Strabo Lib. XVI. viros illustres Gadaris ortos recensens: Ἐκ δὲ τ̃ Γαδάρων Φιλόδημός τε ὁ Ἐπικούρειος γεγονὼς, καὶ Μελέαγρος, καὶ Μένιππος ὁ σπουδογέλοιος, καὶ Θεόδωρος ὁ καθ' ἡμᾶς ῥήτωρ. Theodorus nempe ille, qui Tiberii Caesaris natura sagaciter perspecta, appellabat eum, πηλὸν αἵματι πεφυραμένον, *lutum sanguine maceratum*, ut est apud Suetonium in Tiberio. Stephanus quoque Byzantius: Γάδαρα, πόλις κοίλης Συρίας, ἥτις Ἀντιόχεια καὶ Σελεύκεια ἐκαλεῖτο ἐντεῦθεν ἦν Μένιππος ὁ σπουδογέλοιος. Iccirco ait Meleager in primo epigrammate, se in juventa una cum Musis cursitasse Μενιππείαις χάρισιν, *cum Gratiis Menippeis.* Id est, perinde ut Menippus, risui, salibus, jocis, & festivitati studuisse. In secundo autem, Musas se illustrem reddidisse Μενιππείαις χάρισιν, *Gratiis Menippeis.* Quo nomine intelligit opus quoddam a se lucubratum, quod inscripsit Χάριτας, sive *Gratias.* cujus extat mentio apud Athenaeum in quarto: ubi Nicium Scortum sic alloquitur Cynulcum illum Carneum Megarensem, caeterosque Cynicos Dipnosophistas: ὁ πρόγονος ὑμῶν Μελέαγρος ὁ Γαδαρεὺς, ἐν ταῖς Χάρισιν ἐπιγραφομέναις ἔφη, τ̃ Ὅμηρον, &c. Ex his omnibus facile apparet, floruisse praesertim hunc Meleagrum sub Seleuco Philopatore, Antiochi Magni filio, qui regnum iniit Olympiadis CXLVIII. anno primo, Aerae Seleucidarum CXXVI. ante Christum natum CLXXXVI. Quo primum tempore hanc Collectionem fuisse adornatam, non est cur dubitemus. Poëtae autem, e quorum floribus suam nexuit Coronam Meleager, fuere: Anyte, Moero, Sappho, Melanippides, Simonides, Nossis, Rhianus, Erinna, Alcaeus, Sammias, Leonida, Mnasalcus, Pamphilus, Panerates, Tymnes, Nicias, Euphemus, Damagetus, Callimachus, Euphorion, Hegesippus, Perseus, Diotimus, Menecrates, Nicaenetus, Phaënnus, Simmias, Parthenis, Bacchylides, Anacreon, Anthemius, Archilochus, Alexander, Polycletus, Polystratus, Antipater, Hermodorus, Posidippus, Hedylus, Sicelides, Plato, Aratus, Chaeremo, Phaedimus, Antagoras, Theodorides, Phanias, aliique sui temporis permulti, quorum nomina non recensuit, ne lectori

Aa 2 taedium

taedium crearet. Ac tandem Meleager ipse στεφανοπλόκος. Sed libet videre Meleagrum ipsum, Coronam hanc elegantissime texentem, in quadam Elegia quae in Vaticano Codice praemittitur, nec dum, (quod sciam) in lucem edita. Ea est ejusmodi:

ΜΕΛΕΑΓΡΟΥ ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

Μοῦσα φίλα τίνι τάνδε φέρεις πάγκαρπον ἀοιδάν;
 Ἢ τίς ὁ καὶ τεύξας ὑμνοθέταν στέφανον;
Ἄνυσε μὲν Μελέαγρος, ἀριζάλῳ δὲ Διοκλεῖ
 Μναμόσυνον, ταύταν ἐξεπόνησε χάριν.
Πολλὰ μὲν ἐμπλέξας Ἀνύτης κρίνα, πολλὰ δὲ Μοίρους
 Λείρια, καὶ Σαπφοῦς βαιὰ μὲν ἀλλὰ ῥόδα.
Νάρκισσόν τε, χορῶν Μελανιππίδου ἔγκυον ὕμνων,
 Καὶ νέον οἰνάνθης κλῆμα Σιμωνίδεω.
Σὺν δ᾽ ἀναμὶξ πλέξας μυρόπνουν εὐάνθεμον ἶριν
 Νοσσίδος, ἧς δέλτοις κηρὸν ἔτηξεν ἔρως.
Τῇ δ᾽ ἅμα καὶ σάμψυχον ἀφ᾽ ἡδύπνοιο Ῥιανοῦ,
 Καὶ γλυκὺν Ἠρίννης παρθενόχρωτα κρόκον.
Ἀλκαίου τε λάληθρον ἐν ὑμνοπόλοις ὑάκινθον,
 Καὶ Σαμίου δάφνης κλῶνα μελαμπέταλον.
Ἐν δὲ Λεωνίδεω θαλεροὺς κισσοῖο κορύμβους,
 Μνασάλκου τε κόμας ὀξυτόρου πίτυος.
Βλαισὴν τε πλατάνιστον ἀπέθρισε Παμφίλου οἴνης,
 Σύμπλεκτον καρύης ἔρνεσι Παγκράτεος.
Τύμνεω τ᾽ εὐπέταλον λεύκην χλοερόν τε σίσυμβρον
 Νικίου, Εὐφήμου τ᾽ ἀμμότροφον πάραλον.
Ἐν δ᾽ ἄρα Δαμάγητον ἴον μέλαν· ἡδύ τε μύρτον
 Καλλιμάχου στυφελοῦ μεστὸν ἀεὶ μέλιτος.

Λυχνίδα

ἔγκυον] Ob dithyrambos quos scripsit, quorum est proprium τὸ ἔγκυον.

δέλτου] Male δέλτος in Cod.

ἡδύπνοιο] Male in Cod. ἡδυνόοιο.

παρθενόχρωτα] Obiit enim Virgo.

οἴνης] Latet mendum.

ἀμμότροφον] In Cod. corrupte ἀμμοτρόφον

πάραλον] Est quod in soluta oratione dicitur παράλιον.

στυφελοῦ] Ob poëmation *Ibin* inscriptum.

Λυχνίδα τ' Εὐφορίωνος ἴδεν Μούσῃσιν ἄμειβον
Ὃς Διὸς ἐκ κούρων ἔσχεν ἐπωνυμίην.
Τῇσι δ' ἅμ' Ἡγήσιππον ἐνέπλεκε μαινάδα βότρυν,
Πέρσου τ' εὐώδη σχοῖνον ἀμησάμενος.
Σὺν δ' ἅμα καὶ γλυκὺ μῆλον ἀπ' ἀκρεμόνων Διοτίμου.
Καὶ ῥοιῆς ἄνθη πρῶτα Μενεκράτεος.
Μυῤῥιναίους τε κλάδους Νικαινέτου, ἠδὲ Φαέννου
Τέρμινθον· βρωτήν τ' ἀχράδα Σιμμίεω.
Ἐν δὲ καὶ ἐκ λειμῶνος ἀμωμήτοιο σέλινα,
Βαιὰ διακνίζων ἄνθεα Παρθενίδος.
Λείψανά τ' εὐκαρπεῦντα μελιστάχυων ἀπὸ Μουσῶν,
Ξανθοὺς ἐκ καλάμης Βακχυλίδεω στάχυας.
Ἐν δ' ἄρ' Ἀνακρείοντα· τὸ μὲν γλυκὺ κεῖνο μέλισμα
Νέκταρος· εἰς δ' ἐλέγους ἄσπορον Ἀνθέμιον.
Ἐν δὲ καὶ ἐκ φορβῆς σκολιότριχος ἄνθος ἀκάνθης
Ἀρχιλόχου μικρὰς στράγγας ἀπ' ὠκεανοῦ.
Τοὺς δ' ἅμ' Ἀλεξάνδροιο νέους ὄρπηκας ἐλαίης,
Ἠδὲ πολυκλείτου πορφυρέην κύανον.
Ἐν δ' ἄρ' ἀμάρακον ἧκε, Πολύστρατον, ἄνθος ἀοιδῶν,
Φοίνισσάν τε νέην κύπρον ἀπ' Ἀντιπάτρου.
Καὶ μὴν καὶ Συρίαν σταχυότριχα θήκατο νάρδον,
Ὑμνοθέταν Ἑρμοῦ δῶρον αἰδόμενον.
Ἐν δὲ Ποσίδιππόν τε, καὶ Ἥδυλον, ἄγρι' ἀρούρης,
Σικελίδεω τ' ἀνέμοις ἄνθεα φυόμενα.
Ναὶ μὴν καὶ χρύσειον ἀεὶ θείοιο Πλάτωνος
Κλῶνα τὸν ἐξ ἀρετῆς πάντοθι λαμπόμενον.

Ἄστρων

Εὐφορίωνος] In hoc disticho latet mendum. Scio Euphorionem hunc fuisse Chalcidensem, natum Olymp. CXXVI. Floruisse vero sub Antiocho Magno, cujus etiam Bibliothecae fuit ab ipso praefectus. Sed quod ait de cognomento, mihi tenebrae.

Μυῤῥιναίους] Σμυρναίου τε κλάδον legit Salmasius contra fidem Codicis.

Φοίνισσαν] Intelligit ergo Antipatrum Sidonium.

Σικελίδεω] Theocritum intelligo Siculorum poëtarum Principem, cujus multi exstant fructus in hac Corona pancarpia.

ἀνέμοις] *Anemonas* intelligit, quibus nomen ἀπὸ τῶν ἀνέμων: quod vento flante expanduntur, ut tradit Dioscorides lib. 2. cap. 207.

Ἄςρων τ᾽ ἴδειν Ἀρχίαν ὁμοῦ βάλεν, ὑψιτομάκδυς
Φοίνικος χεῖρας πρωτογόνους ἕλικας.
Αὐτὸν τ᾽ εὐχαίτην Χαιρήμονος ἐν φλογὶ μίξας
Φαιδίμου, Ἀντάγορου τ᾽ εὔςροφον ὄμμα βοός.
Τόν τε φαλάκρητον Θεοδωρίδεω ποθαλῆ
Ἕρπυλλον· κυάνων τ᾽ ἄνθεα Φανίεω.
Ἄλλων τ᾽ ἔρνεα πολλὰ νέογραφα· τοῖς δ᾽ ἅμα Μύσης
Καὶ σφετέρης ἔτι που πρῶτα λευκοΐα.
Ἀλλὰ φίλοις μὲν ἐμοῖσι φέρω χάριν· ἐςὶ δὲ μύςαις
Κοινὸς ὁ τῶν Μουσέων ἡδυεπὴς ςέφανος.

Ex quibus ultimis verbis apparet, non omnes Poëtas, quorum Epigrammata collegerat, in hanc Elegiam pancarpiam Meleagrum retulisse: sed illos tantum, quos adulta jam fama, & antiquitatis honor consecraverat. Praeteritis sui temporis sane quam multis, ut indicat illud:

Ἄλλων τ᾽ ἔρνεα πολλὰ νέογραφα ——

Nec non amicis. Quod significant verba illa:

—— τοῖς δ᾽ ἅμα Μούσης
Καὶ σφετέρης ἔτι που πρῶτα λευκοΐα.

Nam subjungit:

Ἀλλὰ φίλοις μὲν ἐμοῖσι φέρω χάριν ——

Monendus tamen es, multos ex iis, quorum nomina Coronae pancarpiae Meleager intexuit, in Anthologia typis edita non reperiri; excerptorum injuria, qui tam fecundum agrum pro libidine vastantes, multa demessuerunt, quibus carere sine maximo literarum detrimento non possumus. Nam quod ajunt, omnia quae in eo Codice praetermissa sunt, ob turpitudinem & obscoenitatem consulto fuisse rejecta; merae nugae. Legi enim egomet innumerabilia, exscripsi nonnulla, quae vel Cato ipse Censor gestaret in gremio. Utinam Salmasianam illam editionem non invidissent nobis fata, quam ipse totiens promisit. Consultum profecto esset

ὄμμα βοός] Buphthalmum vertere possumus, quam poëtice vocat ὄμμα βοός. Alias dicitur *Cotyla* & χαμαίμηλον. Hispan. *Manzanilla* & *Ojo de buei*. Sed ea non est Coronaria.

ſet melius rei literariae, nec tot venerandae antiquitatis monumenta nobis eſſent intercepta: non quidem injuria temporis. id enim eſſet tolerabilius. Sed (quod longe miſerrimum) ſaeculi inertia. Verum id eſt (quod dicitur) Hylam inclamare. Ante quam hinc digredior, monere te quoque viſum eſt, me Hermodorum Poëtam, qui jam dudum e Corona exciderat, illi denuo reſtituiſſe. Neque enim Graecus Scholiaſtes, qui omnes hujuſce pancarpiae Auctores enumerat, illum recenſuit, nec Leo Allatius. Quin & Joannes Brodaeus in Notis ad cap. 7. Libri IX. *Hiſtoriae* Theophraſti, hujus Poëtae nomen eraſerat. Ut actum de illo eſſet, ni ego veniſſem ſuppetias. Meleagri verſus ſunt:

> Καὶ μὴν καὶ Συρίαν σταχυότριχα θῆκαλο νάρδον,
> Ὑμνοθέταν Ἑρμοῦ δῶρον ἀειδόμενον.

Quos ita vertit Brodaeus, vel potius pervertit:

> *Certe quidem & Syriam ſpicatum capillum habens ponito nardum.*
> *Hymnis cantatum, celebratum Mercurii donum.*

In qua interpretatione (pace tanti viri dixerim) tot pene ſunt peccata, quot verba. Miſſa faciam ea quae in omnium oculos incurrunt, nec hilum ad inſtitutum noſtrum pertinent. Hermodoro tantum, fidem meam imploranti, manum porrigam. Quem aliquantulum deformatum reperio in illis verbis: Ἑρμοῦ δῶρον. Cum enim lex carminis & ſtructura nomen Ἑρμόδωρον reſpuat ob ſecundam brevem; coactus eſt Meleager illam producere reſumpta vocali, quae compoſitionis cauſſa exciderat. Itaque ſcripſit Ἑρμούδωρον. Quod aperte oſtendit vox ὑμνοθέταν, quae aliter nullo modo adglutinari poteſt, nec habet cui adhaereſcat. Adde, niſi ita legas, eſſe illud δίστιχον caſſum & inane. Quo nihil cogitari poteſt ineptius. Exſtat hujus Hermodori Epigramma quoddam in ſimulacrum Veneris Cnidiae libro quarto *Anthologiae*. Sed de Meleagri collectione abunde ſatis.

Poſt hunc Philippus Theſſalonicenſis, ut eos Epigrammatarios qui poſt Meleagrum ſcripſere, poſteritati conſignaret; quadam aemulatione tactus, novam ſyllogen orditus eſt, quam itidem inſcripſit *Coronam*· Tanquam acceſſionem quandam ad Meleagream. Dicavitque cuidam Camillo. Scholia ἀδέσποτα ad oram Codicis Palatini: Ἕτερος στέφανος Φιλίππου Θεσσαλονικέως, ὃν ἐποίησε ἐν καταμιμήσει Μελεάγρου. Συνῆξε δὲ καὶ αὐτὸς ἀπὸ τῶν ἐμφερομένων ποιητῶν &c. Ἔγραψε δ' οὗτος ὁ Φίλιππος τὸν στέφανον πρὸς τὸν Κάμιλλον. Vixit hic Philippus temporibus Caeſaris Dictatoris & Octaviani Auguſti. Quod nos docent ejus epigrammata. In quibus utrique impudenter blanditur. Narrat praeterea, tanquam eo tempore evulgatum, portentum illud de palma ſub ſtatua Caeſaris inter coagmenta lapidum Trallibus enata,

ta, vel Tarracone in ara Augusti. Nam dubium quidem est ad quodnam ex iis miraculis referri debeat Philippi Epigramma, quod exstat Libr. I. *Anthologiae*. Certe utrumvis intelligas, suo tempore accidisse commemorat. Ait enim:

———— νῦν ἀνέτειλε
Καίσαρος ἐκ βωμοῦ κλῶνα μελαμπέταλον.

Tametsi ille non palmam, sed laurum enatam scribit. Contra veterum omnium fidem. Immo & numismatum. Sed Poëta veritatis nihil pensi habuit, modo victoriae signum poneret. Meminit etiam Navalis pugnae ad Actium in alio Epigrammate Lib. 6. Quae pugna pugnata est Olympiadis CLXXXVII. anno secundo, C. Caesare Octaviano III. M. Valerio Messala Coss. IV. Nonas Septembreis, anno ab Urbe condita DCCXXI. ante Christum natum XXIX. Poëtae a Philippo adjecti Coronae Meleagreae, hi fuere: Antipater, Crinagoras, Antiphilus, Tyllias, Philodemus, Parmenio, Antiphanes, Automedon, Zonas, Bianor, Antigonus, Diodorus, Evenus, & ipse Philippus coronarius. Qui Meleagri imitatione suam etiam texuit *Corollam*, quam nobis exhibent praememoratae membranae Palatinae. Ea est hujusmodi:

ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΣ

στέφανος.

Ἄνθεά σοι δρέψας Ἑλικώνια, καὶ κλυτοδένδρου
  Πιερίης κείρας πρωτοφύτους κάλυκας,
Καὶ σελίδος καινῆς θερίσας στάχυν, ἀντανέπλεξα
  Τοῖς Μελεαγρῆος ὡς ἴκελον στεφάνοις.
Ἀλλὰ παλαιοτέρων εἰδὼς κλέος, ἐσθλὲ Κάμιλλα,
  Γνῶθι καὶ ὁπλοτέρων τὴν ὀλιγοστιχίην.
Ἀντίπατρος πρέψει στεφάνῳ στάχυς, ὡς δὲ κόρυμβος
  Κριναγόρας, λάμψει δ' ὡς βότρυς Ἀντίφιλος.
Τυλλίας ὡς μελίλωτον, ἀμάραχον ὡς Φιλόδημος,
  Μύρτα δ' ὁ Παρμενίων, ὡς ῥόδον Ἀντιφάνης.
Κισσὸς δ' Αὐτομέδων, Ζωνᾶς κρίνα, δρῦς δὲ Βιάνωρ,
  Ἀντίγονος δ' ἐλαίη, καὶ Διόδωρος ἴον.

Ἐυη-

στάχυς] Male apud Allatium χάρις.

Ἐυηνῷ δάφνῃν συνεπίπλοκα. τοὺς δὲ νεωτέρους
Εἴκασον οἷς ἐθέλοις ἄνθεσιν ἀρτιφύτοις.

Ubi nota, exemplo Meleagri, ſui aevi poëtas etiam praetermiſiſſe, quorum floſculos vocat ἀρτοφύτας, & opponit πρωτοφύτοις

Epigrammatum Collectioni tertius manum admovit Agathias, ſive Agathius, Scholaſticus, Memnonii Rhetoris & Pericleae filius, patria Myrinaeus, ex Urbe Myrina, quae in Aſia minori veterum Aeolenſium colonia fuit, ad oſtia Pythici fluvii. Hic Smyrnae Juriſprudentiam publice profeſſus eſt. Unde illi cognomentum *Scholaſtici.* Floruit ſub Juſtiniano Imperatore, cujus res geſtas conſignavit literis Lib. V. poſt Procopium Caeſarienſem. Scripſitque alia, partim ſoluta oratione, partim numeris adſtricta. Cujusmodi fuere poëmatia illa, quae *Daphniaca* inſcripſit: novemque libris complexus eſt: quorum ipſe meminit, libro *de Bello Gothorum primo*, tum Epigrammate quodam Lib. VI. *Anthologiae.* Hic igitur compoſuit etiam τὸ Κύκλον τῶν νέων ἐπιγραμμάτων, ὧν αὐτὸς συνῆξεν ἐκ τῶν κατ' αὐτὸν ποιητῶν. *Circulum novorum Epigrammatum, quae ipſe ex Poëtis ſuo tempore viventibus collegit.* Ut refert Suïdas. Etſi Agathias, in praefatione ad ſuam Hiſtoriam, non *Circulum* a ſe fuiſſe inſcripta ea Collectanea prodit, ſed recentiorum Epigrammatum συλλογήν. Quae nuncupavit Theodoro Decurioni. Errat igitur toto coelo Vincentius Opſopoeus, qui in ſuis ad *Anthologiam* annotationibus ſcribit, Agathiam hunc Scholaſticum primum fuiſſe qui Epigrammata collegerit. Immo ultimus. Ejus aequales fuere. Paullus Silentiarius, Macedonius Conſul, aliique, quos in hanc ſyllogen conjecit.

Deinde Conſtantinus quidam cognomento Cephalas, haec eadem epigrammata, quae (ut antea monuimus) literarum ordine fuerant digeſta, in unum confudit, diviſitque in capita diverſa: ſeparatim nempe *Amatoria, Votiva, Sepulchralia, & Demonſtrativa.* Ea ratione, qua hodie in Codice Palatino digeſta ſunt. Quod diſerte tradunt ſcholia marginalia ad *Coronam* Meleagri hiſce verbis: ὁ Μελέαγρος ἐποίησε τὸ θαυμάσιον τουτονὶ τῶν ἐπιγραμμάτων στέφανον, συνέταξε δὲ αὐτὸν κατὰ στοιχεῖον. ἀλλὰ Κωνσταντῖνος ὁ ἐπονομαζόμενος Κεφάλας συνέχεεν αὐτὸν, ἀφορίσας εἰς κεφάλαια διάφορα, ἤγουν ἐρωτικὰ ἰδίως, καὶ ἀναθηματικὰ, καὶ ἐπιτύμβια, καὶ ἐπιδεικτικὰ, ὡς νῦν ἀποτέτακται ἐν τῷ παρόντι πυκτίῳ. Sed bonus hic Conſtantinus ordinem tantum mutavit, nihil vero addidit.

Peſſimo tandem conſilio Maximus Planudes Monachus Conſtantinopolitanus, qui anno MCCCLXX. florebat, Collecta veterum ſtudio Epigram-

Ἐυηνῷ] Male in Cod. MS. Ἐυηνῷ.

συνεπίπλοκα] Ita eſt in Cod. Allatius legit: συνεπίπλωκα.

grammata amputavit, sine ingenio, sine judicio. Multa enim ex illis demessuit, quibus defraudare posteros piaculare fuit. Multa reliquit, quibus carere sine jactura facile possemus. Sed homo lepidus, ex genio vel captu suo caeterorum studia dimensus est. Nihilque existimavit aliis voluptatem allaturum, praeter ea quibus ipse delectaretur. Quamquam alioqui doctus. Nam & *Metamorphoses* Ovidianas Graece vertit, & Caesaris Commentarios *de Bello Gallico*. Aliaque edidit ingenii sui egregia monumenta, e quorum numero sunt Dialogi quidam MS. *De re Grammatica*, qui asservantur in Bibliotheca Excellentissimi Ducis Uzedae, in hac Urbe. Ab Imperatore tandem jussus contra Latinos scribere, utcumque id exsequutus est. Absolvi pensum. In quo ducendo, tum demum recte a me operam collocatam credidero, si tu album adjicias calculum. Valetudini tuae quam diligentissime consule, & vale. E Museo nostro, XIX. Kal. Januarias, An. MCCVII.

VI. EMMANUEL MARTINUS ALEXANDRO ZONDADARIO,

Ecclesiae Senensis Archipresbytero, Abbati Divi Salvatoris, & Praeposito Pistoricensi, fautori suo

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

CUm in animo haberem proficiscendi ad Marchionem Mondexarensem, ecce nuncium: illum mortem obiisse. Quo certe nuncio nihil accidit mihi unquam funestius, nihil acrius animum perculit nostrum. Non quo mihi haberem persuasum, fore ut id aetatis homo diu apud nos perennaret; sed quod uno veluti agmine mihi occursassent, durissima temporis conditio, aerumnosissimi viri solitudo tristissima, quatuor filiorum transfugium, totque tantorumque scriptorum volumina ineptissimorum hominum ludibrio exposita. Respiravi tamen postquam allatum est, optime illum cordatissimeque avitis bonis, reique familiari consuluisse, exhaeredatis liberis, ac in nepotes translato patrimonio. quae una erat acerbissimo hoc tempore incolumitatis via. Nec est quod multum doleam liberorum sortem. Quando nullus casus a paterni nominis famaeque haereditate illos poterit dejicere. quae omnium splendidissimum est patrimonium. Dolendum mihi dolorem meum, qui optima mei parte, amico nempe integerrimo, interii. Cujus erga me amoris ac benivolentiae, quoquo me verto, vestigia. Moerendum Hispaniae, cui acutissimus

ſimus ille hiſtoricae veritatis oculus erutus eſt, lumenque illud extinctum, quo allucente, tot remotiſſimae vetuſtatis latebrae perſcrutatae, tot impoſtorum fraudes circumventae. Sed ea ſunt gentis noſtrae ſtupor atque vaecordia, ut plagam hanc, qua neſcio an major aliqua infligi literis potuerit, non modo tanquam levem contemnat; ſed omnino non ſentiat. Quod extremum dehoneſtamentum eſt. Miſerum enim tantum virum amiſiſſe; ſed longe miſerrimum, ignoratio jacturae. Quippe illud ad fatum pertinet, hoc autem ad ignaviam & ſocordiam noſtram. Quamobrem, ſaepe tanti viri conditionem ſum miſeratus, qui patriam ſortitus eſſet ad humaniora haec ſtudia, amoenioresque literas, inertem. Quo factum eſt, ut per totum fere vitae curriculum cum larvis ſibi fuerit luctandum, & nugatorum umbris. Quos nos dubito quin hodie in ejus demortui cineres mejant. Perfacile enim, ut in proverbio eſt, mortuo Leoni inſultare. Etſi quamvis nihil fuerit eo, vel moribus magis compoſitum, vel alienius ab inferenda injuria. Opera ab ipſo elucubrata, quorum catalogum nuper ad me transmiſerat, haec ſunt:

De Moſe Scriptore omnium vetuſtiſſimo.
Carthago Africana.
Patronatus S. Fructi.
Diſſertationum Eccleſiaſticarum tomi duo. Quorum alter manu exaratus.
De Praedicatione S. Jacobi in Hiſpania, adverſus Natalem Alexandrum.
De Deo Carmelo.
De Vera Origine Ordinis Carmelitarum.
Fabula de Equabus Luſitanis Zephyro gravidatis, exploſa.
Monumenta Genealogica propriae Familiae de Segovia.
De Vera Epocha occupatae a Sarracenis Hiſpaniae.
De Prima migratione gentium in Hiſpaniam.
Gades Phoeniciae.
De Aera Hiſpanica.
De Origine & Praxi impedimenti conſanguinitatis, & affinitatis.
Monumenta Hiſtorica Alphonſi VIII. Hiſpaniarum Regis.
Monumenta Hiſtorica Alphonſi, cognomento ſapientis, Hiſpaniarum Regis.
Hiſtoria Familiae Mondexarenſis.
Hiſtoria Familiae Montecatenorum.
Hiſtoria Familiae Pontiorum de Leon.
Notae & Obſervationes in Homeri Batrachomyomachiam.
Notae in Satyram nonam Juvenalis. Cum adjuncto opuſculo. *De annis, diebus, & horis Romanorum.*
Scholia in Artem Poëticam Horatii.
De Phalange, ſeu Teſtudine Macedonica.
Hercules Gaditanus.

De Etymologia militis, *ad leg.* Miles. *D. de testamento militis.*
De Judiciis Areopagi.
Epilogus Ordinum Militarium.
De Conceptione Virginis Matris.
Historia Comitum Barchinonensium, opus affectum.
Miscellanea.

Quae omnia (paucis admodum exceptis, & iis quidem levioris studii, quae in lucem edita sunt) incuria Auctoris, sive is gloriae fuerit contemtus, in instructissima sua Bibliotheca manu exarata delitescunt. Utinam iis quam primum orbi literario potiri liceat. Cujus ego voti si compos fiam! Quid reliqua? Neque enim obscurum est quantum meum studium exstiterit famae suae. Nunc autem valde me tangunt, haeredum ignavia, contumelia literarum, dissimilisque patris progenies. Decessit ille anno aetatis LXXXI. postridie Kal. Septemb. funestissima illa Dea Febri correptus. Cui ut te Salus eripiat, omnibus votis exposco. Vale iterum atque iterum. Ex Museo nostro. Postridie Eidus Septembreis, An. MDCCVIII.

VII. EMMANUEL MARTINUS ALEXANDRO ZONDADARIO S. D.

Senas.

EXosculatus sum tuas literas amoris ac benivolentiae plenas. Ille vos fortunet, cujus nutu geruntur omnia, charissima, ac verenda mihi capita, digna profecto hilariore fortuna. Sed tamen nescio quid mihi ariolatur animus. Hic omnia nutant, & ut solet in extrema rerum perturbatione, nusquam consistitur. ac plerique optimatium latebras meditantur. Meus Pelopida in Baeticam etiam cogitat, & secessum ignobilem. Agamemnoni decreta est belli summa, adsciti Legati Villadarias & Tellius, quaesita magno nisu belli subsidia, multi per vim ad sacramentum adacti, emuncta omnis pecunia. Quid tandem? Nihil. Nam Agamemnon quidem domi jam residet. Frumenti vero nihil adhuc, caeterique belli commeatus. Quippe Thesauri armorum praetextu in pacatos usus colliguntur. Exhauritur natio fallaci hac antlia. Classis Americana Gades appulit. Colonus Valentini dicasterii Praefectus, adscitus huc est ad caussam dicendam, una cum Z.... Regio Fiscali, propterea quod in Contentione cum Antistite Valentino.

tino super excommunicatione, rem male administrasse judicati fuerint. Cum Rex caussa ceciderit. Sybilla nostra πολυχρόνιος illa, & πολύγλωττος, & πολυμαθὴς, multum vos amat, & in oculis gerit. Quorum infortunio vel nunc etiam adlacrymatur, recentissima calamitatis vestrae memoria. Sed solatur eam spes, fore ut quamprimum. Salvete igitur ab ea uterque, utriusque nostrum memores. Vale. Mantuae novae in Carpetanis, IX. Kal. Apriles, An. MDCCX.

VIII. EMMANUEL MARTINUS

Illustrissimo Viro

ALEXANDRO ZONDADARIO

Archiepiscopo Senensi, fautori suo

S. D.

Senas.

AD mene, inquies, cum ista fronte perfricta, post quinquennium per summum silentium exactum? Bellum hominem & facetum! qui amici personam, tanquam per ludum, vel deponit, vel repetit. Absit, Vir gravissime, ut officium meum prodam, fidemque fallam, quam olim tibi dedimus. Vetera illa tua in me collata beneficia minime consenuerunt. viget eorum memoria. Quo minus autem saepius ad te scripserim, cum regionum intervalla tum argumenti inopia, tum denique gravissimarum occupationum tuarum reverentia, factum est. Quando autem nunc te per literas convenire licet sine levitatis nota; fungar officio meo quam diligentissime, ac te nec opinantem aggrediar. Exporrecta, an caperata fronte, nugas nostras excipias, non facio teruncii. In argumento ludicro libet jocari. Quid id est ineptiarum? dices. acervus. da operam. Proxima aetate cum rure agerem, libido me incessit aliquid pangendi, solitudinis fastidio minuendo. Scripturiebam. Argumentum deerat. Cum ecce tibi in oculos incurrit Arca quaedam attritu ac vetustate fatiscens, quae mihi ultro citroque peregrinanti vicennalem operam navaverat. Miseratus sum deformem ac laceram. Atque animo volvens, quamnam ego illi gratiam rependerem pro tot tamque egregiis erga me meritis; recte, atque e dignitate, me facturum existimavi, si illam inter astra referrem. Relata est. Eamque conversionem Ἀπαστέρωσιν appellare placuit. Misi illam Philippo Buliphoni, regio aerario in hac Urbe Praefecto vigilantissimo atque integerrimo, Viro eximia eruditione, doctrina singulari, Graecarumque juxta ac Latinarum literarum praestantissimo μύστῃ: quicum summa mihi intercedit necessitudo. Captus ille est argumenti (ut ajebat) festivitate ac lepore. Itaque

e vestigio sententiam suam de edendo. Dubitabam ego satin' haec me decerent; hominem sacris addictum, jocosa ac ludicra; ad senium vergentem, juvenilia. Quare omnibus nervis eum a sententia dimovere conatus sum, sed incassum. In lucem itaque prodiit ejus opera & impensis, accurante editionem fratre ejus Caesare, optimo atque ornatissimo juvene, qui Mantuae Carpetanorum degit. Rem tenes. Unum id superest, ut nimirum si forte nugae tibi nostrae arriserint, scripti novitati applaudas. Sin autem, vel blattis illud committas, vel Vulcano. Certe (quicquid sors tulerit) grati hominis officio functus ero. Exemplum alterum adjunxi, quod Eminentissimo fratri tuo, humanissimo Principi, transmittendum curabis. Et nos, qui te recentissima memoria colimus, fac ut redames. Alonae, XVII. Kal. Quinctileis, An. MDCCXXII.

Perfecto, poëtarum longe principi, ac Porrino, a me salutem.

IX. EMMANUEL MARTINUS

Illustrissimo amplissimoque Viro

ANTONIO FELICI ZONDADARIO,


Archiepiscopo Damasceno, & Pontificio Legato apud Regem Catholicum,

S. D.

CUm proximis diebus sermones inter nos conferremus, ut sunt fere colloquia, & varia, & aliud ex alio elicientia, casu *Theatri Saguntini* incidit mentio. Quod cum a me delineatum omnibusque numeris expressum dixissem; tuum pervasit animum illud videndi cupido, una cum notulis sive descriptiuncula quadam, a nobis adjecta, non tam eruditionis ostentandae gratia, quam obscurissimae rei explanandae. En igitur illud, Vir amplissime, ex oblivionis tenebris redux ac redivivum, etsi lacera veste atque obsoleta. Cujus ego veram priscamque structuram, omnibus indagatam vestigiis, quam brevissime potero serae posteritati consecrabo.

Theatrum Saguntinum peropportuno loco & saluberrimo situm est. Septemtriones enim versus & solem orientem sese pandit, amoenissimae valli, quam fluvius etiam praeterfluit, imminens; & pelagus Eoum prospectans. Ab Austro & flatibus occiduis objectu montis defenditur. a quo in amplexum sinuato cohibetur ac cingitur. Quare Boream tantum Eurumque, vitales illas animas, ad perflatum admittit. Caeteris humanae saluti infensis intercluso aditu. Quod in primis cavendum monet Vitruvius in theatris construendis. Nam cum ibi spectantium animi voluptate maxima

THEATRUM SAGUNTINUM.



A. *Orchestra.*
B. *Suggestus Principis, sive Prætoris.*
C. *Equestria.*
D. *Scalæ subsidiales.*
E. *Præcinctio, sive διάζωμα.*
F. *Popularia.*
G. *Januæ summæ porticus.*
H. *Scalaria.*
I. *Porticus.*
K. *Gradus Lictorum.*
L. *Fenestræ fornicatæ.*
M. *Gradus servorum.*
N. *Scalulæ κλιμακίδες*
O. *Ostiolum arcuatum.*
P. *Vomitoria.*
Q. *Vestigia in utroque cornu.*
R. *Proscenium.*
S. *Pulpitum.*
T. *Scena.*
V. *Valvæ regiæ.*
X. *Hospitalia.*
Y. *Choragia.*
Z. *Cloaca.*

maxima perfundantur, immota corpora delectatione illa capta ac delinita; hiantes habent meatus, venasque patentes, in quas facile insidunt circumfusi spiritus: qui si nocentes fuerint atque insalubres, vel vitio aliquo infecti, afflatu suo corporibus exitium afferent. Idcirco vitandi a meridie impetus. Sol enim aestu suo torrente quum theatri curvaturam implet, aër inclusus hemicyclo, nec vagandi habens potestatem, perpete illa versatione, & circumactu, ac verticosa rotatione, effervescit. Quo fit ut corpora naturali humore exsucta adurantur, nimisque excandefacta in morbos incidant. Habet porro Theatrum nostrum ingenio & natura loci comparatum τὸ συνηχοῦν, quod in eo apprime necessarium. Vox enim curvamine amplexuque illo montis collecta, ad summum usque cum incremento scandens, robustior aures pulsat, discreta verborum terminatione. Quod ego profecto expertus sum. Quippe Asinii versus ex *Amphitruone*, quos Vir ornatissimus, mihique omnibus officiis conjunctissimus, Emmanuel Mignana ex scena recitavit, de summa cavea perbelle hausi. Quod me, ita vivam, incredibili perfudit voluptate. Sunt enim illac rupes vocales. Nec id solummodo, sed πεντάφωνα. Et haec de Theatri positione. Nunc ad structuram. Ejus igitur hemicycli ambitus quem Graeci vocant περίμετρον, habet palmos nostrates, sive spithamas, vel dodrantes pedis Romani DLXIV. Dimetiens vero quam illi διάμετρον, ducta ab utroque cornu linea, palmos CCCXXX. Altitudo Theatri ab orchestra ad summam caveam, palmorum CXXXIII. cum semisse. Ad summae vero parietinae superstitis fastigium palm. CXLIV. & semis. Orchestrae diameter habet item palmos XCVI. A qua certum est totius Theatri descriptionem ordiri, veluti a centro. Igitur orchestra nomen sortita est ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι. propterea quod in Graeco Theatro locus is esset saltationibus gesticulationibusque destinatus: tametsi apud Romanos longe alium habuit usum; saltem ex quo C. Atilius Serranus & L. Scribonius Libo Aediles curules, superioris Africani sententiam sequuti, Senatorum subselliis orchestram assignarunt. In ea igitur honestissimo loco sedebat Princeps, sive Praetor in suggestu. Cujus exstant vestigia in medio orchestrae ad podium. Deinde Vestales, Sacerdotes, Legati, Senatores. Neve autem anteriorum objectu pulpiti prospectus posterioribus adimeretur, solerter admodum excogitatum est, ut orchestrae pavimentum a Principis suggestu leniter & sensim in acclivitatem exsurgeret, usque ad imum gradum equestrium: depresso identidem & scalpto in orbem pavimento, in modum balthei, sedilibus locandis ac defigendis: relicto inter sedilium ordines spatio aliquantulum elatiore, quod ingressum exitumque praeberet. Quod adhuc nemini homini observatum credo. Et me sane fugisset, nisi terram, qua tota orchestra obruta erat, removere jussissem, adscitis fossoribus. Ab orchestrae solo equestria erumpunt, sive gradus quatuordecim equestri ordini attributi, legibus Roscia, & Julia theatrali. Ad quorum septimum duo vomitoria aditum praebent.

Qui

Qui idcirco caeteris latior, ne angustia loci equestris multitudo comprimeretur; sed libero gressu in subsellia sese diffunderent. Quoniam vero Theatrum hocce in durissimo saxo fundatum est, cujus pervicacia artis conatus & solertiam delusit, eo duas habent tantum januas equestria. Quae cum equitum numero admittendo non sufficerent, additae sunt hinc inde scalae geminae in aperto & propatulo loco, quarum imi gradus fornicem subeunt, in ipso proscenio. Summum gradum ordinis equestris excipit praecinctio. quo nomine appellarunt veteres gradum caeteris duplo altiorem latioremque, qui reliquos minores veluti praecingeret & complecteretur. διαζώματα vocant Graeci. Sunt enim quasi transversa quaedam cingula. Unde ab aliquibus dicti sunt *balthei*. Graduum nimirum refractiones & areolae in orbem procurrentes. quae ideo inserebantur, ut ordinum discrimina, Senatorii nempe, Equestris, & Plebeji, manifesta ipsa divisione in oculos incurrerent, nec quicquam esset inter eos commercii. Sequuntur deinde duodecim gradus popularium, altiore loco remotioreque In quibus videlicet e plebe homines sedentes spectabant: quos vocant *summam Caveam*. In haec sedilia per plures aditus diffundebantur, ad quos ducebant interiores fornices & concamerationes. Superior item porticus. Cujus duplex erat usus. ut haberet nempe populus quo se reciperet, si subitus aliquis turbo vel imber ludos intercepisset, & ut subjectum Theatrum ab aquarum injuria & sordibus vindicarent. Habet ea porticus januas octo anticas, & posticas totidem e regione; obliquas tamen, & quae se mutuo respiciant. Ut spiritu per eas admisso Theatrum refrigeraretur, nec aër immotus & stagnans obtorpesceret. In hasce januas scalaria septem ascensum praebent, erumpentia ab imo equestrium gradu, qui ad orchestram. Non quidem perinde intersecta, & variantia, ut in plerisque amphitheatris, sed recto ductu & continentia. Quo fit ut cuneos efficiant quam longissimos, & aspicientium oculis oppido quam jucundos. Ab imis nempe subselliis ad summa. Erant autem haec scalaria, viae inter cuneos ad ascensum vel descensum. Nam cum gradus illi sedentarii elatiores essent quam pro modulo humani gressus, nec nisi summa cum difficultate scandi possent, solerter admodum excogitata sunt haec scalaria, binis singulis gradibus interjecto tertio. Nisi ubi praecinctiones interveniunt. Ibi enim quaterni inseruntur. Horum κλιμακίων latitudo palmorum trium cum dimidio, graduum vero altitudo palmi & sesquidigiti. Quam quidem dimensionem duplam exhibent subselliorum gradus. Haec scalaria eo adhibita, ut cuneata illa multitudo expeditum haberet exitum, ac veluti ad manum, quo se cumque vertissent. ne illo intercluso, ad corporis necessitudines subeundas adigerentur. Porro qui excuneati erant, ut theatrali verbo utar, in iis spectabant stantes. Inter Januas internas externasque illud interest discriminis, quod internae quidem sunt quadratae, seu τετράπλευροι, & latius patent: externae vero arcuatae & minores. Est praeterea superior illa

illa porticus lata palmos XV. cum quadrante, alta vero XII. cum dodrante. Ergo latitudo altitudine major. Quam ob cauſſam? In proximo ratio. Ut ne videlicet dum glomeratim ingrediuntur, vel egrediuntur, porticus anguſtia laborarent. Quae quidem porticus ad Theatri angulos minime pertingit, ſed multo ante ſubſiſtit utrinque exſecaturque XXXV. palmorum intervallo. quod implebant quaterni gradus, a ſuppoſita cavea eo tantum diſcreti, quod ſummus popularium latitudine caeteros anteibat, atque erat veluti praecinctiuncula quaedam, ſive areola, ſuperiorem ordinem ab inferiore diſpeſcens. Unde ſuſpicari ſubit, ſediſſe eo loci lictores, accenſos, viatores, apparitores, aliosque magiſtratuum ſatellites, cum ut eorum obſequio praeſto eſſent, tum ut ſubjectam caveam a contentionibus & rixis deterrerent, triconumque inſolentiam frangerent. Quod Athenis etiam in uſu fuiſſe comperio ex Ariſtophanis Scholiaſte in Eirenem. In quam ego ſententiam eo libentius adducor, quod ab illis ipſis gradibus ſcalae quaedam ſecretae per occultos maeandros in carceres ducunt: quorum alter ſuperſtes adhuc, in eoque bojae muro affixae, ſive annuli ferrei deligandis maleficis. Adde, hanc ipſam porticum in medio frangi, relicta intercapedine palmorum viginti duum: in qua utrinque gradus quaterni, porrecti palmos ſeptem cum ſemiſſe. Quos ea fini ſtructos arbitror, ut ſatellites undique ſedilibus imminerent, pacificandae caveae. In eorum medio ſpatio ſtatuam fuiſſe, veſtigia quaedam nos monent, tametſi fugientia & pene obliterata. Ipſius nempe baſeos indicia. Quod vel ipſa ſtructurae ratio, & operis concinna modulatio poſtulabat: ad totius hemicycli medium deſignandum. Hujuſce baſeos latera palmorum ſenum cum dodrante. In ſummo caveae gradu, ad utrumque Theatri angulum, ſex patent fornicatae feneſtrae, ternae utrinque. Num aëri admittendo? Equidem nullus aſſequor. Si quis earum uſum me docuerit, magnam a me profecto inibit gratiam. Supra porticum quatuor item gradus adjecti ſunt. At cui ordini? Sane ſenatorius in orcheſtra, equeſtris in quatuordecim, plebs in cavea. Quid praeterea reliquum? Cum hos gradus animo volverem, pene de gradu dejectus ſum. Si tamen in re adeo obſcura conjecturis uti licet, crediderim in remotiſſimis illis gradibus ſpectaſſe ſervos, libertos, meretriculas, & alia id genus e pullata plebecula propudia. Ne videlicet ejuſmodi ſordes cum honeſtiore plebis ordine conjungerentur. Juvat opinionem noſtram ſupremi gradus ſtructura. qui omnium latiſſimus, etiamſi vel ipſas praecinctiones annumeres. Quod eo conſilio factum exiſtimo, ut eſſet locus in plano ſediculis locandis, foeminarum ſeſſioni. Nam illis ex Auguſti decreto, non niſi ex ſuperiore loco ſpectare licebat. Ubi etiam deſpectiſſimi ſtabant parieti innixi, &

—— pulla ſordida veſte
Inter foemineas ſpectabat turba cathedras.

ut ait Calpurnius. A lictorum sedilibus in summam hanc gradationem ascensum praebent quaedam κλιμακίδες, tam ad utrumque Theatri cornu, quam in medio. Ut per eas satellites temperius accurrerent, si forte opus esset eorum opera. At in ea pullatorum sedilia quinam ascensus, quinam introitus? optimi mehercule, & concinna quadam ratione dispositi. Sunt enim scalae quaedam pone summam porticum rejectae & projectae, montique insistentes, quae ducunt ad arcuata qvaedam ostiola, in extremo muro, quorum unum tantum superstes. In aversa parte hujus muri mutuli quidam identidem prominent, spatio palmorum decem cum semisse inter se dissidentes, forma quadrata, palmorum binum in singula latera. Ad quorum explanationem scire te oportet, tam theatris quam amphitheatris velorum umbracula olim superduci solita, arcendo aestui & soli: quae malis subrectis adligabantur, funibus inferne transversim extensis; ne videlicet pendula laxitate sua fluitarent. Igitur mali illi per excavatos in summis lapidibus orbes trajecti, vel funibus alligati (utrumque enim fieri solitum) hisce mutulis excipiebantur; in quorum medio firmitatis caussa fossulae quaedam excavatae sunt. Ne per lapidis lubricum antennae lapsantes, parum firmae nutarent. Paries supra hos gradus assurgens aevi contumelia dirutus est, minimaque sui parte superstes: & ea quidem absque fastigio sive coronide. Subselliorum gradus altiores sunt quam pro modulo architectonices. Habent enim palmos duos cum quadrante. longe aliter quam Vitruvius praescripsit. latitudo ad amussim respondet regulae Vitruvianae. est enim palmorum trium cum quadrante. Miraris tam effusam latitudinem. Nihil magis profecto ex usu sedentium. Ne videlicet qui in superiore gradu spectabant, diuturna compressione, retractationeque crurum laborarent, vel inferiores impactu pedum laederent. Fortasse etiam ut pone transitus pateret, si qui surgerent, vel serius intrarent. Praecinctionis altitudo, ad praescriptum artis, dupla. Est enim palmorum quaternum cum dodrante. Itemque latitudo, palmorum nempe senum cum quadrante. In haec sedilia per complura ostia aditus patebat quae vulgus appellabat *Vomitoria*. Unde homines glomeratim ingredientes, in subsellia sese fundebant, ac veluti vomebantur. In hos aditus binae porticus ducunt. Altera superior illa & subdialis: qua de nos abunde. Altera inferior, per abdita montis viscera in cuniculi morem serpens, & ab illis ipsis ostiis lumen recipiens. Nisi hanc, fornicem appellare malis quam porticum. Quae lata palmos novem cum quadrante, alta vero duodecim. Structura praepostera. Quandoquidem oportebat ut latitudo altitudinem vinceret; ob eam rationem quam attulimus, cum de alterius porticus dimensione ageremus. Sed quid faceret architectus obsistente monte? Loci quadam necessitate in eam angustiam adactus est. Nam, ne sis nesciens, ductum est hoc opus fornicato saxo. Unde nec aequa latitudine excurrit; sed lunata forma, utrinque sensim arctatur & gracilescit. In utroque Theatri-

tri cornu multa exſtant veſtigia, vexata quidem tot ſaeculorum injuria, & afflicta, ſed quae operis majeſtatem abunde teſtentur. In quis varii fornices conſpiciuntur, partim ſemiruti, partim adhuc ſuperſtites, qui ſcenae coopertūram (ut Vitruviano verbo loquar) ſuſtinebant; maligno quodam ſato peſſumdatam, nec uſquam loci comparentem. Univerſa hujus Theatri gradatio (ſingulis hominibus ſpithamis ſingulis cum dimidia tributis, & ſcalariis rejectis, quae aſcenſui & deſcenſui vacabant) capiebat hominum millia ſepties, cum quadringentis viginti & ſex. Quibus adjici debent qui in ſummo gradu ſupra porticum, vel illatis cathedris ſedebant, vel ſtantes & parieti innixi ſpectabant. Quos mille circiter fuiſſe arbitror. Itemque ampliſſimus ordo in orcheſtra, cujus hemicycli ambitus ſexcenta mihi ſedilia complexu ſuo videtur admittere. Quibus in unum collectis, redit ſumma hominum novies mille & vicenum ſenum. Et haec quidem ſunt quae pro explananda hodierna Theatri facie, quam breviſſime & ſtrictim mihi dicenda videntur, iis praetermiſſis quae ad exornationem potius, & ambitioſae eruditionis pompam, quam ad inſtitutum noſtrum pertinere videbantur. Nunc igitur ad Theatri frontem convertatur oratio. In ea proſcenium, pulpitum, ſcena. Proſcenium appellarunt ſpatium illud ante ſcenam porrectum, in quo pulpitum excitatum erat, quo actores fabularum prodirent. Pulpiti in Theatro noſtro nihil ſupereſt, praeter muri fundamentum, ab orcheſtra diſſitum palmos circiter duodecim. Cujus muri altitudo, ſecundum Architecti praeſcriptum, fuiſſe videtur pedum quinum tantum, ſive palmorum noſtratium ſenum cum beſſe: uti qui in orcheſtra ſedebant, ſpectare poſſent agentium geſtus. Igitur pulpitum depreſſius erat ſcena. Quod in Theatro noſtro etiam deprehenditur. Scenae nomine id totum appellarunt, quod e Theatri regione inter duo ejus cornua protendebatur. Cujus longitudinem ad orcheſtrae diametron duplicem fuiſſe, veterum ſcriptis proditum eſt. Ea in Theatro noſtro fere tota intercidit, excepto procurrente pariete, qui inter ſcenam & pulpitum limes erat: & ad Theatri angulos pertingit. Ab orcheſtra ad ſcenam palmi ſunt viceni octoni & ſemiſ. quorum duodecim proſcenio vacabant. reliqui pulpito aſſignati: Ergo latitudo pulpiti palmorum erat ſexdecim cum ſemiſſe. Quod quidem ſpatium opportunum viſum eſt ſcenicis actionibus. In hujus parietis medio, quod orcheſtrae centrum reſpicit, planus exſtat hemicyclus; ex cujus circinatione teſtudineatus ſive convexus murus aſſurgebat, qui in modum conchae fornicabatur. Id appellabant *valvas regias*, ab ornatu & amplitudine. Graeci βασίλειον & οἶκον ἔνδοξον, teſtante Polluce. Singulae utrinque portae erant, eadem forma, ſed minores, quas vocabant *hoſpitalia*. propterea quod hoſpitibus & peregre advenientibus in ſcenam deſtinatae. Quaedam exſtant earum veſtigia in ſcena noſtra, ejus praeſertim quae ad ſiniſtram, cujus rotundationem licet deprehendere. Dextra periit funditus. Niſi quod reliqua ſunt muri utrius-

 que

que lateralis indicia quaedam ad apertionis angulos. In earum ſingulis areolis machinae collocatae erant triangulares, axibus verſatiles, quarum frontes depictae erant, pro fabularum, quas agebant, opportunitate. Comica nempe ſcena pro comoediis, tragica pro tragoediis, ſatyrica pro ſatyris. Quae quidem ſcenarum genera diſſimili admodum diſparique ratione ornabantur. Tragica nimirum columnis, ſignis, faſtigiis, caeteriſque regali magnificentia inſtructis. Comica autem aedificiis privatis, moenianisque, ac feneſtris communium domorum ſpeciem referentibus. Satyrica vero arboribus, ſpeluncis, montibus, aliiſque id genus rebus agreſtibus, topiario opere deformatis. Ergo pro fabulae argumento machinae illae ſubito vertebantur, & aliam proinde picturae faciem oſtendebant. Iccirco a Grajis dictae περίακτοι a verſatione nempe & vertigine. Ex illis machinis Dii loquebantur. Poſt ſcenam multiplices exſtant muri ſemiruti, ex quibus ille qui areolas ſuſtinet, ſtrias quasdam exhibet, ſive ſulcos quibus trabes ductiles inſertas arbitror. ad pegmata ſurſum trahenda, quae Graeci vocant ἐγκυκλήματα. Reliquis parietibus ſuperſtructa fuiſſe autumo loca illa, quae Graeci θεολογεῖον, κεραυνοσκοπεῖον, βροντεῖον. Θεολογεῖον locus erat, unde Dii loquuturi e ſublimi ſuper ſcenam apparebant. Κεραυνοσκοπεῖον, alta verſatilis machina, inſtar ſpeculae, ex qua Jupiter fulmina ejaculabatur. Βροντεῖον, locus poſt ſcenam, in quo utribus calculis refertis, & per aëra verſatis, tonitruum fragorem imitabantur. Adde choragia, quibus maxime opus erat amplitudine & laxamento, cum ad choros parandos, tum ad ſcenicas veſtes, reliquamque ſcenae ſupellectilem & inſtrumenta aſſervanda. Inde enim promebantur omnia ad ludos neceſſaria. Horum choragiorum etiam hodie parte fruimur ſuperſtite, ad ſiniſtrum ſcenae latus. Quoniam vero hoc Theatrum in declivi montis ſitum, pronas in ſe habebat aquarum corrivationes, quarum lapſu & impetu torrente brevi conſenuiſſet; objecti ſuperius ſunt muri quidam, in modum alarum utrimque porrecti, qui aedificio huic πολυτελεστάτῳ inſtar aggerum eſſent, ipſumque ab aquarum, ut ita dicam, incurſionibus conſepirent communirentque: quorum illae repulſu fractae & diſgreges, per praecipites montis anfractus irrito lapſu divertebantur. Illae vero quae gradibus impluebant in orcheſtrae conflugem undique collabentes, per proſcenium pulpitum ſubibant, ſubter quod erat cloaca, quae univerſam illam proluviem excipiebat, ſuperſtes adhuc: quamque ego veſtigandi cupidine libentiſſime ſubivi, una cum Vincentio Turreſio, ornatiſſimo juvene, mihique arctiſſima conſuetudine conjunctiſſimo. Qui mihi etiam adjumento fuit in hoc opere dimetiendo, ex ejusque ruderibus & pene abolitis veſtigiis veritate eruenda.

Haec ſunt quae ad Saguntini Theatri illuſtranda veſtigia ex paupertina noſtra penu depromere licuit, Vir ampliſſime. in quibus non dubito fore pleraque, quae defaecatiſſimo tuo judicio parum arrideant. Quae uti caſtiga-

ſtigatiora reddas, per fortunas oro atque obſecro. Scio enim quam ſint veſtrates antiquitatum ejuſmodi ſagaces. Nec neſcio quam tu in ea ſtudia devexus, ex quo Urbem tenui, & rerum dominam Italiam. Italiam, literarum, ſtudiorumque altricem, eruditionis faſtigium & columen, ingeniorumque proventu regionum omnium feraciſſimam. Vale. Ex Muſaeo noſtro, VIII. Idus Januarias, MDCCV.

X. EMMANUEL MARTINUS

EMMANUELI NAVARRO,

Theologiae Profeſſori Primario,

S. D.

Salmanticam.

IN aere tuo ſum, qui me tam lauto ſplendidoque munere affeciſti. Libro nempe tuo *de Geniis veterum.* quem tuo nomine mihi tradidit Mathias Chafreo, eximia indole adoleſcens, ac ſpe optima. Quem ego adoleſcentem & merito ſuo amo plurimum, & quod abs te illum amari ſentio. Quod ad donum attinet, illud vero ad pectus adprimo atque deoſculor: quo ita me beaſti, ut Craſſus cum ſuis divitiis prae me ſordeat. Evolvam diligentiſſime, totumque in ejus adyta me penetrabo. Praejacta tamen illa cautione: Niſi vis major. Nam per hos aeſtus, quid ego polliceri, quid nervi animique vires praeſtare poſſint, vel me tacente diſputare potes. Quod ad judicium noſtrum, ſic habeto, nihil me eſſe liberius.

Τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγω.

Sic ſum. Sic reliquos adverſus me eſſe cupio. Tametſi non dubito, nihil fore in hoc opere, quod acre tuum judicium, ſummam doctrinam, eximiam eruditionem non referat. Vale. In Urbe Regia, poſtridie Kal. Quinctileis, An. MDCCIX.

XI. EMMANUEL NAVARRO

Benedictinus,

EMMANUELI MARTINO

Sanctae Illices Ecclesiae Decano,

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

FAma te eruditissimum esse testatur, Epistola quam recens accipio humanissimum. Tota est officii, benevolentiaeque referta. E qua, ne fucum te facere dicam, proficiscuntur quae de me, deque meo Geniorum libro a te tantum non illibato edicis. Sum attamen inscitiae meae satis gnarus, ut mihi persuadere non possim, talem esse, qualem me tua desiderat laudatio. At, quamvis rubore suffusus, incredibili jucunditate Epistolam tuam legi, quod mihi ex eruditione fructum, ex elegantia (& quidem nitida) voluptatem, ex auctoritate summum honorem attulit. Quid (quod a te & Latine & Graece promissum expecto) non accipiam ad ignorantiae meae subsidiarium beneficium, cum eas nostras geniales lucubrationes perlegeris (aestiuis licet, sed male locatis otiis) de tanti viri judicio, etiam e solemnibus juris, eque solemnioribus veritatis, quam amo, subselliis pronuntiando: de quo ipse me censeo, ut tum denique stare videar, cum puncta quamvis pauca tulero suffragii tui. Interea nostrum Chafreonem tibi vehementer commendo, de quo tantum diligendo, tecum fere contendam. Vale. E Musaeo nostro Salmantino, die VI. Julii, An. MDCCIX.

XII. EMMANUEL MARTINUS

JANO SERRESIO GALLO,

Congregationis Oratorii Presbytero,

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

NIhil potuit mihi accidere optatius, Vir ornatissime, quam hoc literarum officium, ad quod perhumaniter me vocas; ut haec nostra inter nos necessitudo, studiorumque societas, in omnem posteritatem propage-

pagetur. Illud vero me rubore maximo affecit, te ingenii nostri nervulos, si qui sunt, tanti fecisse, ut pares judicaveris, *Meditationibus tuis Metaphysicis* (verbis tuis loquor) corrigendis, emendandis, delendis. Quandoquidem autem, pro tua in nos benivolentia, visum tibi est opera nostra uti, morem tibi gerens, quid in ea re, obscurissima profecto ac salebrosissima, assequar sentiamque, facile prodam. Ea tamen conditione, ut si ineptiae tibi nostrae minus arriserint, me nugas egisse omnino putes. Ais igitur initio statim operis, te nunc demum agnoscere, aetate retro acta, multa in animum tuum irrepsisse falsarum opinionum ludibria, quibus te tanquam compedibus implicitum atque irretitum, ad veritatem investigandam obtorpuisse. Quam tu tamen veri, caussarumque ignorationem sensuum fraudibus adscribis, eoque fidem iis abrogandam censes. Quod si ita est, facere non possum quin id ex te quaeram, cujusnam rei vel ope, vel monitu, veterum opinionum falsitatem deprehendisti? Certe, vel sensuum, vel rationis. Praeterea enim nihil est, cujus in hac re auxilio uti possis. Si sensuum, temere quidem facis, quando eorundemmet fidem, vel infirmam statuis, vel nullam. Undenam, quaeso, exploratum tibi est, quin tum illi maxime veritatem objiciant, quum tibi fallere maxime videntur? Cum praesertim censeas, tum eos fallere, quum videntur sedulo veritatem objicere? Si rationis, gravius peccas. Qui enim a judice te liberatum iri confidis, vel sensuum pravitate detorto, vel praestigiis corrupto? Illi enim rationis sunt veluti administri; quorum est munus, ei externa omnia nunciare, atque deferre. Quod si vel falso exsequantur, vel praepostere, rationis judicium constare minime poterit. Mea diligentia, inquis, meisque artibus, eorum fallacias occupabo, insidiarumque suspicione facile me surripiam. At cave profecto, ne dum fidem sensibus funditus detrahis, ad indagandam veritatem, quod unice cupis, tibimet aditum praecludas. Quo enim te referes in tanta rerum caligine, abjectis sensibus? Qui si nos deficiant; nec pedem usquam tuto figere licet, nec certi aliquid definire. Quandoquidem illi rerum species extrinsecus objiciunt; ex quibus, assidua cogitatione commentationeque, illa in animo nostro coalescunt simulacra, quibus scientiarum ratio constat ac sustinetur. Ais te tanto operi aggrediundo jam pridem fuisse paratum, eaque te cura multo antea confectum, distulisse tamen in id aetatis, in quo ratio & consilium plene adolevissent, ut ne te aliquando poeniteret instituti tui, vel praemature suscepti, vel praepropere. Quasi vero aetate sensuum fides augeretur, ac minus illi desiperent: vel cautius nobis consulere daretur, oppressis domesticis eorum insidiis; quas nec damnare licet, nec rejicere; nedum effugere. Quam ob rem immensi moliminis res est (ne dicam irriti) vera a falsis disjungere velle ac segregare (quod ipse conaris) &, quasi adhibita vanno, e tot quisquiliis, & fallaciarum glumis, purgatissimam veritatem educere. Praesertim tibi,

cui

cui sensuum fides vel abrogata penitus vel suspecta. Quonam igitur utendum tibi est criterio? Qui, sodes, offusam tibi caliginem absterges? Equidem te jam in iis ipsis quae statuis, specie veri delusum agnosco. Ais enim te rebus iis fidem habere, quas simplicissimas appellas, cujusmodi sunt corpus, locus, numerus, tempus. Atqui ea omnia Pyrrhonii jam olim acutissimis argumentis exploserunt. Itaque & Geometriam, & Physicam, & Arithmeticam, & Musicam de medio tollebant. Tametsi illi multo cautius quam tu. Propterea quod ipsi, cum de singulis rebus dubitarent; nihil omnino statuebant: nec illud quidem se nihil certi statuere. Quamobrem & *Zetetici* dicti sunt, & *Sceptici*, & *Ephectici*, & *Aporetici*. *Zetetici* quidem, quod semper in veritatis inquisitione versarentur. *Sceptici*, a diuturna opera, quam in speculando, perpendendo, considerando, impendebant. *Ephectici*, a cunctando, & haesitando. *Aporetici* denique, quod semper addubitarent. Tollebant enim omnem demonstrationem, & judicandi instrumentum. Tu vero cum sensibus bellum indixeris, veritatis tamen latebras rimandas suscepisti. quod omnium est longe difficillimum. Diutius in Pyrrhoniana hac schola praeluderem, cui semper fui addictissimus, nisi mihi tecum res esset, viro doctissimo, & singulari industria praedito: cui non dubito quin Scepticorum omnes disputationes, tractatus, commentationes (praesertim Sexti Empirici, viri acutissimi) jam pridem notae fuerint atque perspectae. Interea tamen sic habeto, me libentissime amplecti ἀσκεψίαν tuam; quae ad veritatem indagandam plurimum valet: quam natura in profundo penitus abstrusit, ut ajebat Democritus. Cave sis autem ne Xenophanis illud te deterreat:

> Καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν, οὐδέ τις ἔσται
> Εἰδώς. ——

Quod ad me attinet, postea quam Eustathium dimisimus, nescio quis me torpor invasit, & fastidium gravioris studii. Ne tamen nihil agere videamur, saepe tractamus literulas; non tam erudiendi animi caussa, quam ut eum a calamitosissimi temporis abstrahamus molestiis. Vale. Mantuae novae in Carpetanis, III. Eidus Januarias, MDCCVIII.

E M-

EMMANUELIS
MARTINI,
ECCLESIAE ALONENSIS DECANI
EPISTOLARUM
LIBER V.

I. EMMANUEL MARTINUS
Excellentissimo Principi
GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE,
Marchioni Mondexarensi & Agropolitano
S. D.

Mondexarem.

JOannes Serresius, homo mihi deditus, quoque ego jam diu utor valde familiariter, mihi tradidit tuo nomine alterum Eustathii παρεκβολῶν volumen in Homeri Iliada, quo & exemplaris inopiae subvenis, simulque nobis jam pene animum despondentibus, calcar addis. In qua re, non tam ego usura beneficii commoveri me sentio (quanquam eo quoque maxime obstringor) quam occasione conveniendi tui. quem multos jam annos, ignotum licet, singulari observantia colo. Ex quo nempe Romae clarissimum illud Hispaniae nostrae lumen dignissimumque purpuratum, Josephum Aguirrium saepe audivi de te praedican-

tem buccinantemque, Dissertationesque illas tuas legi succi plenas, altissimae eruditionis, subactissimi judicii. Quo factum est, ut omnibus repente incesserim laetitiis, quum patere mihi ad te aditum singulari fortunae beneficio animadverti. Quo nullum parari mihi potuit a Diis immortalibus praesidium neque tutius, neque optatius, in hac foedissima temporum procella, rerumque omnium jactatione. Qua, quo minus a constantiae gradu fuerim dejectus, uni literarum subsidio refero acceptum. Quidnam enim afferre mihi praeterea potest solatium mortalium omnium aerumnosissimo, post diruta patriae moenia, post excisum natale solum, post domum eversam, post familiam laribus avulsam? Et, quod omnium est longe miserrimum, ac vix ferendum, nullo crimine impiatam: imo egregia erga Regem fide, & exantlatis pro dignitate retinenda laboribus claram. Sed maris propinquitas nocuit insonti, & quam hostile ferrum non violavit, hostium metus absumsit. Quamobrem jaceo in maximo luctu & squalore: nec quisquam unquam tam acerba animi aegritudine confectus est. Spero tamen fore ut leniatur doctissimis literarum tuarum alloquiis, quibus (ita mihi omnia quae opto contingant) nihil accidere mihi potest vel gratius, vel jocundius. Igitur sic fac existimes, te unum confirmare me posse atque erigere, neque tam acri me unquam dolore confici posse, ut non abstergatur primo tuarum literarum adspectu. De rebus ad studia nostra spectantibus, alias sedatius. Vale, Excellentissime Princeps, Hispaniae nostrae decus atque ornamentum. Mantuae novae in Carpetanis, VII. Eid. Sextileis, MDCCVII.

II. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano,

S. D.

Mondexarem.

Redditae mihi sunt literae tuae, XI. Kal. Novembreis ad me datae. Quibus nihil unquam mihi profecto accidit, vel gratius, vel jocundius. Cum propterea quod abs te, tanto tamque egregio viro, ea humanitate ad me scriptae, tum quod a valente erectoque, tum denique quod a nostri studioso, ac omnibus benevolentiae officiis instructissimo. Amo quidem lenitatem comitatemque tuam, atque deosculor, ornatissime Princeps: eamque literarum consuetudinem, ad quam me tam liberaliter vocas, libentissime amplector. Caeterum ad tuam Epistolam. Qua lecta, moerore

moerore ſimul ac gaudio vehementiſſime ſum affectus. Hoc nempe, quod ex tuarum lucubrationum catalogo facile perſpexerim, non usquequaque apud noſtrates literarum honorem intercidiſſe, neque hinc Minervam penitus demigraſſe. Illo vero, quod ea ipſa monumenta, quae gentis dignitatem ignaviſſimo hoc ſaeculo ſuſtinere unice apud exteros poterant, malo Hiſpaniae fato, vel funditus interierint, vel inter blattas tineasque deliteſcant. Quo vitio, famaeque noſtrae incuria, fere laboramus Hiſpani. Eandem fortunae acerbitatem ſubiiſſet Bibliotheca vetus Nicolai Antonii, niſi per me ſtetiſſet; qui nihil non rerum ſategi, nullumque non movi lapidem, ut illa a Cardinali Aguirrio fautore meo ac Moecenate ampliſſimo, in lucem publicam emitteretur. Quod Diis bene juvantibus factum, mei omnino accurantis opera. Cujus rei teſtimonium habes in ipſius operis limine. At poſtquam in hunc locum devoluti ſumus, vellem profecto mihi indicares, quonam loco a Nicolao Antonio facta eſt mentio vetuſtiſſimi illius Moſeos. Nam in veteri Bibliotheca nusquam me legiſſe memini. Diſſertationes tuas Eccleſiaſticas legi dum Romae agerem, ſubactiſſimumque tuum judicium ſane quam ſum admiratus. Hominis nempe in media Hiſpaniarum caligine ſcribentis, totque pſeudo-chronicorum ſordibus, & impoſtorum praeſtigiis circumventi.

De Jacobi in Hiſpaniam adventu non ſatis acquieſco. Nam Hippolyti Oſtienſis teſtimonium, quod in hanc rem aſſertur, commentitium eſt atque umbratile. Vidi enim egomet Codicem illum Vaticanum, qui olim fuerat Syrleti: nec quidquam in eo ſubſidii. Quam ob rem, ſaepe ego Aguirrium coram admonui, ut a quaeſtione adeo perplexa manum abſtineret, neve in eas rerum anguſtias ſciens prudensque ſe conjiceret, unde nulla daretur emergendi facultas. Tametſi ille in alia omnia. Diſſertationem tuam pereruditam *de Deo Carmelo*, etſi mihi adhuc videre non contigit; jam diu tamen eſt quum ejus deſiderio contabeſco. Ex quo nempe legi aureolum illud opuſculum Lactantii *de Mortibus Perſequutorum*. Quod Graevius dum luce aſpergit, ſyntagma hocce tuum advocat, cum egregio nominis doctrinaeque tuae praeconio. Prius quam autem hinc abeo, monere obiter viſum eſt, multo ante Tacitum & Suetonium ejus fani mentionem exſtare: nempe apud Scylacem Caryandenſem qui temporibus vixit Darii Nothi, apud quem legitur: Κάρμηλος ὄρος. ἱερὸν Διός. *Carthaginis Africanae* partem ſuperſtitem avidiſſimis oculis luſtravi. Verum id quoque erat in fatis Urbis calamitoſiſſimae, ut ſcilicet vel ejus memoriae invideret fortuna: nomine tantum ad aevi ludibrium ſuperſtite. In qua tamen clariſſimae Urbis cernenda nomenclatura, miratus oppido ſum diligentiam tuam, abſtruſam multiplicemque eruditionem, exactumque judicium, quo vel leviſſima quaeque ad examen revocas: poſthabitis eorum officiis, qui more pecudum prioribus adbalitant. Genus hominum futile atque iners. Ais in hoc opere, te quoque nummis Punicis explicandis aliquando ope-

ram impendisse. Quo ego studio apprime delector. Quapropter, nisi id quoque laboris interiit, ad me quam primum. Erit enim id mihi pergratum perque jocundum. Unaque *Gades Phoenicias*, quas a te illustratas oppido quam videre discupio. Non enim vereor ut hac libertate videar frontem perfricuisse, quando per humanitatem tuam licet bene ac naviter esse impudentem. De Hispaniae numismatis a te vehementer dissentio. Exploratum enim mihi est, ea pertinere ad vetustissimam gentis nostrae linguam. Quicquid oblateret vormius. Marinerii versionem Eustathianam vidi jam olim. Sed nec integra exstat, neque etiamsi exstaret, ejusmodi est, ut me ab instituto revocare deberet. Caussam cur afferam? quando tu eam tam belle exposuisti. Opus nostrum περὶ παθῶν nondum est absolutum. Ejus dictio ad Tusculanarum exemplum, nisi quod interdum latius sese effundit ac veluti luxuriat. Reliqua ex naturae penetralibus. *Collectanea Historiarum* jam a nonnullis diebus Latine a me reddita. A Notis tamen in praesentia abstinere placuit, cum ob librorum inopiam, qua maxime laboro, tum ut ne Eustathio id operae detraham. Praesertim cum Galli illum a me efflictim deposcant. Inter quos, Marchio Villanovanus, homo Graece & Latine doctus, scribit paratum se esse huic operi edundo & operam & pecuniam impendere. De re literaria est apud Hedetanos non nihil quod te scire velim. Scribit nimirum Historiam motus Valentini Latino sermone Monachus quidam Trinitarius, cui nomen Emmanueli Mignanae, homo mihi & studiorum affinitate, & omnibus officiis conjunctissimus. Qui unum & alterum librum ad me misit, judicii mei eliciendi caussa. Tota Historiae dictio castissima est, & plane ad Romanas aures. Ad Caesarem quam propissime accedit, nisi quod interdum Sallustio manum injicit, delibatis inde quibusdam veluti gemmis, excitando Lectori novo ornatus miraculo. Profecto affabre dedolata, & exacta ad normam Romanae loquentiae. Tametsi multa sunt, quae ad justae Historiae majestatem in ea desidero. In qua inops fere narratio, & aliquando jejunior. Nulla apparatus dignitate, nullaque consiliorum inter Principes initorum notitia, non rerum civilium tractatione, sententiarumve copia, insignis. Adde, auctorem studio partium agi saepe transversum, & a veritate deficere. Ego illi (ut hominem decet ingenuum) sententiam nostram libere aperui, detersis praeterea aliquibus naevis, quae tum Historiam, tum sermonis puritatem deturpabant. Quando adversus hominem impense amicum licet mihi esse audaculo. Nescio autem an tibi molesto & obstrepero. Valetudinem tuam cura diligenter, & me tui amantem redama. Mantuae novae in Carpetanis, IV. Kal. Novembreis, MDCCVII.

III. EM-

III. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE & SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano, εὐπράττειν.

Mondexarem.

DI male faciant tabellario tuo, qui semper importuna sua festinatione urget me atque conficit. Hoc scilicet deerat βαρυθυμίᾳ & taedio nostro, quo multos jam dies laboramus ex capitis valetudine, cum jugi ac tetro quodam humoris effluvio. Quod quum animo meo reputo, intueri mihi profecto videor Hesiodeam illam Ἀχλύν,

Ἧς ἐκ μὲν ῥινῶν μύξαι ῥέον ——

Tentatus itidem sum per hos dies febricula quadam, & (quod sane per molestum) infestissima quadam gravedine, quae ita in me incubuerat, ut totus obtorpuerim, stupore veluti quodam pervasus. Tamen nunc temporis meliuscule sum. Itaque Ὑγιείας beneficio usus, jussi anagnostae, ut mihi legeret per hos dies Syntagma tuum *de Deo Carmelo*; quod ab amico acceperam mutuo. Judicium meum exspectas? Nihil in eo non reperi Voluptatis ac deliciarum. Ita omnia ad veritatis amussim exacta, & criseos vanno discussa, ventilata; excussis vecordium bardorumque morionum ineptiis, atque impostorum quisquiliis, quorum omnis opera in eo posita est, ut veritati tenebras offundant. Quaeque harpyiarum instar, quidquid illotis manibus attingunt, deturpant, inquinant, polluunt. Di te fortunent, ornatissime Princeps, cui datum est, literarum studium una cum veritatis conjungere. Ergo Dissertationem hanc, quo minus servo tuo denuo committam, facit altera *de Equabus Lusitanis* ζεφυροπληθείσαις, quam aveo legere. Invenio enim in omnibus tuis scriptis nescio quid saporis, quod maxime facit ad meum palatum. Dissertationem *de Jacobi ad nostrates adventu*, legi olim Romae. Quam ob rem denuo illam ad te mitto, una cum Lactantii opusculo *de Mortibus Persequutorum*. Historia Valentina, cujus mentionem feci proximis literis, nihil habet commune cum Scholani vel Diagi historiis. Cum haec memoriae tantum prodat motum hunc ultimum Valentinum, seu potius latrocinium. Castigationes ad illam nostras tibi mitterem, nisi vererer oculorum tuorum imbecillitatem, & confectas aevo ac studio vires. Si tibi aliter, indica. Advolabunt ad te

protinus. In Euſtathii ſtadio multum adhuc reſtat decurrendum. Scis quam ſit opus immane, & pene ſupra humanas vires. Si tamen Pax alma illuxerit, dabitur opera ut quae pars Latinitate donata eſt, in lucem prodeat, dum nos reliquum diauli ſpatium dimetimur. De Numiſmatis alias. Reliquum eſt ut te oblectes quam belliſſime. *Gades Phoenicias* impotentiſſime exſpecto. Vale. In Urbe Regia, XVI. Kal. Decemb. MDCCVII.

IV. EMMANUEL MARTINUS

Excellentiſſimo Principi

GASPARI MENDOZAE & SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarenſi & Agropolitano,

S. D.

Mondexarem.

SUaveis tuas literas! quas diligenter mihi reddidit Serreſius noſter; cum ſolenni tamen illa formula. Quam maturrime reſcriberem, quod tabellarius eis paucas horas iterum ad te. Ergo quidquid hoc eſt literularum exaravi, citius quam aſparagi coquantur, ut Auguſtus dicere ſolebat. Diſſertationem tuam *de Carmelitarum Origine* nondum legi. Non quod eo ſtudiorum genere minus delecter: ſed quod Florentia literas acceperim ab eruditiſſimo viro Philippo Bonarota, magni illius Dynaſtae Antiquario; in quis ſcribit, ſibi opus eſſe comperto, quiſnam adornaverit veterum Epigrammatum Graecorum Collectionem, quae ſub *Anthologiae* lemmate circumfertur. Propterea quod ſciret, me huic rei indagandae Romae operam navaſſe, & utrumque illum evolviſſe Codicem, Vaticanum & Barberinum. Quae res me per hos dies vehementer exercuit. Verum, ut opus mihi procedit, brevi me expediam: & ad Carmelitarum aniles ineptias, a te exploſas, ſtatim me convertam. Ut illos Dii Deaeque male perdant, nebulones impuratiſſimos! Quorum mos eſt, quicquid ſomniant, veritatis ſpecie nobis obtrudere. Tanquam ſibi res eſſet cum ſtipitibus, aut fungis. Homeri enarratorem Didymum, quem alii βιβλιολάθαν appellant, alii χαλκέντερον (vel quicumque ille ſit Scholiorum auctor, quae e temporum naufragio ad nos enatarunt) ſi ad me miſeris, non vulgari me obſtringes beneficio. Careo enim eo ſcriptore, non medius-fidius penitus ſpernendo. Nam interdum enarratiunculas quaſdam interſerit, quae facem opportune praeferunt Euſtathianis. Quid, ſi nihil horum eſſet? apprimerem tamen ad pectus, & haberem eximium: quodque tui eſſet in me amoris ac benivolentiae teſtimonium. Graecorum ſcriptorum, qui te penes ſunt, catalogum,

gum, non dici poteſt quam videre diſcupiam. Neque enim me latet, quam ſit ſupellex tua libraria omnium lautitiarum plena, quamque vario deliciarum apparatu inſtructa. Quare, amabo te, humaniſſime Princeps. Id mihi ſic erit gratum, ut nulla res gratior eſſe poſſit. Si tibi opera noſtra opus eſt, utere. Tua mandata perſequar diligenter. Serva te integellum, & vivito ultra penſum, Hiſpaniae noſtrae ſingulare decus & ornamentum. Data ad III. Non. Decembreis, An. MDCCVII. In Urbe Regia Carpetanorum.

VI. EMMANUEL MARTINUS

Alonenſis Decanus, Excellentiſſimo Principi

GASPARI MENDOZAE & SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarenſi & Agropolitano, fautori ſuo

S. P. D.

Mondexarem.

QUum ad me perlatae ſunt literae tuae VI. Eidus Decembreis ſcriptae, ea eram corporis animique laſſitudine confectus ex contentiore ſtudio; ut a ſolenni illa officii noſtri religione facile exciderim. Quamquam reclamante Tullio, qui ait, nullam laſſitudinem impedire officium & fidem debere. Quam ego ne fallam, per Paternianam ad te ſcribere conſtitui. Te oculorum valetudine minus laborare, tam mihi eſt jocundum, quam acerbum erat Hiſpaniae lumen extingui. Quidni ita appellem Varronem noſtrum? Divinarum certe humanarumque rerum cognitione, doctrina, aemulatione virtutis, gloria, quam tu illi ſimilis! aetate etiam. Scribebat enim ille *de Re Ruſtica* octogenarius. Opuſculum tuum *de Origine Carmelitarum* legi flagrantiſſimo & veritatis & doctrinae ſtudio. Tanti enim mihi ſunt lucubrationes tuae. Reperi in eo quod in omnibus tuis ſcriptis ſoleo, ſummum veritatis indagandae amorem, cum praeclara eruditione conjunctum, & (quod paucis datum) concinna methodo, ac orationis mira quadam perſpicuitate. Profecto, qui ejus Sodalitatis initium altius repetunt, quam a ſaeculo duodecimo, caligare mihi videntur mero meridie, & meras nugas garrire. Diſſipavit eorum offucias & technas Phocas ille Cyprius teſtis αὐτόπτης. Et tamen Scholaſtica haec tintinnabula turbellas dare pergunt. Quid ſibi credunt blaterones iſti? Hiſtoriam ac Chronologiam (ſacroſancta nomina) perinde tractari ut Scholarum ineptias, in quis inſanire, ſapere eſt? iſque praeſtantiſſimus cen-

censetur, qui maxime delirat? In te aculeos? Scarabaeus aquilam? Noverint fumantem tuum nasum. Probe factum augurali illa formula: *Sane sancteque.* Ego perpol, quod mea interesse judico, Deum immortalem veneror, ut te terris diu commodet. Quod rogas de Auctore Collectionis Epigrammatum Graecorum, quae *Anthologiae* nomine circumfertur, res est majoris ambitus quam ut festinans Epistola complecti possit. Si tibi oculi valerent, mitterem Dissertationem re de hac proximis diebus a me conscriptam. Sed quando tibi, nisi perfunctorie, per oculorum imbecillitatem literas attingere non licet; dicam equidem perfunctorie quae mihi sunt comperta. Primus omnium qui Graeca Epigrammata collegerit, fuit Meleager quidam Phoenix, Eucratis filius, patria Gadarenus, qui vixit sub Seleuco Philopatore, Antiochi Magni filio, qui regnum iniit Olympiadis CXLVIII. anno primo, aerae Seleucidarum CXXVI. ante Christum natum CLXXXVI. Eamque Epigrammatum Syllogen inscripsit CORONAM. quam texuit ex poëtarum a se collectorum nominibus, suo cuique tributo, vel flore, vel fructu. Cujus ego Coronae pancarpiae exemplar assero, exscriptum ex vetustissimis membranis Palatinis, quae Heidelberga Romam translatae fuere, & nunc exstant in Vaticana Bibliotheca. Post Meleagrum, Philippus Thessalonicensis, aemulandi studio, ut ipse fatetur, novam Collectionem orditus est, quam itidem appellavit Στέφανον. tanquam accessionem quandam ad Meleagream. Quod constat, tum ex Scholiaste ἀδήλῳ ad oram Codicis Palatini, tum ex ipsius Philippi *Corona*, quam itidem adducimus. Vixit hic Auctor temporibus Caesaris Dictatoris & Octaviani Augusti. Quod nos docent ejus Epigrammata, in quibus utrique impudenter blanditur. Narrat praeterea tanquam eo tempore evulgatum portentum illud de palma sub statua Caesaris inter coagmenta lapidum Trallibus enata, vel Tarracone in ara Augusti. Meminit etiam Navalis pugnae ad Actium. Tertius Epigrammatum collectioni manus admovit Agathias sive Agathius, Scholasticus, Memnonii Rhetoris & Pericleae filius, patria Myrinaeus, ex Urbe Myrina, in Asia minori Aeolensium colonia, ad ostia Pythici fluvii. Hic Smyrnae Jurisprudentiam publice professus est, unde illi cognomentum *Scholastici.* Floruit sub Justiniano Imperatore, cujus res gestas consignavit literis post Procopium Caesariensem. Hic igitur novam quandam adornavit Collectionem, quam inscripsit Κύκλον, teste Suida. Etsi Agathias in praefatione ad suam Historiam non Circulum ab se fuisse inscripta ea Collectanea prodit, sed aptiore vocabulo, συναγωγὴν. Quam nuncupavit Theodoro Decurioni. Deinde Constantinus quidam cognomento Cephalas, haec eadem Epigrammata, quae literarum ordine fuerant digesta, in unum confudit, divisitque in capita diversa: separatim nempe ἐρωτικὰ, & ἀναθηματικὰ & ἐπιτύμβια, & ἐπιδεικτικὰ, ea ratione qua hodie in Codice Palatino digesta sunt. Quae omnia diserte tradunt Scholia marginalia ἀνέκδοτα ad *Coronam* Meleagri. Tan-

Tandem Maximus Planudes Monachus Constantinopolitanus, qui anno MCCCLXX. florebat, collecta veterum studio Epigrammata amputavit, sine ingenio, sine judicio. Multa enim ex illis demessuit, quibus defraudare posteros piaculare fuit. Multa reliquit, quibus carere sine jactura facile possemus. Sed homo lepidus, ex genio & captu suo caeterorum studia dimensus est. Nihilque existimavit aliis voluptatem allaturum, praeter ea quibus ipse delectaretur. Quamquam alioqui doctus. ut testantur non pauca ingenii sui egregia monumenta. Habes ad *Anthologiam*. Quod ad Lactantii attinet enarratores, habes eorum nomina suis ipsorum annotationibus praefixa. De Didymo, immortales tibi ago gratias. Graecorum Librorum quam mihi facis copiam, sicubi opus fuerit, non spernam. Interim Polyaenum manu exaratum videre vehementer cupio. Si in potestatem meam pervenerit, fidei nostrae erit, ejus curam quam diligentissime gerere, & restituere bona fide. Instantia Christi γενέθλια tibi fausta ominor, ornatissime Princeps, & fortunis liberisque, charissimisque tibi pignoribus, a Deo immortali incolumitatem precor. Teque fortem hilaremque opto. Mantuae novae in Carpetanis, XVI. Kal. Januarias, An. MDCCVII.

VI. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano, fautori suo, hilaritatem nunciat.

Mondexarem.

QUa equidem immortaliter sum affectus literis tuis, IX. Kal. Januarias ad me datis. In quis, quasi parum esset divina illa colloquiorum tuorum ambrosia me perfundere, addis & cumulum. Utriusque nempe Tzetzae opera. Quorum ego jam diu flagrabam desiderio. Nam teterrimi hujus belli procella, & dirus armorum furor majorem mihi librorum partem abripuit. Quorum jactura nihil accidere mihi potuit funestius. Nec facultatum ipsarum, quas funditus amisi, una cum patria: deleto etiam natali solo. Quae quidem infortunia (quantumvis gravissima si mihi vel unam expressissent lacrymam, essem profecto mortalium omnium ignavissimus. Expressit autem (nec pudet fateri) librorum amissio. Prae quibus, ita me Di, sordent mihi opes Attalicae, & Croesi divitiae. Ut vel

hinc agnoscas, humanissime Princeps, quanti faciet libros abs te oblatos, cui tam acerbum est amisisse proprios. Interim autem id intelligas velim, tibi rem esse cum homine grato. Qui haec tua beneficia figet clavo trabali. Tuo judicio, cui semper uni tribui plurimum, comprobari lucubrationem nostram de Auctoribus Collectionis Epigrammatum veterum Graecorum; triumpho & gaudeo. Id scilicet mihi erat in votis. Polyaeni codicem accepi, modicae ille quidem antiquitatis. Sed eleganter scriptus emendateque. Quapropter animus est cum eo conferre editionem novissimam, quam adornavit Pancratius Maasvicius Lugduni in Batavis anno MDCXCI. adjectis suis, & magni Casauboni Notis. Adgrediar id laboris, si per te licet. Nam multa sunt adhuc in hoc Scriptore non bene dedolata. Syntagma tuum *de Aera Hispanica* in manibus est. Ubi legero, ostendam qui sit meus sensus. Interea liber primus, quem hausi, id ipsum sapit quod reliqui tui foetus. papaver & sesamum. Nudius-tertius ego & Serresius fuimus una. Erat enim dies suus. Attigit mihi paenulam, & remansi. Vide facilitatem meam lenitatemque. Acceptus sum ab eo perliberaliter. Inter calices multus de te sermo, propinavimus tibi salutem plenis faucibus, & pro incolumitate tua Deo vota suscepimus. Quem veneror, uti te inter mortaleis diu sinat perennare. & fortunatim (ut Enniano verbo utar) liberorum nepotumque societate frui. Vale nostri memor. D. A. D. IV. Kal. Januarias, An. MDCCVII. Mantuae novae in Carpetanis.

VII. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano, fautori suo

S. D.

Mondexarem.

Cupio equidem vehementer, & jam pridem cupio, avolare istuc, & te quam arctissime complecti. Sed remorantur anni tempestas, animique solicitudo, qua pendeo incertus obscura & caeca exspectatione rerum, saevaeque hujus armorum procellae quae in capita nostra ingruit. Qua malorum faeda cogitatione ita aegrescit animus ac decumbit, ut a moeroris morsu vix possit divelli; nedum hilaritates & oblectamenta cogitare. Quorum me ex congressu tuo infinita copia perfunderet. Quando autem nihil

nihil apparet quo aegritudo nostra leniri queat, & dies crastina instat semper hesterna luridior ac tetrior; rejiciamus saltem hanc cogitationem in mitius anni tempus. Igitur Aprili mense excurram istuc, & in sinum amplexumque tuum veniam. Nec est cur adventus noster te deterreat. Habebis hospitem sobrium, cibique tam modicum, ut incoenatus eat cubitum. Sed facessant joci. Nunc ad seria. Divinum opus tuum *de Aera Hispaniensi* ἀνέγνωκα, ἐπανέγνωκα, ἐξανέγνωκα. Ita enim me in admirationem rapuerant ejus dignitas, atque praestantia; ut cum legissem, stupefactus ac mirabundus relegerem: quae relegissem, denuo evolverem. Non tamen sine stomacho: gravique indignatione, quod ea ipsa studia easque vigilias, quas charitate patriae suscepisti, tamdiu premas, vel verecundia, vel inertia, vel cunctatione. Nihil pensi ducens tot exterorum scripta, quis interim in Hispaniae nostrae splendorem ac dignitatem impetum faciunt, tanquam propugnatoribus desertam, praedaeque obnoxiam. Quousque delitescendum operi eximio, omnibusque numeris absoluto? Exere hanc facem, quae historiis nostratibus praeluceat. Quod ego te pro summa mea in te benevolentia oro obtestorque. Nec faciam finem rogandi, donec impetravero. Si quis mei usus ad operas typographicas, adhibebo omne studium, curam, laborem, diligentiam. Quoniam vero ratio, cum initae abs te gratiae, tum humanitatis tuae, non nihil mihi libertatis in tua scripta praebere videntur; non abs re erit te monere, Cardinalem Aguirrium, in maxima illa Conciliorum Hispaniae Sylloge, quae nobis accurante in lucem prodiit, mordicus tenere, Auctorem ejus Collectionis quae Isidori *Mercatoris* sive *Peccatoris* nomine circumfertur, fuisse Hispalensem Antistitem. Quod tota Dissertatione prima probare instituit, adductis in eam rem, quam maximis argumentis; praesertim *Excursu* III. explicatis itidem difficultatibus ab adversariis objectis. Quod idcirco monere visum est, quod hujus a te gravissimi Scriptoris mentionem nullam esse factam animadverterim. Fortasse quod nondum ea Sylloge in lucem edita fuisset, quum tu haec scribebas. Porro quod statuis tmemate VI. primae partis. Synodum Illiberitanam coactam fuisse anno CCCV. non prorsus extra controversiam mihi videtur. Cum plurimis argumentis, iisque (ut mea fert opinio) ἀναντιῤῥήτοις, ostenderit Moecenas meus clarissimus, eam Synodum non nisi anno CCCIII. coivisse, mense Majo ineunte. ut legere est Tomo II. Differt. I. Excursu III. ejusdem Collectionis. In appendice ad secundam partem emendatissimi tui operis, inter alia, quibus Gorionidi ψευδοσολυμαίῳ fidem abrogas, eum & levitatis & mendacii insimulas, propterea quod Pacorum, Orodis filium, Regemque Parthorum, *Persarum Regem* appellaverit. Quam ob rem illi ἀνιστορησίας crimen impingis. In quo tamen (pace tua dixerim) non ille erravit, sed morem loquendi sui saeculi sequutus est, qui Parthos cum Persis confundebat. Ex quo nimirum Artaxerxes, victo occisoque Artabano, nomen Parthorum expunxit, reddito

Persis Orientis imperio. Quod accidit imperante Alexandro Mamaeae filio, anno ejus imperii quarto. Sic Pseudo-Hegesippus Lib. I. cap. XXIX. *Decurso fere biennio insuderat se Syriae Parthorum exercitus, Pacoro Regis filio, & Barzopharne Persarum Satrapa, barbarum agmen ductantibus.* Quibus verbis interpretatus est illa Josephi Ἀρχαιολ. Lib. XIV. cap. XXIII. δευτέρῳ δὲ ἔτει Συρίαν κατέσχον Πάκορός τε ὁ βασιλέως παῖς, καὶ Βαρζαφάρνης σατράπης ὢν Πάρθων. Quae primo Ἁλώσεως cap. XI. ita leguntur: Μετὰ δὲ ἔτη δύο, Βαρζαφάρνη τοῦ Πάρθων σατράπου σὺν Πακόρῳ τοῦ βασιλέως υἱῷ, Συρίαν κατασχόντος. Pari ratione cum Josephus Lib. I. cap. VI. Ἁλωσ. scripsisset: Μιθριδάτην καὶ Ὀρσάνην, φυγάδας ἐκ Πάρθων. reddidit idem Hegesippus Lib. I. cap. XXI. *Mithridatem & Orsanem fugientes de Perside.* Et alibi saepe. Quem quidem perturbate loquendi morem sequuti sunt deinceps plerique Scriptores, tam Graeci quam Latini. Quo minus Gorionidem hoc nomine accusare liceat, quem vixisse saeculo sexto, eruditorum suffragiis compertum est. Quum haec leges, quos tu cachinnos! Tamen, volo ames ingenuitatem libertatemque meam. Unius me miseret in hoc tuo opere. Vossianae calamitatis. Quem hominem tot notis compunxisti, ut videatur mihi profecto servus stigmatias. Laudo factum. Id unum restat, ut nugatorem istum stylo tuo confossum, φιλαλήθων doctorumque oculis exponas. Alexander Zondadarius, frater Legati Pontificii, enixe a me petit, ut sibi per me liceat *Aeram* tuam legere. Nego id a me, te inconsulto, iri perpetratum. Urget. Quare, si verum est, meam apud te & gratiam & auctoritatem valere quicquam (quod certe ille existimat) sine me re in hac illi morem gerere. Est enim vir probus, & in omni literarum genere apprime versatus, nominis tui cultor, & (si quid ad rem pertinet) mihi arctissima necessitudine conjunctus. Ergo, nisi tibi molestum est, ἐπίνευσον. Et vale. Cum tuis. Ad V. Idus Januarias, An. MDCCVIII. In Urbe Hispaniarum domina.

VIII. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano, bene rem gerere.

Mondexarem.

Nihil vero accidere mihi potest jocundius, Vir maxime, quam a te per literas iri conventum. Quandoquidem vel iniquitate temporum, vel fortunae maleficio, in tui congressum veniendi mihi facultas prae-

praeciditur. Non tamen spes; qua ut ne decidam, nullas non difficultates eluctabor. Tametsi in praesentia nihil certi, me hercule, polliceri tibi ausim. Nam Ecelestae Princeps in sententia adhuc permanet ditionis suae oppida intra Baeticae fines obeundi. Quamquam ego nullus dubito, hominem insane Urbi deditum, pedem domo non egressurum. Verumtamen. Opprimam tamen occasionem, si quae se obtulerit, & curriculo ad te. Dum modo liceat per armorum saevitiam, & infestas latrociniis vias.

Εἰρήνα βαθύπλουτε,
Καλλίστα μακάρων θεῶν,
Ζῆλός μοι σέθεν. ὡς χρονίζεις!

Ubi *Gades Phoenicias* ad me miseris, tum demum arbitrabor me pervenisse ad Herculis columnas, nec quicquam esse ultra, quod votis expetam. Nosti diligentiam nostram, curam, studium, in lucubrationibus tuis asservandis. Erit profecto apud me liber iste sanctior & abstrusior, quam fuerint olim ipsa Romani imperii pignora, Palladium, & ancilia. Quod ad laudes attinet, quibus me, quae tua est humanitas, tam largiter ornas; eas equidem plurimi facio, quod a tanto, tamque ornato viro, egregio animi testimonio, in me collatas animadverto. ut qui tamen mihi conscius sim, longe me infra illas repere. Siquidem:

Metiri se quemque suo modulo & pede, verum est.

Valetudinem tuam, atque istam aevitatem, cura diligenter. Et salve. In Urbe Hispaniarum domina, IV. Kal. Aprileis, An. MDCCVIII.

IX. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano

S. D.

Mondexarem.

AD te redit *Aera Hispanica*, plena laudis, famae, gloriae. Nihil in in ea est, per Deum Fidium, quod non in admirationem nos rapiat. Summa eruditio, judicium acerrimum cum modestissima quadam verecundia conjunctum, & mira dicendi perspicuitas, cum expeditissima methodo, aptissimoque ordine. Quo nihil est in omnibus rebus, nec uti-

 lius,

lius, nec pulchrius. Quod nos monet Xenophon in *Oeconomico*, hisce verbis: ἐστὶ δ' οὐδὲν οὕτως εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις. De nostro ad te adventu nihil profecto hodie polliceri ausim. Nam Ecclestae Princeps ad Baeticam profectionem parat, indicavitque, fore sibi pergratum, si me illi comitem adjungerem. Cui ego pro ratione officii nostri deesse non queo. Immo (quod inter nos dictum sit) magni facio hoc tempore hanc occasiunculam me hinc surripiendi. Nam res Mantuanae mihi videntur tumescere. Et nescio quid sinistri hariolatur animus. Nosti quam violenta sit ac praeceps extrema necessitas. Summa inopia premit omnes. Non detondemur tantum, sed deglubimur. Legisti illud Alexandri: κηπωρὸν μισῶ, τὸν ἐκ ῥίζων ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα. Tibi satis. Igitur libenter hinc digredior. Excurremus usque ad Hispalim & Menesthei portum. Tu cogita, num quid velis. & jube. ac valetudinem tuam cura diligenter. Mantuae novae in Carpetanis. Terminalibus, X. Kal. Mart. An. MDCCVIII.

X. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano,

S. D.

Mondexarem.

G*Ades* tuas *Phoenicias*, exspectatas diu, accepi tandem a Serresio nostro. Papae! Beasti me tam illustri beneficio. Nihil est enim in quod majore cum animi voluptate propendeam, quam in indaganda antiquitatum nostratium vestigia. Hinc labor ille improbus, quem olim in Theatro Saguntino illustrando naviter impendimus. Sed retundit fortuna conatus, & rei familiaris angustia studia nostra tabescunt. Est enim id literarum genus omnium profecto πολυδαπανώτατον. Nam & peregrinari oportet, & obire regiones, & lustrare situs, & eruere rudera & contemplari monumenta. quod maximo esse sumptui necesse est. Sed (proh Dî immortales!) quanto cum foenore! Quando id igitur fortunae maleficio nobis eripitur; excurremus saltem in vastissimos illos cultissimosque eruditionis tuae campos, haerentesque lateri tuo, abstrusissimos ultimae vetustatis recessus perlustrabimus. In Baeticam non amplius cogito. Quo minus autem ad te digrediar id temporis, multa sunt quae me prohibent: quae te scire nihil opus est. Id unum, & te scire cupio, & ut

ut tibi persuadeas velim, neminem esse hominem, vel tibi addictiorem, vel qui nomen tuum sanctius colat. Vale etiam atque etiam. Data ad XIII. Kal. Junias. Mantuae novae in Carpetanis.

XI. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano, viro singulari,

S. D.

Mondexarem.

ET saepe, & maximas tibi gratias ago, ornatissime Princeps, ob *Gades* tuas *Phoenicias*, singulari humanitatis exemplo ad me transmissas. Quo scripto, ita mihi salus detur, ut nihil unquam legi, nec doctius, nec elucubratius. Quam toto opere acre judicium! quam omnia ad veritatis normam exacta! Quanta ingenii dexteritate tentatae vepres, atque e tot anilium fabularum sentibus veritas extracta! Facessant jam nostrates isti nugatores, portenta, non homines, literarum propudia, gentisque nostrae ludibrio nata monstra. Quorum insania factum est, ut res Hispaniae in eas inciderint tenebras, per quas vix gradum movere licet, nedum altius progredi. Sed immortali Deorum beneficio huic tandem malo itum est obviam, te facem extollente. Unum tamen est quod me angat in hac spe hilarioris fortunae. Illa nempe tua in scriptis edendis tarditas & procrastinatio. Qua me-hercules cunctatione, non perinde ut Verrucosus ille imperator, patriam restituis rem, sed funditus perdis. Agedum igitur (quod peto a te in majorem modum) divinum hoc opus, in quo edendo tam indormisti diu, me excitante in lucem emittito. Sin, fodicabo tibi latus. Nec orandi finem faciam, donec exoravero. Cui enim bono tot tantique a te pro patria evigilati labores, nisi te illa vindicem senserit? Quod si in hanc rem ex me tibi aliquis usus, locabo tibi meam operam, vel ad digiti crepitum. Ita me omni voluptatum genere illexisti. Disquisitione praesertim XIV. In qua post explosum τ̃ Ἡϱάκλων in Hispaniam adventum, discussamque caliginem, tum veterum, tum recentiorum figmentis, rebus nostris offusam; clarissime ostendis, verum Herculem Phoenicium nullum alium fuisse praeter Melicarthum, sive Archeleum, qui victricibus Josuae armis patria regnoque expulsus, una cum ingenti Phoenicum multitudine, post longae navigationis ambages erroresque,

superato

ſuperato freto, in Oceani Inſulam appulit, in qua Urbem condidit, cui ſermone patrio nomen indidit *Gaddir.* Ac poſt maxima edita & navitatis & fortitudinis exempla, rebus humanis functus, ibidemque ſepultus, divinos honores adeptus eſt. Quam obſervationem e penitiſſimo abſtruſiſſimoque antiquitatis receſſu petitam, jam olim protulerat Samuel Bochartus, omnium qui unquam usquamve fuerint, criticorum facile Princeps.

Quod de pyxide nautica a veteribus cognita Disquiſitione xv. literis mandaſti; coelo me beavit. Ain' vero, mi Princeps? Tu quoque in ea ſententia? Triumpho & gaudeo. Nam equidem tam id ſemper habui perſpectum, ut contra ſentientibus graviter indignarer. Nunc autem, quando obſirmaſti ſuffragio tuo opinionem meam, paratus profecto ſum, vel cum Muſis contendere. Nam obſtrepera iſthaec crepitacula jam mihi ſordent. De lato clavo multum te amamus. Dubium enim non eſt, quin ille ex Hiſpania Romam fuerit advectus. Quod argumentis tu aheneis comprobaſti. Ut jam Hiſpania noſtra, Senatoriam hanc veſtem, injuria ſibi ereptam, denuo repetat, majeſtati ſuae oppido quam convenientem. Quod ad reliquum attinet opus, omnia belle. Niſi quod interdum (pace tua dixerim) laciniofius eſt, atque extra argumenti fines excurrit. Quo immenſo rerum circumactu, dum nullum erroris finem conſpicit, legentis vires pene deficiunt. Quin egomet, qui ſcripta tua tam efflictim depereo; tam longe remotas Gades, perque tot ambages quaeſitas, ac vix repertas, exoſus; non ſemel animum deſpondi. At nihil non ſcitu dignum, venuſtum, ſingulari eruditione refertum. Fateor. Sed non minus ad ſcribentis virtutem pertinere arbitror, aliena praetermittere, quam accerſere opportuna. Scriptorum verba, ſive Graeca, ſive Latina, Hiſpanice abs te tantum produci, parum mihi videtur ex operis dignitate. Immo, ex inſtituti tui. Cum praecipuus operis cardo in eo fere vertatur, ut verba ipſa revocentur ad trutinam. De verbis Graecis, literis Latinis abs te tantum prolatis, idem judicium eſto.

Quod ad rem attinet publicam, equidem in ea ſum ſententia, ut praeſentibus malis vel vitae impendio eripi, fati beneficio imputem. Quousque jugulabimur gladio hoc plumbeo? Odi aliquorum ambitionem, & odero. quam appellat Diodorus ſapientiſſime, μητρόπολιν τῶν ἁπάντων ἀδικημάτων. Quid enim non injuriarum per haec Germanorum mancipia, debacchantisque iniquitatis ſatellites, in capita noſtra, in libertatem, in fortunas, in liberos, in ipſa denique ſacra, incubuit? Fovent enim funeſtiſſimas infenſiſſimasque nobis Harpyias:

Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis,
Quae pede glutineo quod tetigere, trahunt.

Ut

Ut cecinit olim Rutilius Numatianus. Sed de his plus forte quam pro acerbitate temporis. Unum te monere non gravabor, tot tantisque aerumnis circumventum, sapientissime Princeps. Ut quamvis omnia tibi desint, tibi deesse nolis. Erit forsitan alias respirandi locus. Quod ut facere liberius posses, excurrerem isthuc libentissime, si liceret id mihi soli. Sed adsciscendus nempe erat ὁ δεῖνα, homo plumbeus ac suspicax. Id me unice remoratum est, quo minus in amplexus tuos venerim. Quod si hac me difficultate expedieris, puta me petasatum. Franciscus Barbara te plurimum salvere jubet. A me vale. Data ad V. Kal. Quinctileis, An. MDCCVIII. Mantuae novae in Carpetanis.

XII. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE & SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano,

S. D.

Mondexarem.

VIdeo quid agas. Quod ad nostra, propius nihil est factum, quam ut ad te nullas. Cum ob solennem tabellarii festinationem, tum quod nihil erat epistola dignum. Tamen etiam vicit amor in te nostri, ut vel pusillam hanc exararem. Vel ob id tantum, ut maximas tibi gratias agerem pro misso ad me syntagmate *de prima Hebraeorum in Hispaniam migratione.* Quo me affatim ingurgitabo, interea dum *Hispanicae Origines* exscribuntur. Vale, & te oblecta quam bellissime. Ac, si sapis, quod ad res tuas domesticas, magnum fac animum habeas, & spem bonam. Iterum vale. Nonis Quinctilibus, An. MDCCVIII. Mantuae Carpetanorum.

XIII. EMMANUEL MARTINUS

Excellentissimo Principi

GASPARI MENDOZAE ET SEGOVIAE,

Marchioni Mondexarensi & Agropolitano, viro πολυμαθεστάτῳ.

S. D.

Mondexarem.

QUaeris a me quid agam, gravissimo hoc anni tempore, & latrante canicula, quae.

—— Φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι?

aestuo. &, tanquam dolium male sirpatum, undique diffluo. Ex quo fit, uti quodam corporis animique languore marceam. Utar verbis Q. Ennii:

Otioso in otio animus nescit quid quidem velit.
Incerte errat animus. praeter propter vita vivitur.

Legi tamen Dissertationem tuam *de prima Hebraeorum migratione in Hispaniam.* In qua (Di magni!) quam mihi visus es tui simillimus! Nempe doctus, diligens, veritatis indagandae sagax, ingenii solers, acer judicii. Unum est quod me vehementer conturbavit, & in maximam traduxit admirationem. Quod nimirum asseris cap. XVI. Inscriptionem illam Saguntinam, quam primus exscripsit Moses Ben-Schem Tob, nec exstare hodie, nec unquam exstitisse. In quo (pace tua dixerim) toto aberras coelo. Nam & exstitit semper, ex quo eruta fuit, hodieque exstat, humi projecta, ad ingressum arcis Saguntinae. Cujus ego rei testis sum αὐτόπτης. Lapis ipse formam refert arcae gibberae, angulis striatis. In tumore autem dorsi literae illae sunt insculptae, quarum pleraeque injuria temporis detritae. Maxima tamen sui parte superstites. Earum forma. quam invenit Esdras post exsilium Babylonicum quaque nunc temporis utimur. In fronte inscriptum exhibet Latinis literis nomen illius, qui hoc monumentum asservandum curavit. sed plane βαρβαροτάτως. Dices, Villalpandum, & Diagum, & Moralem, aliosque viros doctos, nec incuriosos, jam id olim literis tradidisse; & quidem impune. At ego speciosa ista & splendida nomina, quando res me aliter docet, non magis curo, quam testudo muscas. Veritas quaeritur, non patrocinia. Num e re tua sit in eundem lapidem, in quem illi tam supine impegerunt, tu videris. Certe, ut scite Comicus,


Pluris est testis oculatus unus, quam auriti decem.

Alter exstat Sagunti lapis Hebraice inscriptus, qui asservatur in summa Theatri porticu; sed dimidia sui parte mutilus. quadrata forma, altera facie tumidiore. In plano tamen nihil est inscriptum, sed per lapidis crassitudinem ducti versus. Vide sis, num ex hac Epigrammatum varietate orta sit illa in legendo discrepantia inter Mosen Ben-Schem Tob & Franciscum Gonzagam. Fieri enim potuit, ut alter in alterutrum incidisset. Et de his satis.


Antonii Liberalis, ejus, cujus Suetonius mentionem fecit, nihil adhuc legi. Ut studiis tamen tuis aliquid conferrem, e vestigio me deportavi ad Anissonianum bibliopolion; quae una est in hac urbe spes reliqua. Sed frustra! Dissertationem remittam ad te alias. Devoravi enim prius, nunc rumino. Valetudini tuae servi, & have. Mantuae novae in Carpetanis. Nonis Sextilibus, An. MDCCVIII.

XIV. EM-

Lapis ad ingressum Arcis Saguntinæ.



Lapis in summâ Porticu Theatri Saguntini.



XIV. EMMANUEL MARTINUS
MARIAE ALENCASTRIAE,
Excellentissimae Lavarensium Principi.

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

ACcurata meorum in te officiorum ratio flagitat, feminarum omnium longe praestantissima, ut qua te praesentem observantia prosequutus sum, eademmet colam absentem. Cum igitur mihi discedenti, pro eximia tua humanitate summaque benevolentia, acrius indixeris, nunquam te curis liberatum iri, nisi itineris a me confecti rationem literis ad te datis exploratam haberes testatamque, idcirco, ad officium plane nostrum pertinere arbitratus sum, ea ad te perscribere, quae maximam tibi voluptatem sint allatura. Nimirum, Carpetanorum me fines egressum nulla siti vexatum. Non enim te fugit, regionem esse oppidorum infrequentia, ac sterilitate soli horridam atque tristissimam, maximeque laborantem καχυδρίᾳ, vel potius ἀνυδρίᾳ. Me autem eum esse, qui aquae potui omnia posthabeam. Unde fit ut Pindaro tantopere delecter. Etsi ab Anacreonte non penitus abhorreo. Sed illud ad voluptatem pertinet, hoc autem ad valetudinem. Superata regione ea arida ac siticulosa, terrebat nos Marianus saltus, grassatorum maleficiis ac frequentioribus latrociniis infestus. Rumor enim percrebuerat obsideri viam ab iis quos Aegyptios vocant. Quare praetrepida omnia ac formidolosa. Cum igitur & ulterius progredi, objectoque periculo occurrere, parum videretur consultum; & consistere, nimis grave molestumque; cum inter spem metumque fluctuaretur, vicit tandem animi fiducia; jactaque alea conjecimus nos in saltum, quem pacatissimum experti, Illiturgim pervenimus; postera autem Cordubam. Eam diem sibi exemerat essedarius, ut domi suae cum uxore ac liberis hilarius exigeret. Est enim Cordubensis. Id igitur temporis nactus, simulque opportunum publici tabellarii transitum; nolui operae parcere. Sed quidquid hoc est literularum festinanter admodum exaravi. Cum ut observantiae erga te nostrae, tum ut amori in me tuo quam diligentissime satisfacerem. Vale, humanissima Princeps, aevique nostri flos atque ornamentum. Cordubae, VII. Eid. Septembreis, An. MDCCXI.

XV. EMMANUEL MARTINUS MARIAE ALENCASTRIAE,

Excellentissimae Lavarensium Principi

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

NUdius septimus Corduba ad te literas dedi, quibus certiorem te feceram, eo usque me satis commode tulisse itineris molestias. Reliquum est ut exponam ulteriora. Postridie igitur, quae dies fuerat A. D. VI. Eid. Septembreis, Astigin pervenimus; non incolumes tantum, sed & alacriores; propterea quod quidquid erat itineris tetrum ac periculosum, id totum feliciter confeceramus. Quod autem supererat, voluptatem potius afferebat, quam vel languorem, vel aliquam animi aegritudinem. Via enim undique Liberi patris ac Minervae opes ostentans, certamen quoddam nobis objicere videbatur sane quam jocundissimum, in quo Deae Caesiae non adeo parata victoria, ut in fabuloso illo cum Neptuno ἐννοσιγαίῳ. Cicurata denique omnia, & mitior soli facies. Postera die Carmonem tenuimus. Altera Hispalim. Quae Urbs videtur profecto mihi inopia & infrequentia civium maxime laborare. Sed haec accuratius alias. Interea nolo te illud nescire, habere me domi Bibliothecam omni librorum genere instructissimam; sed eorum scelere, quorum curae commissa est, adeo deformem, ut tinearum blattarumque vim, qua scatet atque depascitur, nec Hercules ipse depellat, qui malorum omnium est averruncator. Nec murium μυοκτόνος ille Smintheus. Infestior enim haec pestis. Magnam Librorum partem si excusseris, vastabis. Abeunt enim omnia in pulverem & arrosa frustula. Facito quidvis, dum ne evolvas. Deum atque hominum! Haeccine monstra ac propudia inter homines versari natura patitur? Ad quingenta fere volumina projicienda mihi videntur, cum propterea quod nullius sint usus, tum ut ne latius serpat ea pernicies, & morbi contagione caetera fracescant. Nunquam tibi profecto oculi valerent, si eam vastitatem videres. Praesertim cum magnificentissima sint caetera omnia, dignaque me-hercule accuratiore custodia. Loci enim nitor atque amplitudo, saluberrimus aëris afflatus, opportuni luminis hilaritas, thecae concinnitas, pluteorum elegantia insigniumque tabellarum ornatus, aspicientium animos quodam veluti fascino alliciunt ac remorantur. Uno verbo, quae ad literas pertinent, semilacera ac ruinosa, quae ad ostentationem & fastum, integra. Scilicet ea tu mente, Ferdinande Henricida, in hoc opus

opus & opes & operam contulisti. Sed de his abunde. Multa praeterea sunt antiqua cimelia totis aedibus sparsa atque abjecta; statuae, ectomae, anaglypha, columnae, inscriptiones, vasa sacrificalia. Numismata mala manus surripuit. Supersunt enim perpauca, & quidem viliora. Haec habui quae ad te scriberem paullo diligentius, Princeps πολυμαθεστάτη; propterea quod ea maxime digna visa sunt summa tua eruditione ac doctrina. Da operam memoriae nostri, & paratissimo tibi obsequio utere. Vale. Hispali, Eid. Septembribus, An. MDCCXI.

EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI

EPISTOLARUM

LIBER VI.

I. *Fr.* JOANNES INTERIAN DE AYALA

Viro eruditissimo

EMMANUELI MARTINO

εὐπράττειν.

Mantuam Carpetanorum.

MIraberis, & licet mirere, Vir sapientissime; quod homo in obscuro quodam, ut ita dixerim, terrarum angulo delitescens, neque famae vacans, neque Musis, Latinas ad te literas, immo semibarbaras, tantumque non Gothicas, plus justo fortasse fidens humanitatis tuae, dare ausim. Sed enim qui probitatis eximiae, eruditionisque nomine notus mihi es, hac profecto fuisti fidentis animi sinceritate, ac simplicitate adeundus: ita enim medius-fidius natura comparatum est, ut quo plus homines sapientia, ac solida doctrina praestent, eo magis benignitate, atque humanitate excellant, & qui minimum vel vita, vel

vel sermone peccent, iidem sint ad aliorum magis errata condonanda proclives. Itaque diu est, quod referente mihi communi amico, conterraneo tuo, Josepho Borrullio, in hac Academia Juris Civilis professore publico, honorumque Scholae meritissimo candidato, summae, quod omnes norunt, spei juvene, doctrinae, atque eruditionis tuae praestantiam, qua olim Romae, modoque Madriti doctissimorum quorumcunque hominum qui non cum vulgo sapiunt, studia, ac judicia promeruisti, incessit, fateor, animum meum honesta cupido: & ut mutuo inter nos nonnihil officii, aut literarum commercii foret, omnino, si quid unquam, in votis habui. Accessit deinde quod perlecturus Bibliothecae Hispanae Nicolai Antonii, superum fidem, qualis, quantique viri! priora volumina quae cura potissimum ac studio tuo prodierunt Romae castigatissima, in ipsa operis fronte praefationem quandam abs te conscriptam, brevem eam quidem, sed oppido elegantem multoque dicendi lumine undequaque coruscam, cum, nihil minus cogitans, offendissem, ea neque semel, neque oscitanter perlecta; fui, quod ultro fateor, erga tam diserti Scriptoris stilum judiciumque mirifice affectus. Quare ut exilitatis, & infantiae meae, cujus quidem ipse mihi sum satis superque conscius, specimen aliquod ad te transmitterem, avidus, & lubens statui; quippe qui virgae tuae severissimam censuram experiri, quam ineptorum laudes aucupari malui. Sed vero occupatiunculae, quibus hic otiosi ferme, aut, quod deterius est, nihil agentes hinc inde distrahimur, optatissimum votum protraxerant, distulissentque magis, nisi ab amico nostro certior fuissem factus, te jam pridem literulas has avidius exspectare, foreque de ineunda inter utrumque nostrum aliquali familiaritate solicitum. Obtemperandum igitur statim fuit gratissimo, atque humanissimo desiderio tuo, obsequendum & officio meo. Quamobrem, tametsi rudes, planeque illiteratas literas ad te dare, nihil distuli, in quibus certe, ut minus elaboratae, neque ad amussim exactae orationis indiligentiam tute ipse facile deprehendes, ita meam erga te reverentiam, atque observantiam testatam tibi volo, atque impense cupio: hoc unum enixe rogans, si quid animo ad obsequendum paratissimo, si quid possum officio promereri, ut me in amicorum imo & clientum tuorum numero recensere velis, quod ego, *dum spiritus hos reget artus*, ingentis in me collati beneficii loco jam nunc perinde ac voto meo fruens, libenter habeo. Vale. Salmantica, VII. Kal. Novembr. An. Rep. Sal. MDCCIIX.

II. EMMANUEL MARTINUS JOANNI INTERIANO AJALAE,

Viro Ornatissimo,

S. D.

Salmanticam.

QUum literae mihi redditae sunt abs te, eram acerbissimo quodam casu, non dicam afflictus (leve enim est hoc verbum) sed pene fractus. Obierat enim illa ipsa die familiaris quidam meus, quo nihil mihi charius fuit unquam, nihil jocundius. Qua suavissimi mihi capitis jactura ita animo concideram, ut non solum copia non fuerit legendi literarum tuarum, sed nec resignandi, nisi post triduum. Ea erat moeroris dulcedo, & libido dolendi dolorem meum. Quo accesserant, taedium calami tractandi, & ingenii languor. Vicit tamen cogitatio humanitatis tuae, ut animum, nondum satis confirmatum, ad scribendum appellerem. Ratus, singulari Dei beneficio obtigisse te mihi id temporis, Vir doctissime, quo nihil accidere mihi potuit nec exoptatius, nec ad angorem luctumque nostrum leniendum vel aptius vel potentius. Amplector equidem libenter amicitiam tuam, ad quam me perhumaniter perque liberaliter invitas, & porrigo hanc dexteram. cedo istam. Si sciens fefellero, Deum Fidium iratum habeam. Unum autem te monitum cupio, ut illam de doctrina studiisque nostris opinionem penitus abjicias, qua transversum te egit Borrullii nostri amor potius quam judicium. Nam illa epistolae tuae commendatio mei, profecto deceptum te prodit. Colo equidem literulas, & earum otio fruor. Non tam voluptatis caussa hoc tempore (quidni fatear?) quam commodi atque emolumenti. Premunt hostes, fervent latrocinia, urbium incendia collucent, arma circumstrepunt, personant catenae, totque cladibus attritorum jam populorum, ejulatus potius quam voces, aures discerpunt. Quo igitur me illatebrabo, ut impendentes omnium capitibus calamitates effugiam? In tutissima nempe literarum penetralia. Quibus nullum est in rebus humanis, nec adversus fortunae insultus paratius receptaculum, nec reparandis animi viribus praesentius remedium. Salvete ergo, iterum salvete, ψυχῆς ἰατρεῖον. Iterato vos amplector, animi deliciae, & praesidium salutis meae. Sed ad rem. Manebo in officio. Tu interim utere opera nostra, & vale. Ignosce festinationi meae. Dabo alias epistolam grandem, uberem. Iterum vale. Mantuae novae in Carpetanis, IV. Idus Novembreis, An. MDCCVIII.

III.

III. Fr. JOANNES INTERIAN DE AYALA EMMANUELI MARTINO *suo*, *Viro eruditissimo*, *S. P.*

Mantuam Carpetanorum.

CUm per dies plusculos literas a te exspectans ambigerem, num eae ipsae, quas ad te dederam ad manus tuas pervenissent, multa mecum, fateor, tacitus volvi. Sed liberavit me hac solicitudine Borrullus noster, qui obviam mihi factus (& is etiam fuit adblandientis fortunae favor) cum exoptatas diu literas reddidisset, quanto me gaudio laetitiaque exhilaravit, multis hic exaggerare, non est cordi. Sane tam accuratas, tamque eruditas literas recolens videre mihi videor Joannem illum Genesium τὸν μακαρίτην ad sui aevi homines, etiam inferioris in literis nominis, scribentem mira prorsus stili felicitate, atque ubertate. Sed de his alias: nunc, quod instat. Et quidem excessisse e vivis familiarem illum tuum jure merito ob illius in te probatam fidem, atque observantiam tibi charum in paucis, his diebus audiveram: &, credas velim, moleste tuli, atque etiam num fero. Sed vel leniendo dolori tuo, vel consopiendo desiderio idonea, quae a nobis solatia sermonis exspectes? Nempe ea ipsa quae tute ipse, Vir juxta sapiens atque pius, promptiora habes, meliusque agnoscis. Quare, ut summatim dicam; ne te isto dolore, quamquam alioqui pio, plus justo excrucies, neve defuncti, quam augurari, ac suspicari licet, felicitati videaris invidisse, per Superos omnes, per Genium tuum etiam atque etiam obtestor. Praeclare enim, judice me, cum illo agitur, cui Dei Opt. Max. beneficio conceditur, ut, quo tempore magis ipsi congruit vitae subductus casibus meliorem sui partem, veluti navim fluctibus exemptam tranquilla in statione locet; interim nostrum omnium vel jocos, vel lamenta videat. Jam quod jus amicitiae tuae mihi tam humaniter, tamque benigne ultro citroque annuis, quas habeam gratias, nullis omnino verbis complecti possum: quod vero inquis, ut de literarum, atque studiorum tuorum jam dudum animo imbibitam opinionem, existimationemque penitus abjiciam; rogari te permittas velim; serio ne dicis? aut (ut facetissimus ille Comicus) ain' vero? Atqui ego (quandoquidem abs te hoc primum in mandatis habui) fortasse facerem: sed qui possim? Praesertim, cum tuae ipsius literae, quibus id aeque eleganter ac modeste jubes, con-

contraria ut credam (quid, inquam, credam?) immo ut aperte norim, videam, experiar, plane persuadeant, & evincant. Enimvero, ut tibi posthac omnis amputetur locus quamlibet modeste contendendi; quid de me ingenue sentiam, libere exponam, & me tibi, quod ad rem attinet, graphice describam. Ego igitur, & si non satis emunctae naris criticus (quidni enim fatear?) is sum tamen, qui plurimum, ut puto, judicio, non nimis certe affectibus indulgeam. Itaque laudare utcumque scio: assentari, nescio: non vehementer autem probare quaeque optima, atque ambabus, quod ajunt, ulnis amplecti, neque possum, nec si maxime possem, vellem equidem. Tu vero, quod reliquum est institutum iter perge: &, quoniam te nonnulla vertere, tractare, commentari audio, cessator esse noli (agnoscis Tulliana verba) & illud, γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad minuendam arrogantiam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra noverimus. Erit fortasse aliquando commodior edendi, & publicandi locus, cum fluctus hi, quibus undique jactamur & premimur, non nihil subsidant. Nam nunc, quod tu prudenter doles, qui fieri queat? Fusus largiter hominum cruor, incensa oppida, populati agri, direptae domus, abacti greges, & si quae sunt his foediora, aures, atque oculos nostros misere pascunt. Ferrum, flamma, fames cuncta devastant. Quis inter haec erit literis honos? Quis edendi fructus? quodve otium? Sed affulget quandoque cum bono Deo optata magis, quam hactenus sperata pax,

——— *Dabit Deus his quoque finem*;

& Philippi Regum piissimi, adolescentumque optimi stabilito & refecto throno, quem hodie exteri hostes, &, quod horreas, interni miris modis dilacerant, tranquilliora & pacatiora succedent. Interim in hac bonae mentis palaestra impigre exerceri, nihil vetat; &, siquidem cum plerisque vivorum non admodum libet, licebit saltem versari cum mortuis. Me tui peramantem, atque cultorem, Vir ornatissime, iterum atque iterum commendatum habe; &, quod caput est, apud Deum immortalem precibus juva. Vale. Salmantica, VII. Kal. Decemb. MDCCIIX.

Has ad te scripseram, cum jamjam obsignaturo mihi venit in mentem, jussisse me quondam rude carmen, quo viri sapientis prudens otium tentavi describere. Atque illud nescio quo genio afflatus mittere ad te decrevi. Quid ita? inquis. Probandum ne? Minime. Non meretur. Ergo emendandum? Sed sero, quod proverbio dicitur, sapiunt Phryges. Ast non nimis sero: fieri enim potest, ut si hoc non penitus tibi displiceat, aut illud lima tua non dedignere, hoc ipsum aliquando cum aliis levioris opellae cum adstrictae, tum solutae orationis excursibus lucem atque editionem cogitent. Iterum vale.

CONA-

CONATUS IMITANDI
HORATIANAM ODEN

Beatus ille qui procul negotiis

Epod. 2.

Beatus ille, qui procul tumultibus,
Urbisque magnae jurgiis
Domus paternae percolit tutus lares
Curis solutus improbis.
Non Orbis ille vel vagis rumoribus
Moratur, aut curat nimis
Rescire, saevi bella quot gerant Scythae
Gelu rigentes aspero.
Aut, fervidis quot usta gens caloribus
Getulicis arvis ferat.
Non quae secretis tecta conditissimis
Arcana Regum provide
Tractant Dynastae, vel feruntur obvii
Per ora vulgi, quaeritat.
Nec commovetur, improbos honoribus
Fortuna si coelo vehat;
Vel, denegatas quando justis sors opes
Heu cocca! pravis ingerit.
Seu juris inscius Cato celsus sedet
Praefulgidis subselliis,
Sive infulatus haud merens caput Pater
Sublime coelis intulit;
Ille expetita tetricis mortalibus
Sic vota ridet, ut senes
Plerumque parvi puerulum pendunt leves
Ludos, jocosque serii.
Quid obseratas divitium pulset fores,
Aut quid potentum limina,
Qui, quos inani turbine ferunt opes
Praecelsiores nubibus,
Securus ille non magis colit, suos
Quam Rex minores vernulas?

Quid jam superbo numini manus levet,
Caecumque votis muneret,
Fortuna quem miratur his nil indigum,
Bonisque contentum suis?
Non ille mensam ferculis lautis gravem,
Ut apparet sodalibus;
Neque, ut Falerni solus ingentem amphoram,
Vel Creticum siccet cadum;
Non, ut nitentes, quos potentibus scyphos
Urbs clara mittit Adriae,
Nec splendidum, quod fabricant Seres lutum
Pictis figuris nobile,
Quae condat ille fulgidis in scriniis,
Vel intimis conclavibus:
Non Indicis, ut ebenicas spissis trabes
Ostentet ille dentibus:
Non signa, docti Mentoris solers opus,
Myronis, aut senis Scopae:
Non quae periti vividis coloribus
Aulaea texunt Belgici;
Nec quidquid aegras plurimum mentes beat,
Et lubricum juvat genus,
Foecunda saepe jam malorum semina
Habere, permisit Deus.
Vitae sed ipsi, quo satis fiat, manus
Dedit benigna Numinis.
Namque, ut vetusto robore incandens focus
Brumale frigus arceat;
Et cum rubentes percoquit messes Canis,
Umbra morari frigida;
Cibis vel unde sumpserit frugalibus
Fessis levamen viribus;
Sed, & tegendis quod decenter artubus
Sufficerit, atque id genus
Donavit illa, quae optimum servo patrem
Donare frugi, condecet.
Meliora quin his ultro large credidit
Benigniori numine:
Aequabiles videre perpetim dies
Cursu fluentes libero.
Noctesque, nullis ingruentibus breves
Curis molestis, ducere;

Sive

Sive eruditas miscet inter fabulas
Sermonis exculti sales,
Sive, hoc amicis interim petentibus,
Severiora differat;
Et, queis Eois finibus turget mare,
Utcumque fluxus explicet;
Aut, quae trahendi lapidis insit vis Polo
Magnetici miris modis;
Solerter aut si corporum consideret
Capaciores angulos
Egisse nihil erit, quod ipse poenitens,
Die peracto, computet.
Haec inter, ut per omne mentibus placet
Cultu, atque voto simplici;
Levare puras ad Deum piis manus
Nullo madentes crimine!
Cur non, & opibus praeferat regalibus,
Gemmis vel ipsis Persicis,
Haec, cui, praealtis ut negata Regibus
Haberet, indulsit Deus?
Sic ubi locutus competitor Helvius,
Jam pene factus Stoicus,
Vulgi furentis (vota quae mortalium!)
Prensare currit dexteras:
Et, quam reliquit candidam Idibus togam,
Avet Kalendis sumere.

IV. EMMANUEL MARTINUS JOANNI INTERIANO AJALAE,

Hebraicae Linguae professori, viro doctissimo atque optimo,

S. & amorem

Salmanticam.

CUjus erga me tam praeclarum afferunt testimonium ponderosae tuae literae, plenae humanitatis, officii, consilii, leporis. Quibus omnem animi angorem, omnemque acerbissimi luctus moestitiam ac doloris sordes, veluti adhibita spongia detersisti. Cave igitur ne putes, ea me amplius offusum moeroris umbra.

Ἀχλὺν δ᾽ ἄυ μοι ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν ἕλες ἣ πρὶν ἐπῆεν.

Ut Minerva Tydei filio. Quod mones, ut iter inſtitutum teneam, & lucubrationes, quibus multum jam operae, ſtudii, laboris, impenſum eſt, viriliter urgeam; recte quidem & ſapienter mones. Et certe quantum in me eſt, nec polypus ſcopulo magis affixus, quam ego πολυμαθεστάτῳ illi Homeri enarratori Euſtathio. Sed (heu!) avellunt ſaepe ab ejus amplexu invitum ac reluctantem foediſſimi temporis teterrima ſimulacra, reique, qua privatae, qua publicae, deformis adſpectus. Amant hercle ſeceſſum literae, ſed procul ab armorum fragore, ac Bellonae inſanientis fremitu. At in hac, non dicam civili diſcordia, ſed domeſtico animorum diſſidio, quis tandem tutus eſſe poteſt receptus? ubi quadruplatorum calumniae liberorum hominum capitibus impudenter inſultant, ubi inſontis nomen deferre, fides appellatur, ubi ſordidiſſimi balatrones ac proletarii, viris, & generis nobilitate, & integritate morum conſpicuis, per ludibrium periculum oſtentant, & in eorum famam atque fortunas impune graſſantur? Quid igitur exoptes in hoc publico tumultu, metu, trepidatione, niſi vitam doliarem? Tamen (quo magis mirere) quo pacto mihi licet, κυλίω κἀγὼ τὸν πίθον, meumque penſum (ut Bacchis illa Plautina) lepide accuro. Si minus alacriter, ſaltem diligenter. Quid faciam.

Ζῶμεν γὰρ ὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ᾽ ὡς δυνάμεθα.

Curae tamen mihi uſque erit, ut memoria apud me monitorum tuorum nunquam obſoleſcat: quodque dolichon ſponte mea ſatis concitatus currebam, te calcar addente praetervolem. Dormi in utramque. Non enim fallam opinionem tuam. Sed heus tu! Num te praeterit, quam ſit vaſtum, quam immenſae navigationis, pelagus illud Euſtathianum? Connitar tamen ut portum capeſſam. Quem ego diem ſi videro!

Lecta eſt a me & ſaepe & diligenter, Ode tua Horatiana. Di immortales! Quam elegans, quam culta: & ad priſci aevi candorem, majeſtatemque. Numeri apti, ſponteque fluentes, dictio caſta, orationis ſtructura aperta atque concinna, ordo venuſtus, poetica lumina ſplendore ſuo legentis aciem praeſtringentia. Male mihi ſit, ſi aliter ſcribo ac ſentio. Dum Horatiana veſtigia premis, pene obliteras. Quin igitur pergis in hac palaeſtra, mi Jane? Excute, amabo te, iſtam ſocordiam; ac Muſas, Hiſpania noſtra tam diu extorres, denuo revoca. Interim vero aliud hujuſce carminis exemplar ad me quantocyus, quod amico cuidam mittam. Borrullium in oculis fero, eximia doctrina, ſummaeque modeſtiae ac virtutis adoleſcentem. Quem ſalvere jubeo. Teque opera noſtra uti, abuti. Vale. In Urbe Hiſpaniarum domina, VI. Eid. Decembreis, An. MDCCVIII.

V. FR. JOANNES INTERIAN DE AYALA

Viro integerrimo, eidemque doctissimo,

EMMANUELI MARTINO *suo,*

S. P.

Mantuam Carpetanorum.

Literae tuae pergratae mihi fuerunt, quibus longiores reponere visum erat. Sed temporis angustiis presso, ut id in opportuniorem occasionem differam, peto a te, modestus exactor ignoscas. Quoniam vero illud abs te mihi in literis mandatum habeo, ut scilicet exemplar aliud carminis illius (scis de quo loquar, & vero, quae tua est humanitas, assuescis meas esse aliquid putare nugas) ad te quantocyus transmittendum curem, in hoc tibi aeque gratus, ac lubens obsequor, futurus alias tuae in me, meaque benignissimae censuraene dicam, an laudis? uberiorum gratiarum actor. Interim ut jam propinquantia sacratissimi Natalis festa (pure enim hic, quam Latine dicere, quidni malim?) tibi quam felicissime contingant Deum immortalem veneratus simul atque iterum precor. Vale. Salmantica. Postrid. Eid. Dec. MDCCIIX.

VI. EMMANUEL MARTINUS JOANNI INTERIANO AJALAE *suo*

S. D.

Salmanticam.

Et amor egregius in te meus, & praeclara tua mutuo in me merita, jure optimo solemne hujusce temporis officium a me reposcunt. Scin' quale? Deum immortalem multa venerari, ut haec sacra aeterni Servatoris nostri γενέθλια laeta tibi contingant atque hilara, ut nihil tibi eveniat nisi optatissimum. Denique (utar Ennianis) uti Deus te *sospitet superstitetque.* Quod omnibus votis exposco. Dummodo enim nobis salvis esse liceat, & otiolo hoc literario quali quali frui; caetera pedibus trahantur, pluma haud interest. Cura igitur utrumque: & ut prospere valeas, & ut lateas honeste. Hygeia atque Minerva propitiis. Haveto. Mantuae novae in Carpetanis, ipsis Opalibus, An. MDCCVIII.

De

De Carmine ad me misso, multum te amo. Borrullio plurimam a me salutem imperti. Felix quoque Palatinus (si modo isthic versatur) πολλὰ χαιρέτω. Homini Graeco Graeca salutatio.

VII. EMMANUEL MARTINUS
JANO INTERIANO AJALAE,

τῶν Θεολογουμένων, Hebraicaeque Linguae professori, viro singulari,

S. D.

Salmanticam.

AMabo te, mi Jane, perge hac scribendi pangendique alacritate, animumque nostrum felici ubereque illa tua vena perfunde. Abjice vero eas nugas de Orbilii ferula, & desine, pene dixi: ineptiarum. Sic enim habeto. tanti apud me esse tua carmina, ut vel nomen nostrum in iis inseri, in loco maximi beneficii deferam. Auguror enim (si quid video) non defore illis apud posteros suam dignitatem: dummodo excutias insigne illud exscribendi fastidium, in quo te esse ajunt mortalium omnium (si me unum excipias) longe ignavissimum. Quo enim illae tuae schedulae? quae lituris ac maculis vel Dionysii tyranni animum superarent, quem vocat Plutarchus βιβλίον παλίμψηστον, ἤδη μολυσμῶν ἀνάπλεων. Igitur non dici potest quam flagrem desiderio proximarum literarum. Quod ad Epistolarum nostrarum editionem attinet, idipsum tu mones, quod in animo semper habui. Interserere nempe interdum aliena nostris. Habet enim nescio quid blanditiarum ac venustatis ea παρεμβολὴ, dum varietate dictionis, perpetuus ille similis structurae ac characteris tenor abrumpitur. Quare, si me amas, non tantum a te peto (leve enim est hoc verbum) sed flagito, ut institutum hoc nostrum pro viribus adjuves, operisque nitori, ornamento, dignitati, aliquo amicitiae nostrae monumento consulas. Nihil est enim quod ego malim. Quod jure tamen optimo abs te postulo, quando

Favitorem te mihi, amicum, amatorem puto.

Quae admones de nummis adulterinis, veriora quidem sunt τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Nulla enim est provincia, in qua magis grassatae fuerint, cumque majore literarum pernicie veteratoriae artes. In quibus praecipue excelluit, nobilissimus ille Patavinus παραχαράκτης Joannes Cavinus. Sed heus tu, credin imponere nobis posse eas offucias? Haud quidem aliter, ac si intermisceas piperi muscerdas. Sed nolo tibi amplius obstrepere, Musam-

que

que tuam (ut veteres loquebantur) obacerare. Itaque modum faciam, antequam mihi illud Alexidis impingas:

> —— σοῦ δ' ἐγὼ λαλιςέραν
> Ὀυ πώποτ' εἶδον, ὄυτε κερκώπην φίλε,
> Ὀυ χίτλαν, οὐκ ἀηδόν', ὀυ τρυγόν' ὀυ τέττιγα.

Vale, Interiane mi, καὶ εὐτύχει διὰ παντός. Salveat a me Borrullius noster. Iterum vale. Mantuae novae in Carpetanis, V. Eid. Apr. An. MDCCX.

VIII. Fr. JOANNES INTERIAN DE AYALA EMMANUELI MARTINO *suo*,

Decano Alonensi,

Viro ornatissimo eidemque doctissimo

S. P.

Mantuam Carpetanorum.

Quandoquidem a me multum, diuque literas Latinas efflagitas; imo vero, quod meae erga te observantiae verbum magis congruit, jubes, atque imperas; en illas. Sed cave, obsecro, ne futilia, & levidensia haec cum tuis solidis iisque excultissimis, atque elaboratissimis operibus conferas. Quamquam enim non admodum acuta mentis acie, subactoque judicio opus sit, ad utraque discernenda, aera scilicet a lupinis, sive ut tuo festivissimo verbo utar, piper a muscerdis; tamen hoc ipsum mihi, vel timorem ingerit, vel pudorem auget, quod nempe ea ad te transmittere ausim, quae non tantum politissimae limae tuae censuram non subeant, sed ne conspectum quidem ferant. At in iis serio dijudicandis, atque ad amussim tuam oppido rectissimam exigendis, ubi pleraque offenderis a prisca illa dictionis elegantia, ac sermonis puritate longius abeuntia; memineris, Vir admirande, nos eos esse, qui primum tricis, & argumentationibus, quandoque etiam & cavillationibus philosophicis, atque Theologicis excutiendis aetatem contrivimus; eos deinde, quibus his demum in partibus, atque hoc saeculo nasci contigit, queis Gothissare, & tertio quoque, quod ajunt, verbo rusticum quid, atque allium, & stivam olens oggannire jam dudum in deliciis est: non eos autem, quales tu, &, si qui sunt, similes tui, quos fortasse διὰ τὴν Πυθαγορικὴν παλιγγενεσίαν redivivos Hortensios, ac Cicerones nomino. Sed de his alias: nolo enim demissioris quam par sit, atque abjectioris animi (quod pessimum

me judice jactantiae genus est) ostentator videri; quippe qui probe norim, teneamque illud: μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. Age vero, mi Emmanuel, & quoniam editionem doctissimarum epistolarum, quam primum prodituram spondes, ut hanc Spartam pro viribus exornes, & exspectatam editionem urgeas, multis te meis precibus hortationibusque exoratum volo: non deerunt certe versiculi mei, non tam tibi commendationem, quam sibimet, quod tam spectabili loco legantur, famam, & posteritatem allaturi. Sed quoniam huc sensim devenimus, id te latere nolui, quod scilicet cum ad me per virum eximiae dignitatis, atque auctoritatis transmissa nupercule fuissent carmina quaedam, Hispani nominis existimationi censui (disce interim hinc, quo loco sint res nostrae) quoquo modo consuli posse, si quaedam alia veluti τὸ ἀντίδωρον statim reponerem. Quo minus autem eadem tibi transmittenda curarem, dubitavi nihil; siquidem tibi sat scio fore placitura: tibi, inquam, qui non quidem meis versiculis, sed magicis nescio, quibus atque Thessalicis carminibus incantatus, qualiacumque nostra non vehementer probare nequis. Habes jam a me epistolam, non admodum excultam, sed ut tute vides, satis longam: & quidem plura tacui: quod enim me appellas, mortalium omnium si te unum excipiam ignavissimum; habebam, ne dubita, quid regererem. Sed praetereo etiam haec, ut quae hoc maxime tempore homini Theologo, etsi nullius nominis, minus congruant, contentus illa tantum reponere quae viro magno elegantissime rescripsit is qui κατ' ἐξοχὴν Theologus audit: σὺ μὲν (inquit) σκῶπτε, καὶ διάσυρε τὰ ἡμέτερα, εἴτε παίζων εἴτε καὶ σπουδάζων. οὐδὲν τοῦτο πρᾶγμα. μειδία μόνον, καὶ παιδεύσεως ἐμφοροῦ, καὶ τῆς φιλίας ἡμῶν ἀπόλαυε; &c. Borrullius noster valetudine fruitur, ejusque fraterculus Vincentius, tametsi honestissime, atque incorruptissime vivens Graecatur strenue; imo si dici licet pergraecatur: utriusque autem fratrem Joannem Baptistam J. C. quocum isthic amicitiam inii gratissimam, per literas (quod fortassis omittere non debui) salutare praeterii: tu mihi ab eo noxae hujus veniam apprecare, & ut plurimum salveat jubeto. Joachimum autem Ciceronianum nostrum cur memorem? Scit ille profecto quam ejus amicitia, & consuetudine nil jucundius, nil sanctius habeam. Vale, aut si Graece mavis, homo Graecissimus ἔρρωσο, & nos, quod facis, indesinenter ama. Salmantica, XVI. Kalendas Majas, MDCCX.

IX. Fr. JOANNES INTERIAN DE AYALA EMMANUELI MARTINO *suo*,

Decano Alonensi, viro ornatissimo, atque doctissimo,

S. P.

Mantuam Carpetanorum.

MEnsis, ut puto, unus atque alter integer est exactus, ex quo tibi a me literae Latinae sunt redditae: Latinae, inquam, si tamen Latinae dicendae sint eae, a quibus immane quam absit decor ille Latinitatis, qui tibi, vel nolenti, vel aliud quippiam cogitanti sponte se offert, nobis ne conantibus quidem obtingit. Sed de his alias. Interim hoc queror, & de hoc tecum amicissime expostulo, quod scilicet tam diu tibi exspectationem meam ludificare, atque frustrari libuit: & cum ego propediem sperarem futurum, ut a te haberem epistolam sat bene longam, tu tamen otione deditus, an negotio, non satis scio, tot jam elapsis dieculis rescripsisti nihil. At tu, inquis, mi Jane, rerum ac rationum mearum, immo casuum quibuscum jactari & conflictari coactus sum, videris esse nescius, qui me nugas non agere quiriteris, & leviora ista a me tali in tempore magnopere requiras. Non sum equidem, mi Emmanuel, non sum; sed quoniam horum omnium quaecumque tandem illa sunt, unicum levamen, & perfugium doctrina, & eruditio est; verum enim si quidquam aliud est, quod scilicet

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

putaram fore ut his indulgens, & te quoad posses, tumultibus subducens, vel aliquid commentando, vel ad amicos scribendo levarere.

Urgebis porro, si me audies, doctissimarum epistolarum editionem, qua certe Hispani nominis existimationi, si quid auguror, consuletur: ac propterea ego, qui hanc quibusque possim modis, ac conaminibus promovere, supra quam dici potest in votis habeo; ut nihil de ista intentione remittas, & institutum iter quam primum absolvas, suasor tibi, atque hortator perpetuus ero. Ne quid vero, quod ad rem attinet, a nobis officii desideres, en hendecasyllabos ad te mitto, qui editioni praefigantur, non tam ingenium eruditionemve, quam affectum animum, immo judicium erga te meum sincere & candide testaturos. Qui si minus gravitati, atque eruditioni tuae probentur, quod in primis ego vereri possum, qui probe norim,

——— *Quam sit mihi curta supellex*;

tuum erit, aut eos plurima castigatione emaculare, aut quod promptius est, ineditos, & carie obsitos tineis, atque blattis edendos relinquere.

Nos, quod scire fortasse velis, & satis commoda valetudine utimur, & literis, quoad possumus, vacamus: tu, ut eodem beneficio fruare majorem in modum exopto: vellem quippe, si tamen per rationes & fortunas tuas liceret, te ab istis turbis, ab istisque negotiis longiuscule semotum in tuto aliquo, honestoque, ac dignitati tuae congruo secessu res tuas, hoc est, literas, ac doctrinam agere, tibique uni, immo nobis, orbique literario vivere, ac Philosophiae. Alioquin quis homini literato laborum scopus? Quis studiorum fructus? Sed de his etiam hactenus; nolo enim homo, qui sim professione Theologus, & quod fateri libet, addictus choro, quod proverbio tamen effertur, ἐκτὸς χοροῦ ὀρχεῖσθαι. Tu si quid a nobis officii, si quid obsequii exspectas, me certiorem facito: experieris me tibi neque obsequio, neque officio unquam defuturum. Vale. Salmantica, IV. Eid. Maj. MDCCX.

In doctissimarum atque elegantissimarum

V. CL. EMMANUELIS MARTINI.

Epistolarum Volumen.

Divae Castalides, parens Apollo,
Suadelae Charitis tenor venuste,
Heros Celtiber, ipse qui revinctos
Disertis populos trahis catenis,
Facundissime Mercuri, beatis
Et si quid superis nitens in aulis
Aures cantibus adficit Deorum;
Huc, huc, vos precor, huc adeste cuncti:
Majus, credite, majus, & beatis
Forsan quod superis probetur aulis,
Ut magis placitum, magis venustum
Vestris vocibus audietis. Hic est,
(Quam notus nimis ipse, quamque vobis
Mellito eloquio satis propinquus!)
MARTINUS Turiae decor leporque,
Gentis gloria nec secunda Iberae:
Graecis qui simul unus & Latinis

Intinctus

Intinctus salibus facetiisque,
Graece tam bene dicit & Latine;
Jure ut hic merito putetur unus,
Aut ex Cecropio satus parente,
Aut per tempora Caesaris togati,
Urbis libera cum foret potestas,
In orbis domina creatus Urbe.
En ut provocat eminus remotos
Gratis Hercule literis amicos
Excultis pariter, laboriosis,
Urbanis quoque, candidis, facetis,
Doctis, dulcibus. Eruditiores
(Aras Di superi fidemque vestram!)
Roma non Cicero dedit, nec ipsi
Scripsit Atticus eruditiores.
Nam multos ego non moror recentes,
Quos etsi nimium putem disertos,
Jam, me judice, longius reliquit
(Ni me judicium nimis fefellit.)
Post se, quam celeres equum columbae,
Quam milvos aquilae, ferasque milvi,
Quam cursu ante alios per arva primi
Communes homines eunt gigantes.
Ergo carminibus potens Apollo,
Et tu stelliferae minister aulae,
Interpres Superum, quid invidetis
Doctas divitias? favete terris,
MARTINUMque diu precamur omnes
Vestro munere sospitem fovete.
Namque & conciliis sedebit olim
Vestris forsitan, & (magis benigni
Si quas terrigenis dabunt honestis)
Conscripturus Epistolas Deorum,
Dignas quae superis cadant ab astris.

 X. EM-

X. EMMANUEL MARTINUS JANO INTERIANO AYALAE,

Amoenitati suae

καὶ τῷ Ἀττικῷ μελιττίῳ,

S. D.

Salmanticam.

Quasi vero non ad aures tuas pervenerit infortunium nostrum domesticum, ita mecum tricaris, quod a me nihil ante duos menses literarum. Adeone me levi molestia aspersum putas, acerbissimo ac dirissimo hoc casu, ut crimini ducas intermissa interim a me literarum officia, jocosque (pene dixeram nugas) explosos? Jacebat clarissima domus in maximo luctu ac moerore, lurido squalore miserabilis, atque ultra funus ipsum atrata. Ergone ludendum mihi uni erat in hac rutuba, nec dolendum dolorem meum? Ad haec volvebam animo, quam in lubrico positae sint & spes hominum & fortunae, earum vicissitudinem, iniquitatem temporum, insanam nocendi libidinem, subrostrariorum hominum in bonos atque honestos grassandi licentiam. Pungebat me denique cogitatio vitae innocentissime a me actae. Quam ego integritatem atque innocentiam omnium flagitiorum instar ducebam; quando non tam in ea adversus maleficos praesidium, quam aptissima hoc tempore maleficiorum illecebra. Sed de his, nimis fortasse quam pro conditione temporum. De editione epistolarum dabitur fortassis opera quam primum optatissima Irena nobis affulserit. Nisi obstat cunctatio mea. Praestat enim sero in lucem emergere, quam nunquam. Nosti illud: ἡ κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει. Vereor praeterea, ne post tam longam exspectationem nobis occinant anapaesticum illum:

Ὤδινεν ὄρος, τὸ δ' ἔτικτε μῦν.

Quod si quid in iis Latini candoris ac venustatis, ut tibi videtur; quid id tandem ad hirta & intonsa Hispanorum studia, eorumque mucidas quaestiones atque σαπρὰς? Quibus una literarum via: quae ducit πρὸς τὰ ἄλφιτα? Nonne igitur pro quantula illa cumque gloria, fama, existimatione, summum dedecus referam, cum maxima ignominia conjunctum atque ludibrio? Et (quod soricibus accidere solet) meo ipsius indicio peribo? Quod extremae profecto esset amentiae. Mitto Graecorum characterum inopiam, caeterorumque καλλωπισμάτων, quibus prorsus destituuntur strigosa nostra-

noſtratium τυπογραφῶα. Haerendum ergo, donec meliora ſuccurrant, augurali illi formulae: *Non addicunt aves*. Quod Hendecaſyllabos ad me miſeris, id mihi pol, ne mentiar, jocundiſſimum fuit. Quidni, cum omnes lepores, omnes veneres, omnes denique Romani ſermonis facetias, in eos confluxiſſe videam? Id nimirum eſt quod tam impotenter tantoque opere deperibam:- inſigne iſtud judicii tui teſtimonium, quod mutui inter nos amoris ac benevolentiae nobis eſſet pignori, poſteris autem monumento. Auguror enim (ſi modo literis ſuus conſtabit honos) memoriam nominis tui fore ſempiternam, nec ullis unquam aevi injuriis interituram. Quis enim majora ſecum adtulit ornamenta demulcendae ac demerendae poſteritati. Quicquid reconditioris ſupellectilis Muſarum habent cimelia, quicquid & θεωρητικαῖς & humanioribus conſignatum eſt literis, quicquid celat abſtruſae eruditionis atque elegantiae ἡ ἔξωθεν παιδεία, cuncta tecum adfers, felici quadam ingenii dexteritate, rerum copia, orationis venuſtate. Sed volo conſulere modeſtiae ac pudori tuo: ne dum amore provehor, ac meritis laudibus indulgeo, moleſtiam tibi afferam, ruboremque ſuffundam.

De ſeceſſu noſtro literario, recte quidem mones, & pro dignitate, ſimul atque per rationes ac fortunas licebit, valebunt otioſa haec negotia, atque aulicae nugae: voſque amplectar ſanctiſſima Quietis ac Solitudinis ſimulacra. Quae ſi mihi χωρεῖ κατὰ νοῦν, unum illud votum deferam ad aras:

Ὦ πότνι Εἰρήνη παράμενον τὸν βίον ἡμῖν.

Habes, mi Jane, (quod te jam olim exſpectaſſe ſcribis) Epiſtolam ſat bene longam. Quid? Videorne tibi ſatis eſſe garrulus? Volui nempe cumulatiore menſura acceptum reddere. Si modum praetergreſſus ſum, hoſtorio cumulum dirue. Neque enim honeſtum mihi viſum eſt, reperiri aliquem me verboſiorem. Cura ut valeas. &, ſi aliquis uſus, opera mea utere, abutere. Mantuae novae in Carpetanis, VIII. Kal. Quinctileis, An. MDCCX.

XI. Fr. JOANNES INTERIAN DE AYALA EMMANUELI MARTINO *suo*,

Decano Alonensi,

Viro ornatissimo, atque doctissimo,

S. P.

Mantuam Carpetanorum.

CUm non jam tantum dies plusculi, sed (quod fateri piget, ac pudet) multi etiam menses, annique aliquot abierint, quibus nullae prorsus vel tuae mihi, vel tibi meae literae sint redditae, scin, mi Emmanuel, quid dieculis hisce intra me tacitus cogitarim? Scilicet aut nos prorsus incognitos nunquam omnino invicem, vel absentes per literas, vel verbis humanissimis coram praesentes salutasse, aut postmodum intestino aliquo (avertant vero id omen Superi, malorumque Hercules depulsor) novercali, & plus quam Vatiniano odio vixisse disjunctos; aut denique alterum ab altero quam longissime positum tam inter se dissitos incoluisse terrarum angulos, quantum orae Magellanici freti distant ab Islandia, veterum, si placet, Thule, sive etiam ab aliis telluris finibus, si qui remotiores sunt, magisque subjecti Scythico cardini,

Tardat ubi lentas Parrhasis ursa rotas.

Horum vero cum nihil sit; qui fieri queat, mi Emmanuel, ut ego qui te, nam libere dicam, impense colo, qui genium tuum, mentem, doctrinam, ac vix verbis ullis effabilem πολυμαθίαν istam effuse diligo; imo (nam lubet dicere) efflictim depereo; desiderium meum diutius tolerem, quin abrupto importuno silentio, quoquo modo expleam, aut fallam potius aviditatem tecum saltem per literas colloquendi?

Quare age, Vir doctissime, per ego te omnes superos precor, hortor, obtestor, excute veternum istum, abjice desidiam; & me humanissimis, iisdemque lectissimis tuis literis bea. Non ulla mihi dies gratior affulget, non ulla fortunatior, quam ea, qua ad manus meas illae pervenerint, non semel aut iterum, sed decies, aut centies forsitan lectitandae. Ita quippe me afficit stili tui urbanus lepor, & concinna gravitas, & decora majestas, ut literas saepissime tuas suspiciam non tanquam ab homine dictatas, sed veluti delatas, aut propemodum delapsas a numine. Adblandiri me existimas atque Ulyssis in morem κηρὸν τοῖς ὠσὶν ἐπαλείφεις? Apage: ita sentio,

ſentio, mi Emmanuel, ita prorſus: & ſi ſecus, Divi me omnes, Divaeque perduint.

Contubernalis olim, atque amicus etiamnum meus, Antonius a Turrecremata, vir eſt, (imo vero juvenis, nondum enim trigeſimum annum, ſi bene conjector attingit) & literis haud mediocriter deditus, & morum integritate ac gravitate canus: is porro tibi has literas reddet; idque ipſe (quae illius eſt erga me benevolentia) honori ſibi ducet, ac pretio. Tu illum obſecro benigna iſta tua, atque humaniſſima comitate bonus amplectitor: & quantum per tempus, occupationeſque tuas licuerit, ſecurus interroga; idem enim te de rebus meis certiorem faciet; & qua ratione palaeſtra, atque ſchola longum valere juſſis, hic habitem, idem ipſe tibi fidus enarrator aperiet. Excipe itaque illum, amabo te, in tuam amicitiam, & quidquid in eum officii atque operae impenderis, mihi acceptum velim exiſtimes. Vale. Mantua in Carpetanis, VII. Kalend. Martias, vel, ſi id dici pateris, ipſis Terminalibus. An. Rep. Sal. MDCCXIV.

Exſcriptor atque Amanuenſis meus, qui te ſaltem nomine refert, teque aliquando noſſe ſummis etiam in votis habet, non ita pridem hujuſmodi operae intentus erratula, ut vides, aliquot imprudens admiſit, quibus tu, bonus aequuſque cenſor facillime ignoſces. Iterum vale.

XII. EMMANUEL MARTINUS JANO INTERIANO AJALAE,

In Academia Salmanticenſi Profeſſori emerito,

S. D.

Salmanticam.

ANtonius Turre-cremata tuas mihi literas reddidit, plenas humanitatis, officii, benivolentiae; &, ſi quid ad rem pertinet, leporis etiam ac venuſtatis. Laudo equidem ſtudium tuum & deoſculor, mi Ajala, quod jam in hac Baetica triennium agens, nec memoria tibi nec animo exciderim. In quo, ita vivam, id accidit, quod fuit mihi ſemper quam optatiſſimum, frui nempe commercio literarum tuarum, & ſuaviſſimae conſuetudinis tuae. Sed corruperat mea vota fortuna, dum in extremas Baeticae oras me compulit, & Oceanum εὐρυρέοντα: quo me detulerunt domeſtica quaedam mandata Principis Alcalaei, quibus exhauriendis totum pene jam biennium inſumpſi. Nec de reditu meo quicquam adhuc habeo comperti, vel quando me extricabo, ut liceat tandem ἄψ ἀπονοστήσειν. Sed

heus tu, fac ne existimes, vetera mea studia, mores, naturam exuisse, ac tabido inertique otio languere. Si quidem id censes, haud bene me nosti. Ita tempore utor, ut nec muneri meo desim, nec genio. Quod superest, nummis veteribus codicibusque exquirendis impendo. Nec irrito labore. Quippe nummorum magnam copiam congessi, Romanorum, Graecorum, Punicorum, Hispanorum prisci aevi. Codices porro manu exaratos nactus sum aliquot, quorum unus Aristophanis continet Comoedias, manu vetusta & eleganti, adjectis ad oram Scholiis nondum editis. Alter antiquorum Rhetorum selectas orationes, ut Demosthenis, Aristidis, Hemerii, Hyperidis, Libanii: cui adjectae sunt, Philostrati Vitae Sophistarum, & Platonis Gorgias. Videtur autem hic Codex fuisse olim Nicephori Gregorae, ut ostendit ejus chirographum in interiore tabula hinc inde scriptum. Quo etiam nomine permagno a me aestimatur. Exhibet alius Aretaei Cappadocis περὶ ὀξέων νόσων. Rufi Ephesii περὶ ὀνομασίων τῶν τοῦ σώματος μορίων. Non quidem inepte ac jejune, ut Grammatici solent; sed laboriose & ἐξελέγχως. Fuit enim professione medicus. Nec praetereundus est Manuelis Atramytteni Liber Θεοσοφίας, in quo vaticinationes Sibyllinae ad Christi adventum, ejusque salutiferam legem pertinentes, cum divinis oraculis componuntur παραλλήλως. Te tandem clamosae scholae, & literario pulveri subduxisse vehementer gaudeo. Nam ut viribus integris ac florente aetate juventutem instituere honestissimum duco; ita per omnem aetatem idem versare dolium aerumnosissimum. Navanda aliquando opera est rebus nostris, & in portum deducendus animus longa navigatione fessus, ac diuturnis laboribus defunctus. Turre-crematam tuum, immo jam meum, in oculis fero. Est enim juvenis eximia probitate ac modestia, ingenio vegeto acrique, apprime doctus, ac omnibus optimis artibus ornatus. Quare ejus consuetudine magnopere delector, ipsumque non minus diligo quam tu: pene dixi quam te. Quandoquidem talem ille se praestat imitatione tui. Borrullii fratres aveo scire quid agant, ubinam gentium agant. Tu interim utere opera nostra, nos amantes redama, & cura ut valeas. Hispali, XIV. Kalend. Aprileis, Ann. MDCCXIV.

XIII. EM-

XIII. EMMANUEL MARTINUS JANO INTERIANO AJALAE *suo* ἰσοπράττειν.

Mantuam Carpetanorum.

VErum esse illud: ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃς, his profecto diebus expertus sum. Nam cum nihil esset a me alienius, praesertim id temporis, quam Musas lacessere; eo me furoris, vel potius insaniae perpulere, & splendidissimum exemplum, & aemulatio tui, ut subitus in earum adyta irruperim. Quoniam igitur te Bilbilitani nostri urbanitate ac facetiis apprime delectari, facile deprehendi; hujus Epigrammata quaedam δίστιχα, praeter unum ἑξάστιχον, hoc triduo, animi laxandi gratia, quasi ludibundus Graece converti, quos adjunxi aliquibus jam dudum a me exaratis, cum ut ne nihil agerem, tum ut voluntatem tuam sponte sua in me devexam ac pronam, hoc munere arctius devincirem; tum denique ut tam luculento exemplo te jam diu torpentem excitarem, & acres illos igniculos elicerem, quibus inflammatus, loca petere consuesti nullo unquam violata vestigio. Tibi interim has nugas, si minus arriserint, jus esto, ὑγραῖς σπογγίαις βολαῖς delere, vel, si mitius agere velis, ὀβελίζειν. Vale, & te oblecta, quam bellissime. Ex Museo nostro, VIII. Kal. Decembreis, An. MDCCXV.

Ex Martialis Lib. 3. Epig. 8.

THaida Quintus amat. Quam Thaida? Thaida luscam.
Unum oculum Thais non habet, ille duos.

Θαΐδα Κοΐντος ἐρᾷ· τίνα Θαΐδα; Θαΐδα ἀλαίαν.
Τῇδ' ὀφθαλμὸς ἕεις εἴλλιπε, τῷδε δύω.

Lib. eodem Epig. 9.

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

Εἰς μὲ γράφειν φθονερῶς λέγεται λάδ' ἐπύλλια Κίννα.
Οὐχὶ γράφει, οὗ μὴν γνώσεται οὔτις ἔπη.

Ex Lib. eod. Epig. 26.

Praedia ſolus habes, & ſolus Candide nummos:
Aurea ſolus habes, murrhina ſolus habes.
Maſſica ſolus habes, & Opimi Caecuba ſolus:
Et cor ſolus habes: ſolus & ingenium.
Omnia ſolus habes: hoc me puto velle negare:
Uxorem ſed habes, Candide, cum populo.

Κτήματα μοῦνος ἔχεις, καὶ μοῦνος, Κάνδιδε, νούμμους·
Χρύσεα μοῦνος ἔχεις, μύῤῥινα μοῦνος ἔχεις.
Μασσικὸν οἶνος ἔχεις, καὶ Ὀπιμίου οἶνος ἄκρατον.
Οἶνος ἔχεις κραδίην, καὶ μόνος ἠὲ νόον.
Μοῦνος ἅπαντα ἔχεις· μόνα, Κάνδιδε, ταῦτ᾽ ἀποφάσκω.
Αὐτὰρ σοι δῆμος τῆς γαμετῆς μετέχει.

Ex Lib. eodem Epig. 34.

Digna tuo cur ſis, indignaque nomine, dicam.
Frigida es, & nigra es. Non es, & es Chione.

Ἀξία σοῦ ᾽νόματος πῶς ἧς καὶ ἀναξία, λέξω·
Ψυχρὴ εἶ κ᾽ αἴθιοψ· εἶ ἄρα, κ᾽ οὐ Χιόνη.

Ex Lib. 4. Epig. 12.

Nulli, Thai, negas. Sed ſi te non pudet iſtud,
Hoc ſaltem pudeat, Thai, negare nihil.

Οὐδενὶ Θαῖ ἀπένευσας· ἐὰν δὲ τὰ οὐκ ἔτι αἰδῇ,
Αἴδεο γοῦν, οὐδὲν Θαῖ ἀπενευσάμενῃ.

Ex Lib. eod. Epig. 24.

Omnes quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
Extulit. Uxori fiat amica meae.

Ἅς τινας εἶχε φίλας, Φαβιανὲ, Λυκωρὶς ἁπάσας
Ἔκφερε· τῇ γαμετ. μεῖο γένοιτο φίλη.

Ex Lib. eod. Epig. 36.

Cana eſt barba tibi, nigra eſt coma: tingere barbam
  Non potes, haec cauſſa eſt, ſed potes, Ole, comam.

Σοὶ πώγων πολιὸς, πέλιον κάρα· πῶς; ὅτι βάπτειν
  Ου δύνασαι πώγων', Ὦλε, κόμην δύνασαι.

Ex Lib eod. Epig. 41.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
  Conveniunt noſtris auribus iſta magis.

Τίπτε λέγων μαλακοῖς περιήγαγες εἴρεσι δειρήν;
  Ἁρμόζει ἡμῶν ὔασι ταῦτα πλέον.

Ex Lib. eod. Epig. 58.

In tenebris luges amiſſum, Galla, maritum.
  Num plorare pudet te, puto, Galla, virum?

Εἰνὶ δνόφοις δακρύεις πόσιν γ' ἀπὸ, Γάλλα, θανόντα.
  Ἦτ' ἄντην δακρύειν αἴδεο Γάλλα πόσιν;

Ex Lib. eod. Epig. 62.

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris,
  Omnia dum fieri candida credit ibi.

Τίβυρον Ἡρακλοῦς ἀπενάσσατο Φαιὰ Λυκωρὶς,
  Πάνθ' ὅτι γείνεσθαι αὐτόθι λευκὰ δοκεῖ.

Ex Lib. v *Epig.* 33.

Quadrantem Criſpus tabulis, Fauſtine, ſupremis
  Non dedit uxori. Cui dedit ergo? ſibi.

Ουδ' ὄβολον Κρίσπος λέιπεθη, Φαυστῖν', ἐνὶ δέλτῳ
  Τῇ δῶκεν γαμετῇ· τῷ γὰρ ἔδωκεν; ἑοι.

Ex Lib. eod. Epig. 34.

Carpere cauſſidicus fertur mea carmina: quis ſit
  Neſcio. Si ſciero, vae tibi cauſſidice!

Δακνάζεν δικαιὸς λέγεται τὰ μὰ ᾄσματα· τίς δ᾽ ἤ
Οὐκ οἶδ᾽· ὦ δικαιὲ Φεῦ σέο, ἄνπεξ ἴδω.

Ex Lib. eod. Epig. 48.

Numquam ſe coenaſſe domi Philo jurat, & hoc eſt:
Non coenat, quoties nemo vocavit eum.

Ουποκά νιν γ᾽ ὁ Φίλον δορπῆσαι ὀμώμοχεν οἴκοι·
Ου δορπεῖ, ὐδεὶς ποσσάκι μιν καλέει.

Ex eod. Lib. Epig. 67.

Saepe ſalutatus, nunquam prior ipſe ſalutas.
Sic erit aeternum, Pontiliane, vale.

Ἡσπασθεὶς αἰεὶ, πρῶτ᾽ ὄυποτε ἤσπασας αὐτὸς
Ουτως γοῦν ἔσαι ΧΑΙΡΕ, φίλ᾽ ἀΐδιον.

Ex eod. Lib. Epig. 82.

Semper eris pauper, ſi pauper es, Aemiliane.
Dantur opes nulli nunc, niſi divitibus.

Αἰεὶ πτωχὸς ἔση, ἂν ἅπαξ ἦς, Αἰμιλιανὲ.
Μόνοις νῦν δίδοται χρήματ᾽ εὐκτεάνοις.

Ex Lib. 5. *Epig.* 84.

Inſequeris? fugio. fugis? inſequor. haec mihi mens eſt.
Velle tuum nolo, Dyndime, nolle volo.

Εσπεαι; ἐκ.φεύγω· φύγες; ἕσπομαι ὖτος ἐμοὶ νοῦς.
Σὸν δ᾽ ἐθέλειν ἐλω, ὐκ ἐθέλειν τὸ θέλω.

Ex Lib. 6. *Epig.* 6.

Comoedi tres ſunt, ſed amat tua Paulla, Luperce,
Quatuor: & κωφὸν Paula πρόσωπον amat.

Κωμῳδοὶ τρεῖς εἰσιν· ἐρᾷ δὲ σὰ Παῦλα, Λύπερκε,
Καὶ τέτορας· κωφὸν Παῦλα πρόσωπον ἐρᾷ.

Ex Lib. eod. Epig. 41.

Qui recitat lana fauces & colla revinctus,
Hic ſe poſſe loqui, poſſe tacere negat.

Ὅς γ' ἐρίῳ φλυαρεῖ δείρην σφάραγόν τε δεηθεὶς,
Μήτε λαλεῖν δύναται, μήτε καὶ οὐ λαλέειν.

Ex Lib. eod. Epig. 69.

Non miror quod potat aquam tua Baſſa, Catulle,
Miror quod Baſſi filia potat aquam.

Ὀυχὶ τεθάυμακ' ὅθ' ὑδροποτεῖ τεὰ Βάσσα, Κάτυλλε,
Θαυμάζω Βάσσου θύγατρα ὑδροποτεῖν.

Ex eod Lib. Epig. 79.

Triſtis es, & felix: ſciat hoc Fortuna caveto:
Ingratum dicet te, Lupe, ſi ſcierit.

Ὄλβιος ὢν ἀχέεις· βλέπε μὴ εἴδῃ τόδε τύχη·
Τὺ δ' ἄχαριν λέξῃ, ὦ Λύκε, ἄνπερ ἴδῃ.

Ex Lib. 7. *Epig.* 93.

Unguentum fuerat quod onyx modo parva gerebat:
Olfecit poſtquam Papilus, ecce garum eſt.

Ἄρτι μύρον γὰρ ἔην, σμικρὸν δ' ὅπερ ἔσχε τὸ ἄγχος·
Οὐδ' ἐπεὶ ὠσφράνθη Πάπιλος, ἐστι γάρον·

Ex Lib. 9. *Epig.* 6.

Nubere vis Priſco, non miror, Paula: ſapiſti.
Ducere te non vult Priſcus: & ipſe ſapit.

Παῦλα γαμεῖσθ' ἐθέλεις Πρίσκῳ, οὐ θαῦμ', ἐφρόνησας·
Πρίσκος δ' οὐ σὲ λαβεῖν ἤθελε, καὶ φρονέει.

Ex Lib. 10. *Epig* 69.

Cuſtodes das Polla viro, non accipis ipſa.
Hoc eſt uxorem ducere, Polla, virum.

Ἀνδρὶ

Ἀνδρὶ δίδως φύλακας, τὰς Πόλλ' οὐδ' ἔλλαβες αὐτη.
Τοῦτ' ἐστὶν γαμετὴν ἀνέρα Πόλλα λαβεῖν.

Ex Lib. 11. *Epig.* 65.

Nescio tam multis quid scribas, Fauste, puellis:
Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

Τί πλείσταισι γράφεις οὐκ εἶδον, Φαῦστε, κόραισιν·
Τοῦτ' ἴδον, ὅττι τεὶν δ' οὔτις ἔγραψε κόρη.

Ex Lib. eod. Epig. 102.

Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, videre?
Tu, puto, quod non est, Flacce, videre potes.

Θαΐδα ὥστε ψιλὴν ἐδυνάσθης, Φλάκκε, δεδέρθαι;
Σὺ γ' ἄρα τὸ μὴ ὂν, Φλάκκε, δρακεῖν δύνασαι.

Ex Lib. 12. *Epig.* 12.

Omnia promittis quum tota nocte bibisti,
Mane nihil praestas: Postume, mane bibe.

Ἡνίκα νύκτα πέπωκας ὁπήνικα πάντα ὑπίσχῃ,
Πρωῒ τελεῖς οὐδέν· Πόστυμε πρωῒ πίε.

Ex Lib. eod. Epig. 23.

Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis:
Quid facies oculo, Laelia? non emitur.

Ὠνητοῖσι χρᾷῃ πλοκάμοις καὶ ὀδοῦσιν ἀναιδής·
Τί; μὴ ὀφθαλμὸς, Λαίλια, ὠνέεται.

Ex Lib. eod. Epig. 54.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus,
Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

Θρίξ' ἐρυθὸς, μέλας ὦπι. βραχὺς πόσιν, ὄμμασι ἐλαφθεὶς,
Ἀργάλεόν τι ποιεῖς, Ζώιλε, εἰ 'γαθὸς εἶ.

XIV. FR. JOANNES INTERIAN DE AYALA

EMMANUELI MARTINO *ſuo*,

Viro eruditiſſimo atque ornatiſſimo plurimum χαίρειν, ὑγιαίνειν, εὐπράττειν.

Mantuam Carpetanorum.

NOn eget (mihi credito) amicitia, ac benevolentia, qua tibi ſum, non dicam conjunctus (friget enim hoc) ſed plane inligatus, & plus quam Herculeis catenulis devinctus, ut tu illam novis in dies officiis, ac muneribus, quamquam alioqui ſemper mihi gratiſſimis, adſtringas. Id vero, quod nupercule praeſtitiſti, diſpeream, ſi non decies, centieſque illud inſpicere, evolvere, complecti jucundum mihi fuerit ac volupe. Contuli ſaepius, quantum judicio, & qualiſcumque tandem ea eſt, peritia potui, comparavique Latina Graecis, & Graeca Latinis: Deus bone! quae verborum puritas! numerorum quae concinnitas! quae inſuper religioſa, pene dixerim ſuperſtitioſa, decora tamen fides interpretis! Non vidit haec ingenioſus Celtiber; quae ſi tamen bono aliquo fato contigiſſet videre, tibi, mi Emmanuel, invidiſſet, aut nulli? Sed neque vidit acuta atque urbaniſſima Graecia. Quid ſi vidiſſet? Auderetne eos vocare barbaros, qui tam apte, tam urbane, tamque Attice ſcriberent. Non puto; imo poneret, ut par eſt credere, tantiſper animos, & non jam una ingenii, atque elegantiae primas ambiret. Haec autem tam ampla, atque magnifica, ſolida tamen, & ἄνευ τῆς ὑπερβολῆς veriſſima quis denique praeſtare potuit? Nempe tu (abſit invidia verbo) tu unus. Tu, inquam, *Graecis qui ſimul* (verba mea audis, & jam vel invitus feror ad numeros)

Graecis qui ſimul unus, & Latinis
Intinctus ſalibus, facetiiſque,
Graece tam bene dicis, & Latine,
Jure ut tu merito puteris unus,
Aut ex Cecropio ſatus parente,
Aut per tempora Caeſaris togati,
Urbis libera cum foret poteſtas,
In orbis domina creatus Urbe.

Inſanire num me exiſtimas? Ego Pol ita de me cenſeo: ſed quid aliud te hortatore, incitatoreque faciam, plane non video. Imo, ſubſiſte parum-

per; vide ſis, num mihi talibus tam vivis, tamque acribus ſtimulis provocato amplius inſanire ſit cordi.

Tullius, ut perhibent, doctas migravit Athenas,
Argivae ut fieret Palladis arte ſophos.
Nunc ad te veteres redeunt, quod fertur, Athenae;
Dulcius & Graece jam didicere loqui.
Nil mirum id Manuel: abs te olim, credo, popoſcit
Dicturus populo verba Latina Cato.

Sed quo me tandem, Vir ornatiſſime? quo me rapis? Inſanire me, videri velle, tui amicitia, & munuſculis patiar; ineptire, atque inſulſe agere, non item. Ecquid vero ſit, parva haec, rudiaque mea grandibus, atque elegantiſſimis tuis conferri, componique, permittere, quam quod proverbio dicitur: ἀκροθίνια τῶν πυγμαίων κολόσσῳ ἐφαρμόζειν? Tu interim haec, ut voles, videto; dum me tamen, quod tu credo facis, in amicorum, atque admiratorum tuorum albo primum, certe nemini unquam ſecundum enumeres. Vale. E Muſeolo, VIII. Kal. Dec. An. MDCCXV. ipſis ſcilicet Brumalibus.

XV. EMMANUEL MARTINUS JANO INTERAMNENSI AJALAEO,

Feſtivitati ſuae, bene rem gerere.

Mantuam Carpetanorum.

PUpugerunt me nudius-tertius facetiarum tuarum aculei, adeoque me venuſtiſſimae illae Veneres delinierunt, atque ineſcarunt; ut prae animi voluptate pene deficerem. Quid quaeris? ex quo te recitantem audivi, per vigiliam, per quietem, nihil niſi verſus pango, ac tanquam Phoebo plenus, undique fluo Sed cave ne exiſtimes id aliunde evenire, quam naturae quadam devexitate & impetu, quo tam acribus ſtimulis concitato, abripior mei impotens. At mihi in os impinges illud Ariſtophaneum:

Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Is tamen ego ſum, qui vel tuos cachinnos, vel aliorum reprehenſionem (vide hominis impudentiam) pili non faciam. Itaque lubet jocari: poſtquam ſtudia illa noſtra graviora vel animus faſtidit, vel vires reſpuunt. En igitur poemation paraphraſticum jucundiſſimi illius odarii Anacreontici, quod

quod incipit Τὸν ἄργυρον τορεύσας. Amabo te, mi Jane, Latine illud convertito. Siquidem id feceris habebis me in tua poteſtate. Sin minus. Quid facies? inquies. Habebis etiam. Allabora interim ut valeas, & animi alacritati conſule diligenter. Ex Muſeo noſtro, IV. Eid. Decembreis, An. MDCCXV.

ΣΥΜΠΟΤΙΚΟΝ ΑΣΤΕΙΣΜΑ

SIVE

LUSUS CONVIVALIS,

Imitatio Odae I. Anacreonticae.

Ποίει μοι τὸ σκύφος μέγα πάντως ἤδε βάθυστον,
  Ὡς Ἡρακλείης, Νέστορος ὥς τε δέπας.
Οὐ Σάτυρον γλυφθέντ᾽ ἐθέλω, οὐ Πᾶνα τὸν αἰσχρὸν
  Βούλομαι, ἡμίθεον μήθ᾽ ὑπεραλλόμενον.
Οὐ γὰρ μαρνάμενον περὶ δῖαν Ἀχιλλέα Τροίαν,
  Οὔτε φλόγ᾽ ἐντυχίᾳ αἰθομένην γε πόλιν.
Οὐχὶ μάχας, δίφρους τε, στρατοὺς, ἢ τεύχεα φρικτά.
  Παλλὰς ἐμοῦ ἔκαθεν, καὶ βροτολοιγὸς Ἄρης.
Κύπριν ἐγὼ γλυφθεῖσαν ἐρῶ, τῷ σώματι γυμνήν,
  Ἡδυγέλοιον ἅμα χ᾽ἁπαλόχρωτα θεόν.
Ὦσι πέριξ ταύτης Χάριτες τρεῖς ὧσιν Ἔρωτες
  Μύριοι· αἱ κύλικες τὸν φιλεόυσιν ἔρων.
Ἄρτεμιν ἔγγλαψον μετὰ παρθένοις, οὐ τὸ βέλεμνον
  Χερσὶ φέρουσαν ὅμως καὶ πλοέουσαν ὄρη.
Ἀλλ᾽ ὡς Ἀκτάιων θηρῶν ἀνὰ πίδακα ταύτην
  Βέβλεφεν, ἐν μέσσοις ὕδασι νιπτομένην.
Ἀμφ᾽ ἑλικοῖς ὁ νέος Βρόμιος κεραέσσι γεγράφθω,
  Ἐκ πύξου φυσῶν πνεύματι φυσαλίδα.
Πρόσθε καλοὶ βότρυες, περὶ τοῖς ποσὶ κάνθαρος εἴη,
  Καὶ στέφος οἰνάρεον τοὺς τείχας ἀμφιδέη.
Αἱ Μοῦσαι, Φοῖβός τε γεγραμμένα ἡμῖν ἔσονται,
  Αἱ μὲν ἀείδουσαι, ὁ δὲ κρέκων κίθαριν.
Πάντα πλέα κισσῶν βοτρύων τε τὰ πάντα κορύμβων.
  Αὕτη μοι ἔσεται παγχαρίεσσα κύλιξ.

XVI. Fr. JOANNES INTERIAN DE AYALA EMMANUELI MARTINO *suo*,

εὖ πράττειν.

Mantuam Carpetanorum.

PLurimis his diebus occupationibus, & negotiolis hinc inde distractus rescribere tibi non potui: quod ne ignaviae, aut desidiae meae, ut vereor, moram hanc tribuas, id in primis testatum volo. Legi igitur decies, imo centies literas tuas plenas, si quae aliae sunt, fueruntve unquam, cum proclivis tuae in me benevolentiae, tum urbanitatis etiam, leporis & gratiae. Legi etiam, vehementerque mirari non satis potui, venustissima, cultissima, atque elegantissima tua carmina, quibus, ut mea fert opinio, non modo Anacreontem provocasti, sed plane vicisti; nisi forte aliter putandum est, quod ea, quae ille argutis certe, sed angustis versibus exposuit, tu pleno, rotundo, atque elegiaco carmine descripseris. Sed haec hactenus; nolo enim in tuas laudes, plus quam modestia tua patiatur, excurrere. Quanquam enim illud vulgatum Menandri:

Τιμώμενοι γὰρ πάντες ἥδονται βροτοί,

verum esse, & cum judicio dictum, non ivero inficias; tamen, neque illud negari posse, jam dudum mihi persuasum habeo. Amici non esse ornare amicum laudibus fortassis immodicis. Jam vero, quandoquidem experiri tibi placuit, num ratione insaniam, conatus sum morem tibi gerere, carmina tua, supra quam dici potest, elegantissima, Graecamque illam uberrimamque facundiam, & suavitatem eximie redolentia, hispida atque incompta, jejunaque prorsus Latinitate donare. Quo factum est, ut non tam me vertisse, quam pervertisse, ego ipse judex aequus, ac non nimium tetricus, & severus censor existimem. Verum quid attinet haec tibi prolixius enarrare, qui harum rerum criticen, per quam probe calles, ut qui & earum pondera, atque momenta exactiori semper, atque elimatiori trutina dispicias. En igitur tuorum carminum versionem, seu rectius perversionem dixeris.

CON-

CONVIVALIS URBANITAS

EX ANACREONTE.

FAc, opifex, pateram grandem mihi, tamque profundam,
Quam fuit Alcidis, Nestori qualis erat.
Non illa Satyrum caelari, Panave turpem;
Nec volo semideum, quem memorare pudet.
Non validam vultus Trojam expugnantis Achillis,
Igneve nocturno, quae periere domus.
Non pugnas, bigasque, duces, aut arma timenda:
Este procul Pallas, Marsque homicida, mihi.
Cyprin ego insculptam cupio, nudamque, & inermem;
Ridentem, & mollem fingito, quaeso, Deam.
Tres Charites circum, mille insculpantur Amores;
Plena Amor efflictim pocula blandus amat.
Virginibus circum stipatam finge Dianam;
Non tamen ut sylvas concutit arma gerens:
Qualis erat facito, miserum cum Actaeona jussit
Esse feram, purisque ipsa nataret aquis.
Tum juvenis Bromius revolutis cornibus insit,
Plenaque ab ore Dei buxea avena sonet.
Fingantur botri, prope plantas cantharus adsit,
Et cingant divas vitea serta comas.
Musas, & Phoebum pariter me sculpito; cantent
Dulciter ut Musae, pulset Apollo lyram.
Denique cuncta hederis, ornentur cuncta corymbis;
Non mihi jam poterit gratior esse calix.

Rides, opinor, & per me licet rideas; ego enim an labor iste qualiscumque mihi bene cesserit, an secus, ignoro: tuum erit interim admonere me, ne rursus in re simili tempus & operam ineptissime ludam.

Tu vero, mi Emmanuel, (nam jurgari, & quiritari tecum libet, & licet) qui me senem (& senex quidem, sed improbus erat Anacreon) Presbyterum (en refricatam rursus memoriam senectutis!) atque ὡς ὑπολαμβάνεσθαι δεῖ τὸν ἀσκητὴν ad haec nimis jocosa, atque turpicula, & in quae non fere oculos intendant, nisi ii, qui solent spectare Floralia, proprius tractanda, atque inspicienda hortatu, aut imperio tuo coegisti, cujusnam, rogo; piaculi reus existis? Tute ipse videto: ego certe non te prius cri-

 mine

mine exſolvam, quam ſcivero, quod tibimet pro noxa hac non admodum leves, neque molles reſipiſcentis animi poenas indixeris. Hoc feſtive: illud ſerio: ne me ſcilicet quandoque adigas, ut, quemadmodum nunc e Graecis Latina utcumque reddidi, ita etiam e Latinis Graeca componam. Cave id, reſpondebo enim, quod jam modo, & veluti ex formula dico: *Non faciam.* Is enim ſum (fatebor quippe id libere & ingenue, neque verebor, ut hoc aliquando de me doctae poſteritati conſignes) is enim, inquam, ſum, qui, ut tumet noſti, exemplaria Graeca verſare, evolvere, legere, convertere, ſi non quidem omnino commode, certe non omnino incommode didici; Graeca vero ſcribere, praeſertim carmine, non item. Multa ſunt equidem, quae me olim ab hoc ſtudio revocant, morantur, exterrent; quae tamen minutim perſequi, praeſentis inſtituti non judico. Illud tantum in hac rerum praeſentia dicam, quod probe perſpectum atque exploratum habeo: paucos eſſe in unaquaque regione & raros,

> —— *numero vix ſint totidem, quot*
> *Thebarum portae, vel divitis oſtia Nili,*

qui Graeca carmina omnino apte, concinne, eleganter, atque ad amuſſim exacta ſeveriorem, ſua ipſorum ſcilicet, & non ab aliis plagio expilata atque furto ſubrepta profundant. Sed quae? Alia nempe, & quae vix, vel mediae Graecitatis homines ab umbris revocati perlegerent ſincere, atque ex animi ſententia probaturi. De noſtratibus (inquies) tu loqueris. Minime vero. De noſtratibus etenim, quid attinet dicere? Obierunt (ſat bene ſcio, dolenterque commemoro) obierunt, atque exoleverunt jam pridem apud nos magna illa, praeclaraque nomina, Pintianos dico, Sanctios, Geneſios, Montanos, alioſque pro temporum ratione pluſculos; neque paſſim jam, ſed vix perraro creantur, aut educantur apud nos MARTINI. De caeteris igitur ſermo mihi eſt; ne mirere; neque ob id, quod tibi nonnihil παῤῥησιαστικώτερος videar, ingens adducas ſupercilium. De externis, inquam, etiam haec profero; ad quos quod attinet, ſi tamen gentes τὰς ἀρκτῴας excipias, quae Graecis literis, apicibuſque minutius diſpiciendis abſumunt longiſſimas noctes, parum abeſt, quin in eadem, quam nuper tuli, ſententia perſiſtam. Tu, Emmanuel mi, qui diu, & cum fructu peregrinatus es apud exteram, & quidem cultiſſimam, atque elegantiſſimam gentem, ſintne pronuntiata haec mea quadantenus vera, pernoſces, mitiuſque dicta feres; ſin aliter; me, data opportunitate, commonefacies, quam temere judicem. Verum quid opus multis? Ego ita cenſeo: nulli ſatis eſſe quo Muſas rite colat, ac propitio fauſtoque Apolline devotus adeat, ut linguam aliquam probe teneat, exacteque pernoſcat (tametſi etiam menti poeticus ille neſcio quis ſaepe decantatus calor accedat) niſi venuſtatem, ubertatemque illam, quae proprius veluti poeticae facultatis ornatus, ac character eſt, aſſuetam ſibi, ac fami-

familiarem habeat. Quod si id in vernacula, ac propria uniuscujusque lngua, poeticam rem decore tractaturo desiderare necesse est; quam parum tutum, quamque *periculosae plenum opus aleae* jure putavero, alieno semper, & nunquam satis familiari, atque domestico idiomate Musas provocare, nil quidem obsequentes temerariis ausibus futuras? Qua de re lepidam tibi, nisi molestum est legere, sed tamen veram narrabo fabulam. Fuit in hac ipsa Urbe ante medium superioris saeculi, Vir externus (D. de Voiture) eleganti sane, ac faceto, vivacique prorsus ingenio, quod vel literae illius communi omnium plausu in vulgus editae satis, superque probant. Hic ut erat acer, atque promptus, linguam nostram apprime perdidicit, & soluta oratione nonnulla composuit, quae probare certe posset quicumque urbanitatis, & leporis artifex. Lib. Epist. edit. Noviomag. 1660. pag. mihi 424. Quin & legendis, pervolutandisque poeticae nostratis principibus, Lopio, Gongorae, Quevedo aliisque olei non parum insumpsit, & operae. Sed, nescio, quo malo genio percitum incessit hominem Hispanicos condendi versus dira cupido. Fecit tandem: sed quos, & quales?

Spectatum admissi risum teneatis, amici?

Sed quo tandem haec? Plura quam opus erant ingessi tibi, aut verius effutii, quibus evincerem, me Graecas Musas adire non debere: simplicius potuisset dici: me non posse. Vale. Ex Museo Postrid. Eid. Decembr. MDCCXV.

XVII. Cum auctor podagra fuisset correptus Mantuae Carpetanorum, ubi tum temporis agebat Joannes Interamnensis Ajalacus; molestissimo dolori levando, illum ad se visendum invitat.

Jane, deliciae, lepos, amores
Nostri, grande decus novem sororum;
Parnassi juga celsa, verticemque
Dum premis bifidum, atque amoena Pindi,
Vel vires numerosque Tullianos
Dum versas animo, vel aemularis;
Mosis volvere Cecropisve chartas
Vel magis lubet, otiove ludis;
Martinus vetus hospes & sodalis
Correptus podagra misellus haeret,

Inclu-

Inclususque domi laboriosa
Vinctus compede duriter laborat.
Martinus, caput illud, impotente
Cujus tu fueras amore captus,
Ipsum illud caput usque & usque languet.
Ergo si veteris memor pudoris,
Nos, Ajala, cupis levare morbo;
Fac solere jocis facetiisque,
Festivissime, languidulum sodalem
Martinum, veterem hospitem & sodalem,
Utemur medico auspicatiore,
Dum joci veneresque personabunt.

Die XXI. Martii, MDCCXVI.

XVIII. Fr. JOANNES INTERIAN DE AYALA EMMANUELI MARTINO *suo*,

Decano Alonensi, Viro doctissimo,

S. P. D.

Alonam.

LIteras ad te jam pridem transmisi vernaculas: sed has illis (quid enim vetat?) libentissime adjungo, nil dubitans, fore, ut his tu naeniis, ineptiisque meis tantisper provocatus, excitusque non tantum elegantem ad nos, ac totam, quod plane soles, auream, sed & bene longam, quod non item soles, decernas conscribere Epistolam. Primum omnium (ut hinc recte, riteque exordiar) illud abs te scire vehementer exopto? num valeas? Num, scilicet, postquam a nobis discessisti, sueti te morbi nonnihil exagitent? Quodque deterius, graviusque esset, num pessima illa, teterrimaque malorum podagra, nil verita frugalitatem, valetudinem tam nobis charam proterva atque importuna tentaverit; aut (quod in idem recidit) te pertinax adhuc crediderit divitem turpissimo, juxta atque stultissimo delusa mendacio? Sed quoniam huc sermo deflexit, subit animum, id quod me jam pridem debere tibi fateor, quodque pene memoria exciderat, ut hic tibi statim nil moratus exsolvam. Quippe memini, mihi abs te injunctum, ut versiculos, quos in podagram tuam luseram, cum primum certior factus sum, te illa fuisse vehementer afflictum, e schedulis meis excerptos, nonnihil etiam emendatiores, ad te transmittendos cura-

curarem, id quod neque tunc aliis, atque aliis rebus implicitus praestare potui, neque hactenus praestiti. Jam vero, quid opus est morulis? Eccillos.

Tristis, terribilis, furens podagra,
Aerumnosa, gravis, procax, molesta,
Quid tantum cupis insolens videri,
Ut non divitibus voluptuosis,
Ventris mancipiis, gulaeque servis
Bellas perplaceat movere pugnas?
Nisi &, saeva, viros laboriosos,
Doctos nempe, pios, probos, honestos,
Frugique, & veteris tenaciores
Castae sobrietatis (ipsa nosti)
Quam vel Fabricii novem, vel octo
Hispani fuerint simul poetae,
Turbare obstrepero dolore pergas?
Quid Martinus, amabo, dic proterva,
Admisit sceleris, quod expiandum
Acerbo reputaveris dolore?
Martinus meus ille, quem Minerva,
Interpres superum disertus, & quot
Coelo numina sunt venustiora,
Amant non secus, ac suos ocellos!
Quem Phoebus colit, & novem Camoenae,
Cujus dulcisonis modis Camoenam
Germanam veluti colunt sororem,
Tune illum senibus comes gulosis,
Frugalem, sobriumque, Curiumque
Contorquere voles, & injucundo
Noctes, atque dies tenere lecto?
Quare protinus, Hercules, malorum
Depulsor validus, Machaonesque,
Litae vos, soboles Jovis, benignae,
Nil jam segnipedes, & ipsa quotquot
Sueverunt hominum levare noxas,
Huc huc, Numina, deprecor, venite,
Et nos implacida levate cura:
Sitque protinus integer, valensque
Totis viribus ille; provocare
Ut certamine possit expeditos
Cursores in olympicis, vel ipsos
Quotquot Isthmiacis vetus coronis

Victores celebraverit palaestra.
Audi, sin minus, Hercules, bonarum
Frugum particulas tibi rependi,
Armatus licet exigas, negabo.
Et vos, ni facitis, Litas, Deasque
Nemo jam merito, sed exoletas
Deliras vetulas lubens vocabit.
Tuque abi citius, fugam capesse,
Et vel Thracibus impera cruentis,
Vel bonis nitidae cutis Batavis;
Ni jejunia sentiens poetae
Et confecta fame perire malis,
Aerumnosa, gravis, procax, molesta
Tristis, terribilis, furens podagra.

Quid censes? Nempe lusisse me inanem, nulliusque pretii operam. Id quidem ego vereor; & te ἀφ' ὑψηλοῦ μου καταγελᾶν. Non quod tuam in me propensi animi benevolentiam, & in res nostras indulgentiam revocare velim in dubium. Ipse enim, qui mihi φίλτατος, καὶ κατὰ πᾶσαν ἔννοιαν συνημμένος ut M. Basil. verbis utar) ex istis, qui fieri posset, ut me, versiculosve meos, quos plus fortasse justo probari tibi, satis expertus sum, contracto supercilio despiceres? At ego eruditionem, judiciumque tuum eximie suspicio, deque meis literulis depresse, atque demisse, quantum par est sentio: sed ad viam rursus, unde digressi longiuscule excessimus.

Illud deinde mihi scribas velim, quam commode habites? Num proba, & satis ab aestu, frigoreque tuta, & bene munita domuncula? Num etiam apta, satisque idonea, ut assidui illi comites tui, contubernalesque (scis bene quos intelligam) mortui licet, laxiter degant, & non ob loci fortassis angustias mutuo sese prementes, aut in angulum detrusi de Domini incuria, & non satis benigna humanitate taciti obmurmurent, aut luculenter etiam (namque eruditi, disertique sunt) Deos, hominesque testati non rite secum servatam abs te hospitalem fidem expostulent. Scribe etiam minutissima mihi; num scilicet puer famulus, atque anus oeconoma tibi jam ex animi sententia contigerint, hisque similia, si quae sunt, quae me scire juvabit plurimum, & quantum amicitiae rationes exigunt nosse, an recte sese habeant, mea etiam multum intererit. Verum, prae his, de una hac re me certiorem facito: quibus videlicet, aut qualibus isthic utaris amicis, & collocutoribus? Nec de illis scire aveo, qui tibi sint doctrina, atque eruditione pares, vel pene suppares: hos etenim ne Romae quidem, judice me, passim inveneris; sed de illis loquor, quos saltem putare fas sit σοφίας καὶ ἀμαθίας ἐν μέσῳ εἶναι, de illis denique, qui sint, nec plane agrestes, neque omnino cicures animae. Sed de iis hactenus.

Quod

Quod ad me attinet, commoda cum bono Deo valetudine utor, & literulis pro meo more quantam possum, operam impendo. Legi jam, imo perlegi magnum illum naturae, atque artis, nam hoc quoque nec segniter attigit, Polyhistora Secundum: neque me laboris piget, aut poenitet. Deus bone! Quantus ille vir, &, ut mea fert opinio, quam omni encomio major! Deceperint licet nonnunquam, addo saepius hominem infinita propemodum lectione Graeculi, ut proinde pro veris falsa, pro solidis, & pro certis frivola, aut minus quam par esset explorata non semel obtruserit: hallucinetur ipse quandoque etiam, & in Graecorum nominum interpretatione, vitio fortassis exemplarium labatur saepiusculе, ac caespitet; & id genus, si quae sunt alia, in operis magni constructione commiserit (haec enim ferme sunt quae illi a viris doctis, illo tamen longe inferioribus objiciuntur) quid? Num propterea desinit esse Plinius ille Magnus, cujus ingenio, eruditionique, ob immensum, & ferme humanis viribus majus opus vivit, vivetque semper obaerata posteritas: & cui proinde in literatorum hominum senatu stat, stabitque ingens honoris statua non nisi cum ipso mortalis aevi fine ruitura? Atque haec tantum de ipsius mole, utque ita dixerim, vastitate operis. Nam quod spectat ad ingenii acumen judiciique vim, queis ipsas Naturae res tractans, usus mortalium notans, abususque carpens, styli acrimoniam censoria quadam majestate, gravitateque in mores contorquet, quid attinet dicere? Eos sane passim lectorum mentibus aculeos, atque stimulos, ut mihi quidem videtur, infigit, qui attentis, vigilantibusque (nam oscitantes, aliudque agentes nihil moror) mirifice placeant, prodesseque etiam ad frugalitatem, continentiamque nec vulgariter possint. Caeterum de Plinio haec, nimis fortasse multa dicta sint satis.

Divinum his diebus Chrysostomum evolvo, legoque commentationes in Pauli Epistolas. Qua, inquis, lingua? Nimirum sua. Neque id erit, ut existimo, summopere mirandum tibi, qui me, Hellenisticae Grammatices praeceptis non exquisite admodum imbutum, audisti aliquoties, &, quae tua est comitas, & benignitas, saepe probasti bonorum Auctorum Graeca non prorsus infeliciter, aut insulse Latina facere, & in hoc vastissimo pelago non injucunde spectasti natantem sine subere. Scriptionem tamen Graecam adhuc non audeo, ut plane non sit cur a me Epistolam Graecam exspectes. Namque, ut est animus meus ab ostentatione, jactantiaque longe alienissimus, id tibi, quin & quibusvis aliis de me lubens aperio, ingenueque fateor. Collocandorum apicum, praesertim accentuum rationem (hui quam injucundam, atque prolixam!) non exacte teneo, imo saepe etiam minus quam exacte: tenuissem forte, aut tenerem brevi, si diutius frui mihi licuisset colloquiis tuis, & magisterio tuo. Quam ob rem, aut conabor deinceps, ut id, si qua via possim, adipiscar, aut quod magis eventurum esse putandum est, contentus ero lectione, atque

exſcriptione Graeca. Quippe aliter memet ultro traducere deridendum emunctae naris viris, & qui has tricas ſcite diſcriminant, non mihi (licet enim ut quod phraſi Hiſpanica non illepide dicitur, Latine utcumque exprimam) non mihi, inquam, in mandatis dat, aut conſiliis, is qui meas excipit τὰς ἐξομολογήσεις.

Legiſti jam, mi φίλτατε Martine, nec ſine taedio, ac laſſitudine Epiſtolam, non jam dico ſat bene longam, ſed oblongam etiam, planeque prolixam. Multa, ſat ſcio, per totam illam inconcinna, frigida, parumque Latina ſubnotaſti: caeterum quam non item ſint εἰπεῖν πολλὰ καὶ καίρια, tute ipſe pernoſti. Me felicem, qui tua, aurea ſcilicet pro aereis, exſpecto. Da igitur operam, ut ad me mittas Epiſtolam optimam. Quam (ais) tandem? Quae ſit (inquam) non utcumque longa; ſed quam longiſſima. Vale. Madrito, IX. Kal. Jul. An. MDCCXVI. Ipſo Divini Praecurſoris pervigilio.

Vix hanc finieram, cum redditae mihi ſunt literae tuae Hiſpanicae; abſit enim ut vulgares unquam nominare poſſim, aut velim. Illae quidem me ſummopere delectarunt: ſed quid ad eas reponam, ex illis videre promptum erit, quas his ipſis rurſus adnectam. Ut enim alias Latinas immeditatus adjungam, meum non eſt, qui nec Romae, nec in Latio me natum, memini, quemadmodum tu, quod ajunt, & vehementer ego ſuſpicor, fuiſti; immo & adſcitus in Augurum Collegium anno circiter v. c. DCC. ni plane fallunt, aut falluntur Hiſtoriae, rurſuſque ad hoc aevi ſpatium evocatus es Valentiae in Edetanis τῇ τοῦ γένητος τοῦ γέροντος μετεμψυχώσει. Iterum vale.

XIX. EMMANUEL MARTINUS

JANO INTERAMNENSI AJALAEO,

Amico ſuaviſſimo, atque integerrimo,

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

VIden' exuiſſe me tandem κωφὸν πρόσωπον? Nimirum poſt trium menſium ſilentium. Scis, mi Ajala, per immodicos calores nihil eſſe me enervatius. Suſtentabar tamen iſthic cum temperatioris aurae clementia, tum liberioris ſedatioriſque vitae inſtituto. Uni enim mihi ſerviebam. Hic autem cum tota illa vitae commoditas jucunditaſque funditus perierint, aeſtas vero quam torridiſſima, corpora non tantum debilitet, ſed frangat; quo tu me animo eſſe putes? praeſertim in provincia nec nobis optata, nec vitae

vitae nostrae rationibus satis congruente? Uno verbo: quae te mihi eripuit. Valemus tamen, cuteque sumus pinguiore: nescio an quoque mente. ex pedibus minus laboro. Non quod dolore penitus vacem; sed quod mitius doleam. Quod ad res domesticas attinet, est mihi ancilla Africana conscribillata fronte, colore subfusco, gracilens, exsucta facie, genis adductis, aetate vergente, addicta tantum culinae & rei pulmentariae, ac praefecta cacabis patinisque. Mulier Apiciana elegantia, & digna profecto lautiore penu. Sed tamen delectat me valde in mediocritate munditics. Mulier itidem alia cui commissa cura rei domesticae, nihilo liberaliore facie; sed haud indiligens, bene morata, verecunda, officiique tenax. Ad haec, puella quaedam ἄγγελος, ultro citroque commeando, mandatisque perferendis. Denique adolescens quidam, qui mihi est τὰ πάντα. Nam lucubrationes nostras & ἀμέμπτως exscribit, & scita satis elegantique forma. Nec enim Latine nescit. Idem a cyathis, a veste, a pedibus, ab epistolis. Quid quaeris? Si quando moeror me invasit, musicis etiam modulis ac concentibus animum nostrum exhilarat delinitque. Nam & fidibus didicit, & cantillat, & versiculos pangit. Haec est totius familiae nostrae summa. Nisi tu quoque e re esse existimas ut Catellam adjiciam, cui a colore rostri μελανέρυγχον nomen indidimus. Quod de domo quaeris, ea quidem opportunissimo mihi loco sita est. A sacra nimirum aede muro tantum interjecto dirempta. Boreae Eurique flatibus praecipue obversa. Quo fit, ut ab aestu minus laboret, blandiente utroque spiritu. Itaque mihi magnopere invidetur ob aestivas commoditates. Quod ad hyemem attinet, ad primam hirundinem faciam te certiorem. Universa domus interior summam habet dignitatem. Pavimenta enim laterculis versicoloribus constrata sunt mira concinnitate varietateque: tecta leniter convexa ac nitidissimo tectorio obducta, in quorum umbilico sculpturae prominent auro renidentes. Cubiculum a viae strepitu semotum sepositumque, juxtaque aliud arctius servo παρακοιμωμένῳ. Minervae eximius locus obtigit; eo nitore atque elegantia, ut sacelli potius faciem referat quam Bibliothecae. Itaque contubernales nostri habitant basilice! Adjacet Μουσεῖον, quasi dedita opera ad id exstructum exornatumque, ut κειμήλια reconderet adseruaretque. Itaque numismatibus ac reliquae vetustae supellectili eum locum addiximus. Scalae demum, atrium, podia pensilia in viam projecta. pro dignitate omnia. In summa, habito laxe magnificeque. Equidem tamen haec omnia nihili facerem, ipsaque haec commoda omni interitu acerbiora ducerem, nisi ornatissimi doctissimique viri Philippi Bulifonis amicitiam conjunctionemque mihi obtulisset fortuna. Quo uno beneficio injurias mihi omnes cumulatissime compensavit. Hic animum in hac librorum inopia ac literarum solitudine aegrescentem suavissimis alloquiis erigit atque sustentat. Quo eximio ac singulari in me studio id effecit profecto, ut minus me vitae lucisque taederet. Una imus deambulatum,

latum, eruditas ferimus quaestiunculas, plenis faucibus φιλολογοῦμεν. Imo potamus etiam. Nam saepiuscule convenimus ad Lyaei sacra. Sobrie tamen, atque ut decet Minervae alumnos. Denique visum est per hibernum hoc tempus statis noctibus convenire, non tam laxandi, quam erudiendi animi caussa. Unum hoc tibi persuadeas velim, Ajala mi, secundum te nihil esse mihi charius Buliphone. In quo uno meae omnes copiae repositae sunt.

In Plinio avunculo quicumque operam posuerit, nae ille egregie collocaverit. Quid enim sunt ejus scripta nisi naturae adyta? Utinam in excerpendo gessisset se consideratius, ut ne toties in Graecos scopulos impegisset. In Chrysostomo plena omnia sapientiae succo, & divina quadam eloquentiae vi mentis aciem praestringentia. Verborum aculeis, sententiarum gravitate, doctrinae pondere, turbinis instar vel torrentis animum corripit, secumque vehit. De vicarii nostri reditu impetritum est, addicunt aves, ratum faciunt oscines. Quare, si fides disciplinae nostrae augurali, de proximo ejus adventu non amplius ambigendum. Simulatque intellexero illum Parisiis discessisse, temperius te monebo, ut hominem invisas meo nomine. Turre-cremata ineptissimis suis literis conficit me. Turre-palma suarum exspectatione. Utinam hic mutiret saltem; ille autem ne mutiret quidem. Hujus odi silentium, illius garrulitatem. Tu vale, anime mi, & nos ama. Alonae, IV. Idus Octobreis, An. MDCCXVI.

Salveat a me Langladius. Salutat te Bulipho.

XX. JANUS INTERAMNENSIS AYALAEUS EMMANUELI MARTINO *suo*,

χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

Alonam.

AVe, mi Manuel: bonus, felix, prosper, faustusque sit tuus in istas, imo in has etiam oras adventus. Insomnium mihi videre videor, quod lubens ita me Deus amet, amplector. Tene video, aut saltem, quando id minus sperabam, tecum ex Italia reduci colloquia miscere licet longe minus distanti! Ut te ego lubens suspicio! ut caput istud tuum non secus, neque minus mihi charum, quam hocce meum (& id tango) millies exosculor! Sed haec tantisper mitto: longior enim ero, mi Manuel, si his adfectibus meis, quamquam alioqui veris atque sinceris, nimis indulgeam.

Ergo literae tuae Alona missae prid. Id. Decembr. mihi redditae sunt

VII.

vii. Kal. Januarias; hoc eſt in ipſo Dominici natalis pervigilio: quo facile adducor, ut credam, eaſdem tabellionum incuria, aut potius infauſto meo quodam ſidere retardatas, quo minus ad me citius redderentur. Et quidem eodem ipſo die reſcripſiſſem ad te, ſi is ille fuiſſet, in quo copia daretur tabellarii; quod tamen ſecus accidit: incidit enim hoc anno, ut bene noſti, pervigilium hoc, die Saturni; ſeu ut Chriſtiano more atque ritu loquamur, Sabbati, quo quidem neutiquam publici hic Alonam literarum perlatores proficiſcuntur. Sed ad te redeo, quem multis periculis perfunctum, undique, ac foedis tempeſtatibus jactatum, incolumem tandem perveniſſe magis gaudeo, quam ut verbis ullis complecti queam. Et quidni gaudeam? ſaepe enim mecum reputo, quam cum magno Deo periculoſum certamen iniveris: cum Jove ſcilicet undoſo,

—— τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον,

atque ille quidem doctrinae ac prudentiae tuae nimium infeſtus, dum te alium Ulyſſem credidit, impetiit, afflixitque, ac tantum non penitus abſorpſit; & hoc intercapedine pelagi non admodum longa: neque enim navigabas

—— ἐπ' ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας αἰθιοπῆας,

ſed in hoc ipſo mari, quo tu vehebaris, navigabat Ulyſſes, quem vexare, atque affligere placuit irato Neptuno, & quem idem abſorbuiſſet, perdidiſſetque, niſi illum ſervaſſet propitia Minerva. Tu vero, mi Manuel, cum jam jam dehiſcente navi, peneque jam fracta, nihil operiebaris niſi foeda naufragia, quid cogitabas? quid verſabas animo? An non ſuccurrebat illud Homericum, cum ſcilicet Achilles ingloriam & indignam mortem exiſtimabat abſorberi a flumine, ſuffocarique aquis? Sed bene eſt, quod ſanctiori muneri prudenter intentus periclitantium ἐξομολογήσεις & has quidem varias ac polyglottas excepiſti; quo facto conſentaneum credere eſt, maris reſediſſe ſaevitiam, & tandem cum bono Deo factum eſſe ut incolumis portum attingeres: qua de re, non tantum tibi, ſed etiam mihi ſaepius ac ſaepius gratulor.

Lepidam, & ſupra quam dici poteſt, jucundam mihi rem narras, quod eleganti, & tuis prorſus dignum Muſis opuſculo Κίβωτον illam tuam aſtris atque coelo donaveris. Vix dicere queam, quam avide munus iſtud exſpectem: quod ſane ut citius atque gratius praeſtes, ſcito, me in eandem rem Epigramma luſiſſe, forte non illepidum: ſed de hoc tute melius cenſebis; quod ut facias, Epigramma ipſum non gravabor adſcribere: ſic enim habet:

Vexerat Europam fraterna per aequora pulchram
Taurus amans: aſtris additus ille fuit.
Colchiacis fulvum vellus devexit ab oris

Argo

Argo quae rutilans ivit ad aſtra ratis.
Ingenii monumenta ſacri Martinus in Arca
Terque quaterque mari duxque reduxque tulit.
Attica quae doctis opibus mutaret habenda;
Romana Urbs emeret quae pretioſa ſuis.
Improba nil petimus: fac, oro, Dieſpiter, inter
Fulgeat aethereas Arcula diva faces.
Sit bona quae patria peregre tutela profectis,
Et terra, ac pelago ſidus utriſque favens.

Vereor multum, ne ſatis congruat Epigramma noſtrum cum ſublimi atque eleganti tua Apaſteroſi: ſed tu ſententiam feres ſincerus judex atque incorruptus; & munus ipſum ad me curabis quantocyus perferendum.

Interim tu, mi Manuel, hoc mihi dicito; an ſcilicet ad manus tuas pervenerint exemplaria quaedam typis excuſſa, quibus feralis pompa Ludovici quondam Magni, tum oratione libera Hiſpana, tum etiam verſibus Latinis enarratur atque deſcribitur: inſuper & alia metrica, quibus Nicetae Martyris Aegyptii egregium prorſus, atque Chriſtiano juvene dignum facinus, verſibus Hendecaſyllabis non omnino peſſimis, exponitur. Haec enim omnia ad te tranſmittenda curavi per manus communis amici Buliſonis noſtri; cui quidem, ut multam a me ſalutem impertias, non hic tibi verbis injungo; propterea quod ad eundem literulas etiam mittere ſtatui. Atque ipſe quidem, nullus dubito, quin referat ad te facti totius ſeriem; cujus eventum atque exitum ſcire, ſi aliud quidquam, in votis habeo. Vide ſi quid eſt quod mihi jubeas, aut a me exſpectes,

—— τελέσαι δὲ θυμὸς ἄνωγεν
Εἰ δύναμαι τελέσαι γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστίν.

Vale. Madridio, V. Kalend. Januar. Ann. MDCCXVIII.

Epiſtola ſcripta erat ad hunc diem, & fere tranſcripta: ſed inciderunt reculae, ob quas ad te mittere illo die non licuit: & ſane jam novus annus incoepit; quem tibi non ſolum, ſed & alios plures, atque auſpicatiſſimos exopto diutiſſime ſoſpiti.

XXI. EMMANUEL MARTINUS JANO INTERAMNENSI AJALAEO,

Viro optimo καὶ πολυμαθεστάτῳ, bene rem gerere.

Mantuam Carpetanorum.

CAesar Bulifo, ocellus ac deliciae nostrae, Ἀπαστερώσεως exemplar ad me misit, quam ille me invito, immo reluctante, in lucem edidit. In ipso statim libelli vestibulo, cum Ajalae nomen in oculos incurrisset, bono auspicio ac liquido eas nugas in lucem prodiisse, ominatus sum. Cum autem caetera percurrerem; ac in elogium illud tuum, quo ingeniolum nostrum ornare libuit, cussasque laudes incidissem; conscientia nostri adeo erubui, ut animus rubore fractus ad reliqua persequenda pene obtorpuisset. Buliphones fratres in has tricas me conjecerunt. Quid ego facerem? charissimorum mihi capitum honesto desiderio refragarer? Atqui occurrebat illud ex veteri Tragoedia:

Φίλων γὰρ ἄρξεις, μὴ κρατῶν ὅσον θέλῃς.'

Itaque me eorum officiis circumveniri passus sum. Afferebam equidem, habendam esse rationem aliquam aetatis ac dignitatis nostrae. quas minime decerent jocosa illa ac juvenilia. Imo etiam opinionem fortasse de me praeceptam eluderent. Pervicerunt tamen. Nec jam (fatendum est enim) ejus rei valde me poenitet: cum propterea quod tam luculento testimonio immortale hoc amicitiae nostrae monumentum ad posteros transmittatur; tum quod videam, te (quod suspicatus fueram) tesseram hospitalem nondum fregisse. Quidni ego id disputarem, post biennale silentium? Tu autem, suavissime Ajala, mihi jam deficienti aspersisti aquam. Igitur, quando famam nostram tam diligenter accurasti, nec ab officio discessisti; quod unum superest, ignaviam istam excute, nosque obrue familiaribus tuis jocis, salibus, leporibus, facetiis. A Monfalconio nostro jam biennium nullas accepi. Videtur ille afflatus contagione tui. Bellos homines ac facetos! An nescitis Amyclas tacendo periisse? Etsi ille Gallicae fortasse lu's utètur excusatione. Tu vero quanam? Vicarius enim noster diligentissime tibi reddi curavit quas novissime ad te dedi. Ad quas tu ne γρὺ quidem. Spero tamen, te in posterum istam inertiam (nam fastum non audeo dicere) funditus abjecturum, nosque apud te in aliquo loco fore. Quod ego hercle commodis fortunisque omnibus praefero. Vale a minus valente. Nam per hos dies saevissimo κατάῤῥῳ divexor. Alonae, XV Kal. Junias, An. MDCCXXII.

XXII. JANUS INTERAMNENSIS AJALAEUS EMMANUELI MARTINO

φιλτάτῳ suo εὖ πράττειν.

Alonam.

IPsa die Divino Paracleto sacra redditae mihi sunt literae tuae, exoptatae semper, atque mihi, ita me Divinus idem Paracletus amet, perquam jucundae; sed quae futurae essent longe jucundiores, nisi tantisper affectam valetudinem tuam molesta illa fluxione rheumatis nunciavissent. At spero jam liberatum te hujusmodi pathemate, planeque incolumem valere, quantum aveo. Atque ego quidem, quantum fert aetas, satis commoda utor valetudine, quantum, inquam, fert aetas; quippe probe nosti, me jam plane senem, ut qui jamjam excesserim (quod bonis avibus dictum fiet) annum quintum supra sexagesimum; ut proinde senem me appellare cuivis liceat majorem prorsus, quod dicimus, natu, tantumque non capulare silicernium. Atque haec quidem potissimum est ratio, cur his reculis, literisque conscribillandis frequentius non indulgeam, non desidia illa, atque a te plurimum decantata socordia; multoque minus oblivio tui (absit amori, imo judicio meo, irrogari hanc noxam) qua me, veluti malo quodam sidere afflatum putavisti, aut suspicari te coëgit, neque injuria, biennale silentium. Quid vero dicturus esses, doctissime Martine, si tibi scire contigisset per id temporis editum esse, & luci commissum publicae Opusculum illud meum, quod ab eruditis beneque erga veritatem adfectis utraque, quod ajunt, ulna exceptum est, contra Curionis nostri opinamentum? Hoc vero tibi per Vicarium tuum transmittendum curo, simul enixe rogans, ut postquam illud perlegeris (perleges enim, ut ego ex tua erga me benevolentia conjecto non malus aruspex) ingenue, uti soles, sententiam tuam mihi patefacias; quam si fautricem nactus fuero, ne γεῦ quidem faciam triobolares Aristarchos. Adjungitur etiam eidem Opusculo Curionis Epistola, qua in re sibi non satis explorata (quod viri prudentis ac sapientis est) non erubuit cantare palinodiam.

Jam cum primum didici ex Caesare Bulisone habere se in mandatis a fratre optimo atque doctissimo, ut elegantem ΑΠΑΣΤΕΡΩΣΙΝ tuam, nonnullis aliis adjectis, curaret excudere, nil gratius me-dius-fidius, nil jucundius habui. Itaque lubenti prorsus animo occasionem arripui, ut tantae rei, quantumlibet mole exiguae in publicum apparandae symbolum meum utcumque conferrem: quod uberius fortassis extitisset, nisi me idem Caesar Buliso commonuisset, ut res nonnullas reticerem, de quibus ille vellet

vellet eſſe opportunior atque commodior proloquutor. Sed bene eſt quod tu exile quantumlibet elogium verecundus acceptor probaſti, atque officium erga te meum aequi bonique conſuluiſti. De Mont-falconio moleſte fero, pene dixeram, conqueror, quod nullas ad te literas dederit. & ſcis, me, tuo hortatu, aut ſaltem beneplacito, literas ad illum miſiſſe, qui mutuas ab illo accepturus jam ſpero nullas. Atque haec in hac rerum praeſentia fuerint ſatis. Tu, quod ad rem attinet, valetudinem tuam cura diligenter, &, quod facis, me redama. Madrito, III. Nonas Junias, An. MDCCXXII.

F I N I S.